





JAHRBÜCHER

für

classische Philologie.

Herausgegeben

von

Alfred Fleckeisen.

VIERUNDZWANZIGSTER SUPPLEMENTBAND.

Leipzig, 1898.

Druck und Verlag von B. G. Teubner.

Inhaltsverzeichnis.

M. TERENTI VARRONIS

ANTIQUITATUM RERUM DIVINARUM

LIBRI I XIV XV XVI


PRAEMISSAE SUNT QUAESTIONES VARRONIANAE

AUCTORE

REINHOLDO AGAHD

RICARDO REITZENSTEIN

SACRUM



Praefatio.

Varro quid in Rerum Divinarum libris I XIV XV XVI docuisset ut quaererem, monuit me ante hos decem annos **Guilelmus Studemund**, ad opus propter varias quasdam easque molestissimas difficultates relictum iterum atque iterum me revocavit **Ricardus Reitzenstein**. Eandem interea quaestionem **Erdmannus Schwarz** in libro, qui inscribitur: „De M. Terentii Varronis apud sanctos patres vestigiis" (recepto in XVI suppl. annal. **Fleckeisen.** Lips. 1888) diligenter nec sine fructu tractavit, cui quantum debeam ipsa haec mea quaestio docebit. Sed idem vir doctus qui non perspexerit totam quaestionem ab Augustini de Civitate Dei libris IV VI VII incipiendam esse miror.[1]) Nam etiam si de his Rerum Divinarum libris aliunde nihil compertum esset, tamen qua fuerint indole ex solo Augustino disceretur, quippe qui ordine Varroniano saepe per aliquot continua capita servato auctoris sui verba neque depravare neque cum alienis commiscere soleat. Huic quaestioni pauca de Senecae libro, quem de superstitione scripsit (vd. Aug. C. D. VI 10 sq.), subiunxi.

In altera parte commentationis de Tertulliano egi, quem inter testes secundum sed longe a primo remotum locum tenere iusserim. Passim enim tam in Apologetico libro quam in duobus ad Nationes libris auctorem quendam incertum adhibuit eundem, quo Minucius in Octavio, in Institutionum Divinarum libro I Lactantius usi sunt. Quod si respicitur, non pauca Varroni abiudicantur, quae adhuc viri docti ei attribuere solent.

Iam quem Varro philosophum hisce in libris secutus sit, exposui, quo melius appareat, quas ille cum de aliis rebus, tum de anima professus sit rationes philosophas quidque ex eis, quae Servius genuinus ad Vergilii versus Aen. VI 703—745, commentator Bernensis ad Lucani versus Phars. IX 1 sqq. adnotant, ad eum revocandum sit. Tum de Cornelio Labeone egi Arnobium maxime, Macrobium, Marcianum, Laurentium, nonnullos Servii genuini interpolatorisque locos respiciens. Denique exposui, quos Varro deos certos incertos selectos intellexerit et quid ipse de Indigitamentorum indole iudicem.

Restat, ut praeceptori dilectissimo, Ricardo Reitzenstein, pro amplissimis eius erga me beneficiis gratias agam quam maximas, cui quantum debeam verbis satis exsequi non possum, sed penitus haeret in mente. Et si quid his meis studiis de Varrone statuero, quod indicibus non improbandum videbitur esse, hoc me profecturum non fuisse, nisi ille me opera consilio cohortationibus adiuvisset, semper ego pio recordabor animo.

---

1) Cf. Georgium Wissowa, Deutsche Litteratur-Zeitung 1889 Nr. 36 p. 1310. 2) Fragmentis in disponendis quam secutus sim rationem, singulari praefatione ostendam.

modo Vergilium (IV 9. 11) et Ciceronem (IV 30) in usum convertit. Itaque quoniam in hoc libro prorsus eadem ratione contra Varronem disputat, qua in libris VI et VII, etiam in libro IV Augustinum ex ipso Varrone hausisse concludendum est, id quod adhuc nemo in dubium vocavit nisi O. Gruppeus.[1]) Qui ut L. Krahneri de Curione, Varronis logistorico, argumentationem[2]) contra E. Schwarzium[3]) firmaret, Augustinum, cum libros C. D. I—V conscriberet, R. D. libris omnino non usum esse coniecit. Sed priusquam eius sententiam examinemus, de ipso Krahnero videamus.

Proponit enim iste vir doctus commentationis suae summam his verbis p. 5: „Fragmenta quaedam, R. D. libris illata [usque ad Krahneri aetatem], in his propriam sedem non habere potest demonstrari, quae ad Curionem pertinere admodum probabili coniectura mihi videor pronuntiasse." Deinde orditur a quattuor locis, quos e Varrone sumptos Augustinus continue profert C. D. IV 31 p. 185, 29—186, 5; p. 186, 11—14; p. 186, 21—29; IV 32 p. 187, 20—24 „quae fragmenta sententiarum similitudine ita coniuncta esse dicit, ut ex uno eodemque libro petita esse videantur."

Ut facilius cognoscatur, qua colligendi ratione Krahnerus utatur, omnes, de quibus res est, Augustini locos sub uno conspectu praebere liceat:

C. D. IV 31 p. 185, 18 sqq.: A

Quid ipse Varro, quem dolemus in rebus divinis ludos scenicos quamvis non iudicio proprio posuisse, nonne ita confitetur, non se illa iudicio suo sequi, quae civitatem Romanam instituisse commemorat, ut si eam civitatem novam constitueret, ex naturae potius formula deos nominaque eorum se fuisse dedicaturum non dubitet confiteri? Sed iam quoniam in vetere populo esset, acceptam ab antiquis nominum et cognominum historiam tenere, ut tradita est, debere se dicit, et ad eum finem illa scribere ac perscrutari, ut potius eos magis colere quam despicere vulgus velit.

C. D. VI 4 p. 250, 17—251, 6: F

Varro propterea se prius de rebus humanis, de divinis postea scripsisse testatur, quod eqs. „Si de omni natura deorum et hominum scriberemus, prius divina absolvissemus, quam humana attigissemus."

ib. pag. 252, 7—13: G

Ita se libros rerum divinarum non de veritate, sed de falsitate scripsisse confessus est. Quod apertius alibi posuit, sicuti in quarto libro commemoravi, ex naturae potius formula se scripturum fuisse, si novam ipse conderet civitatem; quia vero iam veterem invenerat, non se potuisse nisi eius consuetudinem sequi.

1) Wochenschrift f. klass. Philologie 1889 Nr. 19 p. 513 sqq.
2) Varronis Curio de cultu deorum. Progr. Neobrandenburg. 1851.
3) De M. Ter. Varronis apud ss. patres vestigiis (Suppl. ann. philol. XVI Lips. 1888).

ib. p. 185, 29—186, 5 (= Krahn. Cur. fr. 4): B

Quibus verbis homo acutissimus satis indicat non se aperire *omnia*, quae non sibi tantum contemptui essent, sed etiam ipsi vulgo despicienda viderentur, nisi tacerentur. Ego ista conicere putari debui, nisi evidenter alio loco ipse diceret, de religionibus loquens, multa esse vera, quae non modo vulgo scire non sit utile, sed etiam tametsi falsa sunt, aliter existimare populum expediat et ideo Graecos teletas ac mysteria taciturnitate parietibusque clausisse.

ib. p. 186, 11—14 (= Krahn. Cur. fr. 5): C

Dicit idem auctor, quod hi soli ei videantur animadvertisse, quid esset deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem.

ib. p. 186, 21—29 (= Krahn. Cur. fr. 6): D

Dicit etiam antiquos Romanos plus annos CLXX deos sine simulacro coluisse. „Quodsi adhuc", inquit, „mansisset, castius dii observarentur." Cuius sententiae suae testem adhibet inter cetera gentem Iudaeam, nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis et metum dempsisse et errorem addidisse.

C. D. IV 32 p. 187, 20—24 (= Krahn. Cur. fr. 7): E

Dicit etiam de generationibus deorum magis ad poetas, quam

IV 27 p. 180, 4 sqq.

Expedire existimat (sc. Scaevola) falli in religione civitates. Quod dicere etiam in libris rerum divinarum Varro ipse non dubitat.

C. D. VII 5 p. 280, 8—23; 23—28: HI

(H) Primum eas interpretationes Varro sic commendat eqs...; haec sunt mysteria doctrinae, quae iste vir doctissimus penetraverat (sc. in R. D. l. XVI). (I) Sed o homo acutissime, num in istis doctrinae mysteriis illam prudentiam perdidisti, qua tibi sobrie visum est, quod hi, qui primi populis simulacra constituerunt, et metum dempserunt et errorem addiderunt, castiusque deos sine simulacris veteres observasse Romanos?

C. D. VI 6 p. 257, 12—16: KL

(K) Maior societas (inquit Varro) debet nobis esse cum philosophis

ad physicos fuisse populos inclinatos, et ideo et sexum et generationes deorum maiores suos, id est veteres credidisse Romanos et eorum constituisse coniugia.	quam cum poetis. (L) Et tamen alio loco dicit de generationibus deorum magis ad poetas, quam ad physicos fuisse populos inclinatos.

Krahnerus igitur hanc argumentandi viam ingressus est:

Primum locum (B) per verba 'evidenter alio loco dicit' oppositum esse alii loco Varroniano IV 31 p. 185, 18 sqq. (A) atque eidem, quem Augustinus VI 4 p. 252, 7—13 (G, G = A) per verba 'apertius alibi ponit' cum tertio quodam loco Varroniano conferret p. 250, 17—251, 6 (F). His igitur duobus Augustini capitibus „contineri tres locos Varronis ex tribus diversis libris repetitos", atque hunc locum C.D. VI 4 p. 250, 17 sqq. (F) e R. D. libro I sumptum esse, alterum IV 31 p. 185, 18 sqq. (A) = VI 4 p. 252, 7—13 (G) R. D. libro X tribuendum esse, tertium vero locum quadripertitum IV 31. 32 p. 185, 29—187, 24 (B + C + D + E) „ad nullum R. D. librum, sed ad alium quendam reiciendum videri, cui opinioni magnum probabilitatis momentum accedere, si praeter huius loci primam particulam etiam reliquas demonstrari possit ab Augustino ita notari, ut ex alio loco petitae esse dicantur et ad res in R. D. libro aliquo dictas adhibeantur examinandas." Atque ea quidem, quae IV 32 (E) legerentur, Augustinum VI 6 p. 257, 14—16 (L; L = E) ita repetere, ut post verba aliqua e R. D. libro I profecta (v. 12—14, K) ipse adderet: 'Et tamen alio loco dicit'. Simili modo ea, quae IV 31 (D) proferrentur, VII 5 p. 280, 23—28 (I; I = D) alii loco e R. D. libro XVI (v. 8—23 H) ita obici, ut ex hoc libro ea non hausta esse appareret, sed ex libro aliquo ante R. D. librum XVI conscripto. Atqui ex aliquo „superiore libro" Augustinum etiam petivisse, quae VII 28 p. 311, 7 sqq. de Samothracum mysteriis e Varrone sumpsisset, quae ad Antiquitates non pertinere consilium ipsum docere, quo ab Augustino afferrentur". „Ut enim", inquit p. 8, „in loco consimili VII 5, ita etiam hoc loco sententiam aliquam in Ant. libro XVI. pronuntiatam pugnare affirmat cum iis, quae pridem in alio loco docuerat"[1]). Ergo haec ex Antiquitatum fragmentis removenda atque alii libro addicenda esse, nempe eidem, quo saepius Augustinus usus esset, ut res in R. D. libris prolatas examinaret; hunc librum esse Varronis logistoricum, qui inscribitur Curio de cultu deorum[2]), ex

1) Cui argumento quam nulla vis insit, per se patet. Unde enim scit Krahnerus librum 'superiorem' eum esse, qui priore tempore conscriptus sit? Ceterum Augustino vix notum fuit, quo temporum ordine Varro opera sua conscripsisset.

2) Dialogum quendam Krahnerus autumat tecte ab Augustino significari IV 31 p. 186, 2 his verbis 'loquentem de religionibus.' Contra quae Schwarzius l. l. p. 447 rectissime scribit: „Loquendi verbum non solum de vere loquentibus, h. e. dialogi personis, usurpatum esse patri evincitur hoc exemplo VI 5 p. 258, 7: 'loquebatur non de naturali theo-

quo Augustinus ipso teste hausisset C. D. VII 9. 34. 35. Ita „removeri ex Augustini illis locis causam offensionis et Varronis libris bene esse consultum".

Krahnerus offensiones quasdam, quas ipse in Varronis libris esse fingit, ita tollit, ut omnia, quae Augustinus 'alio loco' posita fuisse testatur, alii libro vel alii operi attribuat. Quod quam incaute conclusum sit, iam inde manifestum est, quod ipse Augustinus C. D. VII 13 duos locos ex eodem R. D. libro XVI (cf. C. D. VII 23 p. 301, 22 sqq. 33 sq.) ita collaudat, ut alterum per verba 'alio loco' inducat[1]). Accedunt alia, quibus eius sententia refutetur, argumenta non pauca.

Augustinus enim C. D. VII 28 p. 311, 7 sqq., loco quodam R. D. libri XVI tractato Varronem in superiore libro, cum de Samothracum mysteriis ageret, docuisse dicit Iovem caelum, Iunonem terram, Minervam ideas esse. Quibus expositis pergit pater: „Hoc dico istum in hoc libro selectorum deorum rationem illam (sc. illam in 'superiore libro pronuntiatam') trium deorum, quibus quasi cuncta complexus est, perdidisse. Caelo enim tribuit masculos deos, feminas terrae[2]) (sc. in libro sel. deor.); inter quas posuit (sc. in libro sel. deor.) Minervam, quam supra ipsum coelum ante (i. e. in superiore libro) posuerat." Verbum 'ante' in hunc quem dixi sensum accipiendum esse cum Augustinus tota sua argumentatione docet[3]) tum Macrobius Sat. III 4, 8 Serviique interpolator ad Aen. II 296, quem utrumque locum Georgius Wissowa[4]) item atque hunc locum, quem Augustinus e 'libro superiore' arcessit, ad Varronis de Dis Penatibus disputationem refert. Legimus enim utrobique Minervam esse summum aetheris cacumen. Ceterum quod Varro Minervam uno eodemque loco et ideas et summum aethera dicit, Platonicorum et Stoicorum sententias coniungit, Posidonium vel alium ex recentioribus philosophis Stoicis secutus. De qua re conferas, quae huic universo Varronis loco simillima praebet Hippolytus Phil. 19, 1. 2 (Diels. dox. p. 567): Πλάτων ἀρχὰς εἶναι τοῦ παντὸς θεὸν καὶ ὕλην καὶ παράδειγμα· θεὸν μὲν τὸν ποιητὴν eqs. ὕλην δὲ τὴν πᾶσιν

---

logia' sc. Varro in R. D. libro I." Accedit quod religionum vox praeter 'cultum deorum' permulta alia significat.

1) Hoc argumentum Schwarzius p. 449 adn. 2 minus valere putat, 'quia non eadem utrobique tractatur res.' Verum nostra non refert, quid Varro tractaverit, sed quo sensu Augustinus praebeat verba 'alio loco.'

2) Hoc Varro non docuit, sed Augustinus verba quaedam Varronis, quae cap. 28 ineunte refert, male interpretatus est.

3) Quamquam Krahnerus scribit p. 8: „'ante', h. e. in priore libri XVI parte, cf. Aug. C. D. VII 16." Nimirum Minerva cap. 16 ad summum aethera refertur, sed hoc Augustinus e posteriore libri XVI parte sumpsit, ubi de Minerva proprie res erat. Equidem neque intellego, ubi 'in priore parte' Varro de hac dea egisse possit, neque quare Augustinus loco supra exscripto duas diversas sententias in uno eodemque Varronis libro occurrentes protulerit, cum tota eius argumentatio in eo vertatur, quod Varronem in duobus libris diversa docuisse credit.

4) Die Ueberlief. d. Röm. Penaten. Herm. XXII p. 32 sqq. 47.

ὑποκειμένην eqs. τὸ δὲ παράδειγμα τὴν διάνοιαν τοῦ θεοῦ εἶναι, ὃ καὶ ἰδέαν καλεῖ, οἷον εἰκόνισμά τι, ᾧ προσέχων ἐν τῇ ψυχῇ ὁ θεὸς τὰ πάντα ἐδημιούργει. Idea autem vel mens Dei secundum Stoicorum interpretationem superiore parte Dei vel aetheris cacumine significatur.

Quod vero Augustinus Varronem in libro XVI a 'superiore' illo libro dissentire contendit, gravissime errat; neque enim ille hoc, de quo pater cogitat, libri XVI loco omnes deos ad caelum, deas ad terram referendos esse exposuit, id quod pater opinatur, sed in enumerandis vel interpretandis diis selectis masculis a Iano i. e. a caelo, feminis a Tellure, i. e. a terra se incepturum esse professus est. Atque ipse Augustinus C. D. VII 16 p. 294, 19 sq.[1]) e R. D. libro XVI refert Minervam esse summum aethera! Itaque quando quidem Varro in hoc 'selectorum deorum libro' de Minerva idem docet quod in 'superiore illo libro', de diversis operibus non est cur cogitetur neque cur a sententia simplicissima et ipso dicendi usu commendata discedatur, secundum quam ille 'superior liber' R. D. liber XV est. Denique ut omnis tollatur dubitatio, apud Probum person. ad Verg. ecl. VI 31 servantur, quae Varro revera in Curione de Dis Magnis Potentibus Valentibus, i. e. de Penatibus[2]) exposuit. Haec autem a nostro loco magis differunt, quam ut utraque brevi unius logistorici complexu contineri potuerint[3]). —

De altero loco VII 5 p. 280, 23—28 (I) = IV 31 p. 186, 21—29 (D) = CD IV 9 p. 157, 7 sqq., quem Krahnerus ab eis dissentire opinatur, quae leguntur C. D. VII 5 p. 280, 8—23 (H), satis est repetere, quod Schwarzius dicit p. 448: „Ego intellegere possum, quod Krahnerus se posse negat, eundem scriptorem in eiusdem operis I libro simulacra ficta queri, ultimo libro, quid simulacrorum fictores secuti viderentur exponere potuisse excusantem magis quam praedicantem.“ Necnon alterum eiusdem viri docti argumentum afferre velim:

1) „Minervam vel summum aethera vel etiam lunam esse dixerunt (i. e. Varro dixit)“. Varro hic duas interpretationes ex sua consuetudine protulit; cf. Aug. C. D. VII 30 p. 313, 24 sqq.: „Ista sunt certe, quae diis selectis per nescio quas physicas interpretationes Varro, sive quae aliunde accepit, sive quae ipse coniecit, distribuere laboravit.“ — Occasione oblata, id quod supra p. 11 adn. 2 monui, repetiverim: false Augustinus VII 28 nobis persuadere studet a Varrone in R. D. XVI Minervam etiam ad terram relatam esse.

2) „Varro in Logistorico, qui inscribitur Curio de deorum cultu, cognomenta Magnorum deorum: Tres arae sunt in circo medio ad columnas... in una inscriptum DIIS MAGNIS, in altera DIIS POTENTIBVS, in tertia DIIS ⟨VALENTIBVS, hoc est⟩ (ita recte addidit Wissowa l. l. p. 50) Terrae et Caelo. In haec duo divisus mundus. Item duo initiales, unde omnia et omnes orti, et hi dii magni appellati in Samothrace.“

3) Wissowa l. l.: Die Gründe, aus denen Krahner das Bruchstück dem Curio zuweist, sind unzulänglich und werden vollkommen aufgehoben durch den Widerspruch, in dem dasselbe mit dem Fragmente dieses Logistoricus bei dem sogenannten Probus steht.

Augustinus enim C. D. IV 9 et VII 5 testatur Varronem haec de simulacris false institutis dixisse, „cum tantae civitatis perversa consuetudine premeretur“ (Augustini verbis utor) atque „haec contra posteriores Romanos dicere ausum esse, neque timoris silentio pressisse“, quia antiqui Romani simulacra non coluissent. Hae autem libertatis laudes et timoris notae, quae quid sibi velint, si Curio patri observetur, Schwarzius recte quaerit, ad Antiquitates bene pertinent[1]), quippe quod opus Varro ipso testante (ap. Aug. C. D. VI 4 p. 252, 7 sqq. IV 31 p. 185, 18 sqq., cf. C. D. VI 6 p. 255, 11 sqq.) conscripserit populi secutus consuetudinem.

Similiter Schwarzius tertium locum C. D. IV 31 p. 185, 29 sqq. (B) a Krahnero in Curione positum ad Res Divinas pertinere ostendit (p. 447) collatis Aug. C. D. IV 27 p. 180, 4 sqq. III 4 p. 101, 5 sqq. Res ita in aperto est, ut plura addere supervacaneum sit.

Quartus autem locus C. D. IV 31 p. 186, 11—14 (C) indidem petitus est unde is, quem Augustinus statim superaddit (D), id quod elucet comparato loco Aug. de cons. ev. I 22, 30. 23, 34[2]). Atqui hunc e R. D. libris profluxisse modo demonstratum est; ergo et ille eodem referendus est.

Restat, ut ea, quae C. D. VI 6 p. 257, 14—16 (L) = IV 32 (E) leguntur, Rebus Divinis vindicem, quae Schwarzius (p. 449) Curioni abiudicare non ausus est; credit enim haec 'eodem modo de poetis et physicis observata esse', quo illa, quae VI 6 p. 257, 2—14 (K) huic loco opponuntur, ita ut 'non possimus nisi eodem de generibus theologiae universis loco ea collocata iudicare. Atquin eadem alio loco dicta fuisse: ergo alium librum significari Krahnero concedendum videri'. Verumenimvero ea, quae duobus istis locis referuntur, Varro eodem modo non observavit. Altero enim loco disputat, quas philosophorum et poetarum doctrinas populus sequi deberet et quam rationem secutus ipse eorum sententias in hoc R. D. opus reciperet; altero loco docet, quo modo adhuc populus philosophorum et poetarum sententias revera secutus esset. Itaque non est, cur haec uni eidemque R. D. libro non tribuamus; immo quod similia sunt (non paria, moneo), uni libro ea tribuere paene cogimur. Adde quod hic, de quo agimus, locus cum ceteris, quos adhuc Rebus Divinis tribuendos evicimus, cognatione tam arta coniunctus est, ut indidem eum prodiisse extra omnem dubitationem ponatur.

Atque haec quidem de Krahnero! Iam videamus, quibus argumentis Gruppeus eius sententias, a Schwarzio si non omnes at magnam partem refutatas, adiuvet aut commendet. Audiamus ipsum:

1) Etiam ea, quae Augustinus p. 280, 23 sqq. cavillatur: „Sed, o homo acutissime, num istis doctrinae mysteriis (sc. eis, quae e R. D. l. XVI modo arcessivit) illam prudentiam perdidisti, qua tibi sobrie visum est, quod hi, qui primi eqs.“, melius ad diversos eiusdem operis libros, quam ad diversa opera referuntur.

2) Locos exscripsi infra p. 19.

„Schwarz ist es nicht gelungen[1]), die bei Krahners Reconstruction noch verbleibenden Bedenken zu heben. Meines Erachtens erledigen sich die gegen Krahner erhobenen Einwände einfach, wenn man die volle Consequenz von dessen Folgerung zieht und annimmt, dass Augustin bis zur Abfassung des 5. Buches von Varronischen Schriften überhaupt nur den Curio besass. Alles was er in diesen Büchern über die antiquitates mitteilt, scheint mir entweder aus Curio zu stammen, welcher nach meiner Ueberzeugung bestimmt war, die antiquitates rerum divinarum gegen gewisse Angriffe zu rechtfertigen, teils aber — das sind die mit inquiunt angeführten Götterlisten und Götterdeutungen — aus dem grossen Werk des Cornelius Labeo. Labeo schöpfte nachweislich aus Varro, und so enthalten denn die Augustinischen Excerpte aus seinem Werke in der That zahlreiche Varroniana, zugleich aber ist die Varronische Doctrin doch teilweise von dem Platoniker nach dessen philosophischen Neigungen stark verändert, und so erklären sich denn die Verschiedenheiten der Götterlisten des IV. Buches der Civitas Dei von denen des VI. und VII. Buches und denen Tertullians."

Gruppeus igitur Augustini librum IV ab eis, quibus simillimus est, libris VI VII (vd. supra p. 7 sq.) separatum cum eis aequat, quibus dissimillimum eum esse quivis primo obtutu videt. Sed tantum abest, ut vel aliquantulum demonstrandi causa proferat, ut ipsius eius viri sententiam subruat, cui patrocinari studet et in quo ipse nititur; Krahnerus enim magnam atque gravem quaestionis partem in eo exaedificat, quod Curionem ante R. D. libros conscriptum esse ex Aug. C. D. VII 5. 28 colligit: Gruppeus idem opus post R. D. libros compositum vult, nesciens hanc suam sententiam illis Augustini locis prorsus vetari. Deinde vero quod deorum syllogas ab Augustino in libro C. D. IV relatas a syllogis librorum VI et VII et Tertulliani differre contendit, iusto levius facit. Immo mirum quantum concinunt, quod apparet e conspectu deorum certorum, quem huic disputationi adieci. Sane si respexeris deorum interpretationes, sunt quae differant: IV 10. 11 Saturnus ad temporis longitudinem, VII 13. 18. 19 ad semen refertur; IV 11 est Liber vinearum, Mercurius mercium, Diana silvarum, Minerva ingeniorum praeses, quae numina Varro teste Augustino C. D. VII 14. 16 ad semina, sermonem, lunam, summum aethera rettulit. Verum praeterquam, quod haec magna ex parte tam pervulgata erant, ut Augustinus ea de suo facile addere posset, quid expedit Labeonem, qui Platonis sententias cum Stoicis commiscuerit, huc auxilio vocare, ubi diversae ipsorum Stoicorum sententiae commemorantur? Varronem autem saepius complurium auctorum varias

---

1) Gruppeus male videtur intellexisse, quid argumentando consequi voluerit Schwarzius; Krahneri sententiam subvertere, non confirmare studuit.

sententias coniunctas praebuisse constat. Sed quid plura? Labeo ipse Liberum et Mercurium ad solem, Dianam et Minervam ad lunam rettulit, cf. Macr. Sat. I 18, 7 sqq. al. Arnob. III 31 cf. Kahl. com. Lab. Philol. Suppl. V p. 719 sqq.[1]).

Sed in Curione librorum R. D. patrocinium suscepisse Varronem Gruppeus dicit, quod nescio an duobus e locis collegerit, quorum alterum (IV 31) supra exscriptum littera A notavi, alterum legis IV 22. Priori loco respondent quae ex ipsis R. D. libris ab Augustino C. D. VI 4 afferri etiam Gruppeus credit (vd. supra locos litteris G F notatos); alterum ad R. D. libros referendum esse colligitur ex Aug. C. D. VI 1 p. 243, 29 sqq.: num Varronem in Curione ipsa R. D. verba repetiisse credimus? Conferas iam cum copiosissimo loco C. D. VI 3. 4, imprimis p. 250, 17 sqq. (vd. supra sub litt. F), quae idem Augustinus C. D. IV 1 p. 146, 20—23 profert: 'Varro ... cum rerum humanarum atque divinarum dispertitos faceret libros, alios humanis, alios divinis pro sua cuiusque rei dignitate distribuens ...'. Rursus illa ad R. D. libros, haec ad Curionem quisquam revocabit? Varroni quid in *libris* R. D. scribendis spectaret, his ipsis in libris exponendum erat. Itaque eos, quos modo laudavi, locos ex ipsis R. D. libris petitos esse non nisi invictis coacti argumentis concedemus[2]).

Sed quid ego haec persequor somnia? Constat nobis: Augustinum Varroniana, quae in C. D. libris IV VI VII fert, ex ipsis R. D. libris hausisse praeter ea, quae Curioni se debere ipse testatur.

§ 2.

Qua ratione Varronis R. D. libri I XIV—XVI ex Augustini C. D. libris IV VI VII restituendi sint.

De R. D. libro I.

Varro apud Augustinum C. D. VI 2 p. 248, 6 sqq. quibus causis commotus R. D. scripserit libros exponit; quocum loco quodammodo cohaerent, quae C. D. VII 3 p. 277, 25 sqq. leguntur, quare nescio an haec quoque ad totius operis prooemium referenda sint.

C. D. VI 3 totius Antiquitatum Rerum R o m a n a r u m operis dispositio enarratur, quam non ab Augustino e diversis Varronis libris arcessitam et confectam, sed ab ipso Varrone operi suo praemissam

1) Contra hoc argumentum: „das (sc. ea, quae e Labeone sumpta Gruppeus opinatur) sind die mit i n q u i u n t eingeführten Götterlisten" haec moneo: Augustinus, quoniam in libris VI VII quae Varroni debet promiscue, vel intra eiusdem capitis fines, modo per verba 'Varro inquit, dicit' modo per verba 'inquiunt, dicunt' attulit, ne in quarto quidem libro certum consilium secutus est ita, ut diversis introductionum formulis diversos fontes significaret.

2) Unus restat locus IV 27, cuius argumentum tam e Curione quam e R. D. libris petitum esse potest. Revera eum huc referendum esse ex eis patet, quae supra contra Gruppeum dicta sunt.

esse vel inde colligitur, quod ille eandem consuetudinem et in aliis libris sequitur, ut L. L. V 11 (cf. VII 5, VIII 44), R. R. I 5, 2, Rer. Hum. XX ap. Non. p. 92, 14, Litt. ad Opp. ap. Gell. N. A. XIV 7, 4; Sat. Men. nesc. quid vesp. vehat ap. Gell. N. A. XIII 11, 3. Et ubique eandem, quam nostro loco, exhibet partitionem 'secundum homines (vel corpora), loca, tempora, actiones (vel res)'. Accedit, quod Augustinus ad certa atque continua Varronis verba digitum intendere videtur, cum VI 4 in. de hac dispositione dicit: „In hac tota serie pulcherrimae ac subtilissimae distributionis et distinctionis vitam aeternam frustra quaeri eqs."[1]).

C. D. VI 4 declarat Varro de diis Romanis, non de 'omni natura deorum' in R. D. libris se acturum esse atque hanc ipsam ob rem prius Res Humanas quam Divinas absolvisse[2]). Unde manifestum fit, qui sint illi 'viri docti', quos Augustinus collaudat VI 1 p. 244, 25 sqq. his verbis: „Cui ergo deo vel deae propter quid supplicaretur eqs." Hoc autem e loco apparet indidem eum petivisse, quae refert IV 22 p. 172, 12 sqq. et quae repetit VI 1 p. 244, 2 sqq., nisi quod pro Varrone 'acutissimos et peritissimos viros' inducit. — C. D. VI 5, quod caput artissime cum quarto cohaeret, etsi non ad verbum, attamen satis accurate[3]) Varronis de tribus theologiae generibus[4]) sententias refert, colligiturque ex Augustino Varronem primo de nominibus egisse, deinde de singulis theologiis verba fecisse, denique rem paucis complectendo tres illas theologias inter se comparavisse. Huic ultimae parti propter argumenti similitudinem is locus adiungendus est, ubi non multo post Augustinus ipsum Varronem testantem facit tria theologiae genera segregari non posse

1) Quod Varro in Rerum Divinarum libro I Rerum Humanarum dispositionem breviter repetivit, non mirum est, cum similiter L. L. V 1 de superiorum librorum argumento rationem reddat.

2) Eadem leviter perstringit Augustinus C. D. IV I p. 146, 20; vd. supra p. 15.

3) Tertullianus enim ad nat. II 2 de theologia physica simillima, sed multo plura praebet.

4) Hic commemoraverim, quas ineptias Frickius (die Quell. Aug. im 18. B. de C. D. Höxter. Progr. 1886 p. 22) de theologia civili prodiderit: „In jenen Büchern (sc. de gente P. R.) waren nur diejenigen Götter behandelt, welche sich auf das civile genus theologiae bezogen, d. h. verdiente Menschen, welche wegen ihrer der Mitwelt erwiesenen Wohlthaten nach ihrem Tode zu Göttern erhoben wurden." Tria illa theologiae genera non ad diversos deorum ordines pertinent, sed, ut Varronis verbis utar (ap. Aug. C. D. VI 5), ad 'diversas rationes, quibus de diis explicatur', et illi dii, quos Frickius ad theologian civilem revocat, etiam a physicis et poetis tractabantur, quamvis diversa ratione. Civilis theologus Romanus exponit omnem Romanorum religionem, qualiscunque est, sive populus unum sive plures deos colit, sive deos sempiternos sive deos ex hominibus factos credit. Ab hac civili theologia, quae 'ad urbem accommodata' de propria deorum Romanorum natura ageret, Varro cum Stoicis diligenter discrevit naturalem, quae 'ad mundum accommodata' de 'omni natura deorum' quaereret.

his verbis VI 6 p. 257, 6 sqq.: „Ait Varro ea, quae scribunt poetae, minus esse eqs." Hic exposuit, qualis civili theologiae cum physica et mythica ratio esset, tum quomodo ipse in theologia civili explicanda philosophos et poetas sequi deberet (vd. supra p. 13). Huc etiam aptissime referuntur, quae C. D. IV 27 de Scaevolae sententiis commemorantur, quae ad Varronem redire veri simillimum est, praesertim cum Augustinus intra ipsam disputationem eum his verbis collaudet: „Quod dicere etiam in libris rerum divinarum Varro ipse non dubitat"[1]).

Ex his hic fere Varronianarum sententiarum nexus elicitur: Primo declaravit, quod consilium in R. D. libris scribendis sequeretur, deinde quo modo eos disponeret, tum quapropter eos post R. H. libros collocaret; se enim non nisi de diis populi Romani acturum esse. His subiunxit diverse de diis agere philosophos, poetas, politicos. Denique exposuit, qualis sibi, ut theologo politico, cum philosophis et poetis coniunctio esset. Quaeritur autem, rectene haec in R. D. libro I collocentur.

Atque Gruppeus quidem loco supra laudato scribit: „Ebenso ist es Schwarz entgangen, was meiner Ansicht nach eine zusammenfassende Betrachtung der Varroniana des 6. und 7. Buches hätte lehren müssen, dass alle hier enthaltenen Bruchstücke der antiquitates rerum divinarum der letzten Triade angehören, und dass insbesondere die öfters erwähnte philosophische Einleitung unmöglich [!] als Vorbereitung für das ganze Werk, sondern nur eben für diese Triade, die allein die Theologie behandelte, gedient haben könne"[2]).

Contra haec satis est citare quod Servius adnotat ad Aen. VI 703: „De anima etiam Varro in primo divinarum plenissime tractavit." Scripsit igitur profecto in R. D. libro I de philosophorum doctrinis. Res confirmatur testimonio Ciceronis, qui Ac. I 2, 8 Varronem in antiquitatum prooemiis philosophiae se operam dedisse profitentem facit. Nam verba 'in prooemiis antiquitatum' recte Merkelius (Ov. fast. proll. p. CXI) interpretatur: 'in libris singularibus utrique corpori praepositis', quamquam id fieri posse Krahnerus (Cur. p. 4) abrupte negat. Nullo iure. Nam etiam Augustinus hos primos libros exordia nominat VI 6 p. 249, 13 sqq., cf. 1 sq., ubi non tam sua quam Varronis verba reddit, atque profecto nescio, quo nomine aptius horum librorum indoles describi potuerit, 'qui', ut ait Augustinus, 'prius de omnibus loquerentur'. Sed graviora proferamus. Totius operis partitionem, quam Augustinus VI 3 affert, certe non in prooemio XIV sed I libri exposuit Varro, neque ab illa

---

1) Idem de hac re sentiunt, quos inspexi, viri docti omnes e. g. Prellerus, Röm. Myth. I p. 34, 1; Zellerus Phil. d. Griech. III, 1³ p. 566, 4. 674.

2) Idem tamen vir doctus in Comm. Momms. p. 546 ita iudicat: „Die Disposition des Werkes (sc. Ant. Rom.), die Augustin mitteilt, scheint er mir in dem Einleitungsbuch der Antiquitates rerum div. gelesen zu haben."

seiungi possunt, quae Aug. VI 4 tradit, quaeque ex ultimis R. D. libris repetita esse nemo putabit. Eundem vero Augustinum VI 5 cum dicit: „deinde illud, quale est, quod tria genera theologiae dicit esse eqs." ab exordio primi libri ad librum XIV transiisse quis credet, cum praesertim haec arte cohaereant cum eis, quae antecedunt, totumque respiciant Rer. Div. opus? Nam inde a primo libro theologian Varro tractat civilem, ita quidem, ut sacra a civitate instituta et opiniones a populo receptas secundum philosophorum disciplinam corrigeret, cf. Aug. C. D. VII 1 p. 273, 7: „Theologia civilis a M. Varrone sedecim voluminibus explicata est", C. D. IV 31 p. 185, 18: „Varro, quem dolemus in rebus divinis ludos scenicos quamvis non iudicio proprio posuisse." Quod consilium si disertis ipse professus est verbis — atque extant profecto talia apud Aug. C. D. VI 6 —, hoc eum paene sub finem totius operis fecisse haud probabile est, cum praesertim haec verba (l. l. p. 257, 11): „Quae erunt communia cum populis (sc. philosophis et poetis), una cum civilibus scribemus" nisi in libro I non perscripta esse possint.

Denique si omnes istas philosophorum sententias in aliquo XIV libri exordio commemoravit, quid opus erat, eadem libri XVI prooemio retractare; quae si quindecim libris interiectis Varro legentibus brevi in memoriam revocavit, nemo mirabitur. Ergo R. D. libro I et haec assignanda sunt, quae adhuc enucleavi, et ea, quae cum his sententiarum quadam cognatione coniuncta tenentur.

Atque cum illo fragmento C. D. VI 6, ubi Varro exposuit, quomodo in civili theologia tractanda philosophos et poetas sequi deberet, aliud cohaeret, quo dixit, quousque philosophos sequi sibi liceret, cum theologia civilis a physica dissentiret, apud Aug. C. D. IV 31 p. 185, 18 sqq. = C. D. VI 4 p. 252, 7—13 (vd. locorum syllogen supr. p. 8 sq. AG.). Hoc Krahnerus in R. D. libro X ponit his, ut apparet, Augustini verbis adductus: „Varro, quem dolemus in rebus divinis ludos scenicos quamvis non iudicio proprio posuisse, nonne ita confitetur eqs." Sed ut Augustinus persaepe, cum proprie de rebus e R. D. libro I arcessitis agit, ludos a Varrone non contemptos esse reprehendit (vd. IV 27. VI 1. 5. 6. 7. 8. 9), ita Varro in R. D. libro I theatrum et ludos perstrinxit (vd. C. D. VI 5 p. 254, 18). Quamobrem etiam haec, quippe quae a R. D. libro X prorsus abhorreant, in librum I, cui plane congrua sunt, revocanda censeo. Neque ulla difficultas inde oritur, quod haec alibi locum tenuisse Augustinus testatur, alibi ea, quae ex initio libri paullo ante collaudat (VI 4, vd. supra p. 16); haec enim Varro scripsit, postquam illam de singulis theologiis disputationem absolvit. Ita etiam eorum Augustini verborum ratio habetur, quibus haec alibi dicta fuisse refert atque ea quae IV 31 p. 185, 29 sqq. (= IV 27) Varronem 'de religionibus' i. e. de theologiis loquentem[1]) dixisse testatur.

1) Eodem propter simile argumentum rettuli C. D. III 4 p. 101, 5 sqq.; cf. Schwarz. p. 447.

Eiusdem Varronianae disputationis frustula quaedam extant his locis: C. D. IV 31 p. 186, 11—14. 21—29; IV 9 p. 156, 30—157, 13; de cons. ev. I 22, 30. 23, 34[1]):

C. D. IV 9:

Iovem deorum omnium dearumque regem volunt, hoc eius indicat sceptrum, hoc in alto colle Capitolium. [[De isto deo, quamvis a poeta dictum, convenientissime praedicant: 'Iovis omnia plena']][2]). Hunc Varro credit etiam ab his coli, qui unum deum solum sine simulacro colunt, sed alio nomine nuncupari. Quod si ita est, cur tam male tractatus est Romae sicut quidem et in ceteris gentibus, ut ei fieret simulacrum? Quod ipsi etiam Varroni ita displicet, ut... nequaquam dicere et scribere dubitaret, quod hi, qui populis instituerunt simulacra et metum dempserunt et errorem addiderunt.

C. D. IV 31:

Dicit idem auctor (sc. Varro) quod hi soli ei videantur animadvertisse, quid esset deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem .... Dicit etiam antiquos Romanos plus annos CLXX deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc, inquit, mansisset, castius dii observarentur. Cui sententiae suae testem adhibet inter cetera gentem Iudaeam, nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis et metum dempsisse et errorem addidisse.

de cons. ev. I 22, 30 sqq.:

Varro deum Iudaeorum Iovem putavit, nihil interesse censens, quo nomine nuncupetur, dum eadem res intellegatur ... Nam quia nihil superius solent colere Romani, quam Iovem, quod Capitolium eorum satis aperteque testatur, eumque regem omnium deorum arbitrantur, cum animadverteret Iudaeos summum deum colere, nihil aliud potuit suspicari, quam Iovem ... Dicunt se Iovem [[non hominem mortuum]] colere [[nec homini mortuo]] Capitolium dedicasse, sed spiritui vivificanti omnia, quo mundus impletur.

Hac disputatione Varro postquam breviter suam de veri dei natura sententiam pronuntiavit, hunc philosophorum deum eundem esse docuit, quem Romanorum Iovem[3]). Idem censere ipsos cives Romanos, cum ei ut deorum regi sceptrum atque Capitolium darent. Hunc deum esse eundem, quem Iudaei sine simulacro colerent, atque, ut apud Iudaeos, ita etiam apud veteres Romanos deos sine simulacris fuisse; quod si mansisset, futurum fuisse ut castius etiamtum dei observarentur,

1) Cf. C. D. VII 5 p. 280, 23—28; VI 1 p. 243, 13 sqq. XIX 22 p. 392, 18 sqq. de cons. ev. I 23, 35. 36.

2) His uncinis [[ ]] inclusi Varronis verba cum Augustini additamentis eum in modum coniuncta, ut separari nequeant.

3) Ea Varronis verba, quae Augustinus Cons. Ev. de Iove servavit, C. D. IV 9 Vergilii versu reddit.

quoniam e simulacrorum institutione insolentia et error nata essent. Hic ubique suam vel philosophorum sententiam cum civium opinionibus comparat ita, ut a quorum partibus ipse stet non praetermittat; hac vero eadem ratione utitur eo loco, de quo modo diximus, qui legitur apud Augustinum C. D. IV 31, p. 185, 18—32, eodem scilicet capite ineunte, in quo etiam alter ex his locis, de quibus nunc res est, extat. Ergo Augustinus toto capite 31 eundem Varronis locum expilavit, nisi quod p. 186, 1—5 nonnulla ex 'alio' atque superiore loco arcessita interposuit. Denique cum eodem spectent, quae cum his consociata e Varrone referuntur C. D. IV 32 (= VI 6 p. 257, 14 sqq.), et haec ibidem collocanda sunt.

Praeter hos unum tantum adhuc repperi locum, R. D. libro I tribuendum: C. D. VI 9 p. 263, 21 sqq. (= IV 18 p. 167, 10 sqq.), ubi omnes deos secundum Varronem bonos existimandos esse refertur. Hoc enim certe docuit, cum de deorum natura, id est virtute ageret. Atqui commemorat Boethius de diis et praes. (in Cic. ed. Orell. V 1 p. 392, 2 sqq.): „Videtur quibusdam haec sententia, qua ait Cicero (Top. 20, 76) 'deorum virtus natura excellit, hominum autem industria', ex libris M. Varronis, hominis acutissimi, de humanis et divinis rebus, ubi de theologiae divisione agitur, succincte per transitum mutata"[1]. De theologiae divisione egit in libro I: ergo hic exposuit, quid de deorum natura existimaret.

De R. D. libro XIV.

Augustinus cum ineunte libro C. D. VII quaerit, quam rationem secutus Varro deos 'selectos' selegerit, scribit cap. 2 p. 274, 14 sqq.: „Haec numina . . . si propterea selecta dicuntur, quia opera maiora ab his administrantur in mundo, non eos invenire debuimus inter illam quasi plebeiam numinum multitudinem minutis opusculis deputatam. Nam ipse primum Ianus, cum puerperium concipitur, unde illa cuncta opera sumunt exordium minutatim minutis distributa numinibus, aditum aperit recipiendo semini. Ibi est et Saturnus propter semen ipsum; ibi Liber . . . ibi Libera . . . Sed ibi et dea Mena . . . Vitumnus et Sentinus." VII 3 p. 276, 31 sqq. addit: „Ibi posuerunt et Mentem . . . et Minervae per ista minuta opera puerorum memoriam tribuerunt." Conscripsit igitur Varro in R. D. opere singularem quendam librum, quo 'quasi plebeia numinum multitudo minutis opusculis deputata' ita continebatur, ut aliquot dii maiores interponerentur. Quem librum esse R. D. librum XIV de diis certis testatur Serv. interp. ad Verg. Aen. II 141.

Huius libri dispositionem ab ipso Varrone, ut apparet, expressam accipimus C. D. VI 9 p. 266, 9 sqq. atque Augustinus hunc

---

1) Quae Varroniana apud ipsum Ciceronem Boethium ducem sequentes inveniamus, alibi quaerendum est.

ordinem in diis enumerandis in universum servat, licet in singulis nonnulla demutet. Quod hac demonstretur tabella:

			IV 11	IV 21	IV 34	VI 9[1])	IV 8	IV 16	VII 2. 3.
	Dii qui ad ipsum hominem pertinent	Dii, qui pertinent ad semina concepta vel concipienda	3			2			7
		Dii qui hominem a prima infantia usque ad nuptias producunt	23	11	5 dii pueriles	2	4	4	4
		Dii nuptiales vel coniugales	3	dii nuptiales	dii coniugales	13			
Dii, qui non ad ipsum hominem pertinent	Dii qui ad victum pertin.	Dii agrestes, pecuarii, pomarii		dii agrestes 1	6		16		
	Dii, qui ad alia pertin., quae huic vitae necessaria sunt	Dii bellici		4	3				
		Dii pecuniarii		3					
		Dii, qui ad loca pertinent					8		

C. D. IV 21 suo loco commemorantur dii 'nuptiales' et 'agrestes' nullis praeter Fructeseiam nominibus appositis. Sub finem capitis Augustinus e diversis locis collectos praebet Fessoniam Pelloniam Apollinem Aesculapium Spiniensem Rubiginem[2]), quos ideo in unum locum contulit, ut numina, quae mala depellerent, Romanis omnino colenda non fuisse ostenderet, si Felicitas vera dea esset. Simile consilium secutus initio eiusdem capitis coniunctos praemittit Mercurium et Minervam, qui doctrinam praeberent, et Catium patrem, qui catos i. e. acutos faceret[2]). Atque ultimum hunc deum ad Varronem redire per se patet (cf. Varr. L. L. VII 46). De ceteris, quamvis dubitanter, idem iudicaverim, quoniam et de Minerva Varro simile docet apud Aug. C. D. VII 3 p. 277, 4 et de Mercurio Augustinus haec quidem vix de suo addere potuit.

IV 34 Augustinus cum Iudaeos sine ista deorum minutorum turba in maximis periculis servatos esse exponit, Varronis ordinem quattuor diis agrestibus post bellicos collocatis mutavit, Iudaeorum

1) Intercidonam Pilumnum Deverram e libro XIV petitos esse contra Merkelium recte demonstrat Schwarzius p. 454.

2) Haec numina in conspectu supra proposito non enumeravi.

varia fata respiciens. Nymphas Lymphasque e Varrone arcessitas esse docet Serv. interp. ad Verg. Aen. XII 139 (cf. Aug. C. D. IV 22 p. 172, 29), at num Neptunus eodem referendus sit, dubio obnoxium est, cum huius dei Augustinus ita mentionem faciat, ut non nisi ad Iudaeos pertineat.

Verum cave ne Varronem meras deorum syllogas aut exiles divinorum officiorum enumerationes composuisse credas. Cui opinioni obstant ampli illi de Carmentibus et Vaticano tractatus, quos e R. D. libro XIV affert Gellius N. A. XVI 16 III 17 et quae de Intercidona Pilumno Deverra Priapo ipse Augustinus C. D. VI 9 tradit. Itaque si in eodem capite p. 263, 4 sqq. de Libero et Libera praeter ea, quae ipso Augustino testante (VII 2) in hoc R. D. libro XIV exposita fuerunt, alia de horum deorum sacris rebusque cum his tam arte coniuncta leguntur, ut separari nequeant: haec indidem fluxisse manifestum est.

Iam ea velim numina respiciamus, quae Augustinus uno tenore tractat C. D. IV 14 sqq., Victoriam dico et Felicitatem, Fortunam, Virtutem, Fidem, Pudicitiam similia, quorum proprium est nomina ipsa earum rerum habere, quas praebere credebantur. Quae cum Augustinus partim in illis syllogis enumeret (Fortunam et Iuventutem C. D. IV 11, Quietem IV 16, Mentem, Victoriam, Honorem, Pecuniam IV 21), partim expressis verbis huic libro R. D. XIV tribuat (Mentem, Virtutem, Felicitatem C. D. VII 3 p. 277, 11 sqq.): consentaneum est credere indidem eum non pauca in capita 14 sqq. recepisse. Sed antequam singula percurramus, interim alium locum adeamus C. D. IV 24, ubi philosophus quidam Virtutem Honorem Concordiam Victoriam Felicitatem non rerum quasi notiones sed veros deos esse demonstrat. Hunc philosophum revera Varronem fuisse, id quod per se veri simile est, inde elucet, quod hoc loco praeter talia numina, quae in R. D. libro XIV inveniuntur, nulla commemorantur; imprimis hae deae Bellona Segetia Cunina Bubona Varronem resipiunt. Ceterum Cicerone (N. D. II 23, 60) Augustinum non usum esse ostendit Schwarzius p. 442. Sed ut Varro exponendum esse censebat haec numina a philosophis iure in deorum numero haberi, ita eadem revera a Romanis publice coli in ipso hoc R. D. opere ostendere debebat. Atque quibus ex argumentis hoc evicerit, facile perspicies, si haec mecum consideraveris: In libro R. D. XVI cum de Tellure ageret, pontifices quattuor diversis diis, qui ad terram pertinerent, sacra facere atque 'hos omnes suis nominibus appellatos, suis officiis distinctos, suis aris sacrisque veneratos' esse refert (vd. Aug. C. D. VII 23 p. 303, 18 sqq. IV 10 p. 159, 1 sqq.). Ibidem Ianum a Iove Romanos distinguere docet, cum 'seorsus eis instituissent templa, seorsus aras, diversa sacra, dissimilia simulacra (C. D. VII 10 p. 287, 17 sqq.). Eodem argumento e Varrone desumpto Augustinus contra ipsum eum utitur C. D. VII 15, cum scribit p. 293, 28 sqq.: „(Multis stellis) nullas aras,

nulla sacra, nulla templa fecerunt, nec deos non dico inter hos selectos sed ne inter illos quidem quasi plebeios habuerunt", cf. C. D. IV 11 p. 162, 12sqq. Et revera novos deos ita inter Romanos receptos esse notum est, ut templum eis vel ara vel delubrum et sacra publice statuerentur; cuius rei ex antiquis auctoribus unum Ciceronem testem praebere satis est, apud quem similia leguntur N. D. III 17. 18, imprimis §§ 43. 47. His igitur indiciis ipse Varro usus deos publicos populi Romani illos fuisse ostendit. Itaque, ut redeamus unde egressi sumus, quod in his potissimum capitibus IV 18sqq. tam multa de templis, aris, sacris verba fiunt, hoc non casu quodam factum est ita, ut Augustinus, nescio quo consilio, modo R. D. librum VI modo librum XIV evolveret[1]), sed in eodem usque libro sanctus pater commoratus est. Adde quod, quae IV 18 de Felicitatis et Fortunae templis arisque commemorat, ea a dearum interpretationibus solvi minime possunt[2]).

Iam quaeritur, unde Augustinus hauserit, quae IV 19 de Fortunae Muliebris simulacro tradit similia vel paria eis, quae leguntur apud Dion. Hal. A. R. VIII 55. 56. Val. Max. I 8, 4. Lact. I. D. II 7, 11. Plut. Fort. Rom. V 1, Vit. Cor. 37[3]). Scripserunt de hac re Th. Mommsenus Röm. Forsch. II 119sqq. H. Jordanus Eph. ep. I 234 sq. Bogdanus Kriegerus Quib. fontt. Val. Max. usus sit (Berol. 1888) p. 50sqq.

Atque Jordanus Dionysium quae praeberet cap. 55 ex alio fonte petiisse demonstravit quam quae, suis ineptiis deformata, traderet cap. 56, atque hunc alterum fontem etiam a Valerio Maximo expilatum esse ostendit. Enucleantur autem e Dionysii prolixitate erroribusque hae fere alterius auctoris sententiae: 'Simulacrum Fortunae Muliebris a mulieribus dedicatum secundum pontificum libros non semel sed bis locutum est: „Rite me, matronae, dedistis". Loquebatur autem duobus diversis diebus, primo, quo ipsum una cum templo consecratum est, altero, quo altera Fortunae muliebris sacra annuaria facta sunt.' Hoc de altero die Dionysium de suo addidisse Jordano placet; sed cum auctorem communem de consecrationis die egisse e Valerio concludendum sit, nescio an ille de duobus illis diebus festis, quos huic deae Romanos vovisse constat (vd. Jordanum l. l. p. 235), verba fecerit atque inter hos et duplex illud deae testimonium rationem quandam intercedere voluerit[4]). Verum de hac re certi nihil affirmaverim. Iam Augustinus

1) Hoc false opinatur Schwarzius p. 443.

2) Varronem in R. D. libro XIV et alibi aras vel sacra commemorasse confirmant et Gellius N. A. XVI 16, 2 (de Carmentibus) III 17 (de Aio Locutio) et Augustinus C. D. VI 9 de Libero et Libera.

3) Lactantium statim mittemus, cum per totum illud caput e Valerio Maximo pendeat: I 8, 1. 4. 3. 2; I 1, 17. 20. 19. I 1 ext. 1. 5. I 7, 4. 2. Neque Plutarchum in usum vocare licet, quippe quem utroque loco Dionysio sua debere Mommsenus certissime probaverit.

4) Kriegerus nihil certi proficit, cum (Jordanum male intellegens)

cum Valerii et Dionysii altero loco (cap. 56) ita congruit, ut aut ex ipso Valerio aut ex illorum auctore pendeat. Illud viro summo, Mommseno[1]), hoc mihi veri videtur similius. Nam cum Augustinus Valerio nusquam sit usus[2]), ea autem quae praecedunt quaeque sequuntur a Varrone recepta referat, quem haud raro a Valerio adhibitum esse ostendit ipse Bogdanus Krieger et cum hanc ipsam de Fortuna muliebri fabulam non modo ita irrideat, quasi eam non ex alio quodam auctore sed ex eodem, unde cap. 18 repetierit, verum etiam de cultu ei a Romanis instituto referat, qua in re eum Varronis morem gessisse vidimus: Varronem et ab Augustino et a Valerio exscriptum esse crediderim. Atque res aliquantum quidem firmari videtur inde, quod Dionysii teste tota fabula e libris pontificalibus originem duxit, libros autem pontificales Varro ut fontes gravissimae auctoritatis sescenties in usum vocavit. Iam ut videamus, quem Varronis librum Augustinus Valerius Dionysius adhibuerint, Augustinum R. D. librum XIV adiisse credi ipse sententiarum nexus iubet, quod idem de Valerio Dionysioque crediderim, nisi forte Varronem duobus locis (sc. in R. D. libro VI et XIV) de eadem re eadem eisdem verbis exposuisse opinaris.

Sub finem pauca addiderim de hoc loco C. D. IV 21 p. 170, 26 sqq.: „Ars bene recteque vivendi virtus a veteribus definita est. Unde ab eo, quod Graece ἀρετή dicitur, virtus nomen artis Latinos traduxisse putaverunt." Haec e Varroniana de dea Virtute expositione profecta esse inde colligo, quod Varro in eo libro, quem de philosophia conscripsit, ap. Aug. C. D. XIX 3 virtutem definivit 'artem agendae vitae' vel 'artem vivendi'. Atque similiter eum de arte et ἀρετῇ in Disciplinarum libris egisse sequitur e Cassiod. de art. ac disc. lib. art. praef. KGL VII p. 213.

De R. D. libro XVI.[3])

Longe maximum libri XVI fragmentorum numerum praebet Augustinus in libro C. D. VII, in quo contra Varronis de diis selectis librum se pugnare confitetur (cap. 1). Hunc librum cum conscriberet Varro id se studuisse ipse profitetur[4]) (ap. Aug. C. D. VII 5 p. 281, 15 sqq.), ut theologian civilem ad theologian naturalem referret.

---

ad alterum fontem multo pauciora revocet atque eandem rationem inter Valerium et Plutarchum, quam inter Valerium et Dionysium interesse ratus quaestionem in Plutarchi auctoritate exaedificet.

1) Idem e verborum similitudine concludit Schwarzius p. 443 adn. 1, quem tamen effugit, quid in hac quaestione maxime spectandum sit.

2) Illa de ludorum Romanorum instauratione (IV 26) Augustinum Valerio non debere ipse Mommsenus demonstravit.

3) De R. D. libro XV agetur, ubi deorum certorum, incertorum selectorum notiones describentur. Ceterum huc pertinent hi quattuor Augustini loci: C. D. VII 17, VII 28 de Penatibus, (cf. supra p. 11 sq.), IV 23 p. 174, 11 sq. de diis Consentibus, VI 7 p. 259, 1 sqq. de Acca Larentia.

4) Hoc apparet ex his Augustini verbis: „In quo (sc. de dis sel.

Quapropter de naturali theologia nonnulla praelocutus est, vel potius paucissima, auctore Augustino l. l. p. 281, 13. Excusavit autem cum alia tum simulacrorum cultum, ut Augustinus testatur, qui singularem quandam istius expositionis enuntiationem[1]) ita aggreditur VII 5 p. 281, 11 sqq.: „Unde intelligitur, totam eius theologian, eam ipsam scilicet naturalem, cui plurimum tribuit, usque ad animae rationalis naturam se extendere potuisse. De naturali enim paucissima praeloquitur eqs." Deinde pergit VII 6 in.: „Dicit idem Varro adhuc de naturali theologia praeloquens."

His quae modo exscripsi verbis Augustinus alterum quod huc pertinet fragmentum inducit[2]), quo explicatum est, quae et quales animae rationales praeter animum universalem in mundo essent et quibus in partibus mundi habitarent. Hic igitur, ut expressis verbis moneam, neque exposuit, quae ratio inter unum verum deum et ceteros deos esset, neque demonstravit a populis praeter illum deum universalem alios deos recte credi, quae tamen in hac praefatione physica eum praetermisisse vix censebis. Atque profecto talia eum exposuisse legimus apud Augustinum C. D. VII 23 p. 301, 22 sqq. copiosissimo de tribus animae gradibus loco[3]), quem omnes viri docti exceptis Krahnero et Schwarzio in praefatione illa collocare non dubitaverunt. Me ut veterum auctoritatem sequar praeter ea, quae dixi, imprimis id movet, quod Augustinus has de tribus animae gradibus et illas de animo universali doctrinas, quas C. D. VII 6 e praefatione naturali arcessitas praebet, coniunctas aut irridet aut significat C. D. VII 29 p. 312, 15—21; VII 16 p. 296, 4—8, de doctr. Chr. I 1, 7. 8; de ver. rel. 54, 109, quos locos quin conscripserit de Varrone cogitans, mihi quidem vix dubium est.

Sed Schwarzius (p. 460) et Krahnerus (Cur. p. 5) ex Augustini verbis VII 23 p. 302, 9: „Redeat ergo ab hac eqs.", et ex v. 20 sqq.: „Fieri enim potest, ut eqs. adhuc tamen hunc librum versans eqs." collegerunt, 'Varronem cum illa de tribus animae gradibus exponenda aggressus esset, iam hunc librum aliquamdiu versavisse'. Quod false collectum esse perspicietur, si totius capitis nexus examinabitur. Interrogat enim Augustinus, cur Tellus dea sit. Respondetur: „Quia fecunda est." Hoc argumentum, quod nescio an ab ipso eo excogitatum putaveris, revera e Varrone arcessitum esse probatur comparato hoc loco C. D. VII 30 p. 313, 14[4]). His refutatis alterum

libro) videbimus, utrum per interpretationes physiologicas ad hanc naturalem possit referre civilem."

1) VII 5 p. 281, 9 sqq.: „Fatetur interim (sc. in illa simulacrorum excusatione) vir doctissimus animam mundi ac partes eius esse veros deos." Verba repetit VII 9 p. 286, 18 sq.

2) Huius fragmenti partem denuo affert VII 9 p. 286, 20 sqq.

3) Ad eundem locum spectat C. D. VII 3 p. 275, 24 sqq. VII 13 p. 291, 7 sqq.

4) „Qui terram ... fecundat," (sc. Deus est, non Tellus). Vd. Schwarz. l. l. p. 462.

inducit argumentum: „Pars animae mundi, quae per terram permeat, deam facit.“ Varronem hoc protulisse eundemque cum anima mundi hominis animam per totum corpus transeuntem contulisse — qua re lepide hic abutitur Augustinus[1]) — inde perspicitur, quod iam eundem locum, quo in irridendo Varrone modo usus est, his verbis ex illo se repetiisse tradit: „Et certe idem Varro (sc. idem, qui Tellurem ut partem mundi divinaeque participem animae recte in deorum numero haberi dicit) in eodem de diis selectis libro (sc. in quo de Tellure dea agens haec protulit, alio autem loco) tres esse adfirmat animae gradus, unum eqs....; tertium gradum esse animae summum, quod vocatur animus...; hoc praeter hominem carere omnes mortales. Hanc partem animae mundi dicit Deum...; cuius vim, quae pervenit in astra ea quoque facere deos, et per ea quod in terram permanat, deam Tellurem eqs.“ Haec (e theologia naturali petita) quoniam aliqua ex parte Augustinus priusquam laudaret refutaverat, ad illam, unde profectus est, sententiam e tractatu de Tellure (i. e. e civili theologia) petitam sententiam (cf. p. 302, 26) rediturus suo iure pergit: „Redeat ergo ab hac, quam theologian naturalem putat, quo velut requiescendi causa ab his (sc. theologiae civilis) ambagibus atque anfractibus fatigatus egressus est; redeat, inquam, redeat ad civilem; hic eum adhuc teneo, tantisper de hac ago.“ Varro igitur in illo de animae gradibus tractatu fines totius operis, hoc est civilis theologiae, se egressum esse ipse professus est, naturali eum tribuit theologiae, id est philosophiae. Quae cum Augustinus, ut modo diximus, falsa sibi videri iam antea aperuerit (p. 301, 17 sqq.), redire egressum iubet ad theologian civilem, hoc est ad ipsum hunc de Tellure dea locum, quem ineunte capite tetigerat. Non cum illis philosophorum opinionibus sibi nunc rem esse pergit eandem sententiam repetens magis quam continuans (p. 302, 13—26), sed cum Varrone, ut theologo civili, sibi item atque antea agendum esse (vd. v. 20: „nunc autem istum adhuc politicum volo“); fieri enim posse, ut Varro illas philosophorum sententias, quae tam facili opera refutentur, non philosophandi causa proposuerit, sed religionis civilis defendendae causa. Hoc proximum his verbis exponit v. 20 sqq : „Fieri enim potest, ut, licet in illam naturalis theologiae veluti libertatem caput erigere paullulum voluisse videatur, adhuc tamen hunc librum versans et se in illo versari cogitans (i. e. cum hoc R. D. opus, quo civilis, non naturalis religio continebatur, adhuc versaret vel nondum confecisset et in tali civili, ut ita dicam, libro se versari sibi conscius esset) eum (sc. huius argumenti librum) etiam inde (sc. ubi ad naturalem theologian egressus de animae gradibus verba facit) respexerit et hoc (sc. de animae gradibus) propterea dixerit, ne maiores

1) p. 301, 18 sq.: „... in hominibus anima ... et tamen homines dii non habentur.“

eius sive aliae civitates Tellurem atque Neptunum inaniter coluisse credantur (i. e. ut civiles religiones defenderet)." Quodsi propter ipsa haec verba „adhuc hunc librum versans" Schwarzius tractatum illum in principio libri XVI collocatum fuisse negat, 'quia pateret Varronem cum illa exponenda aggressus esset, iam hunc librum aliquamdiu versavisse' concedo illa verba e sententiarum nexu soluta sic accipi posse; universo autem capiti talis interpretatio minime convenit. Neque enim — quod Schwarzio statuendum erat — verba 'adhuc versans' premit Augustinus, sed pronomen 'hunc' (sc. librum de theologia civili scriptum) premit, cui opponat 'inde', hoc est ex egressione illa, qua philosophe de anima mundi verba fecit. Quae egressio cum ultimo totius operis libro praemissa sit, facile explicatur, cur Augustinus 'adhuc tamen' dixerit; si minus, ipsum Varronem fac dixisse se alio opere fusius haec explicaturum. Sed alius verbo 'adhuc' non potest subesse sensus nisi quem supra proposui: „cum nondum philosophiam sed adhuc theologian civilem tractaret[1]). Ergo Augustini quidem verbis minime prohibemur egressionem illam in principio libri collocare, quam Varro cur in medio libro posuerit, nulla invenitur causa.

Quos deos Varro hoc libro tractandos selegerit, docet Augustinus C. D. VII 2 p. 274, 8 sqq.; quare hos potissimum selegerit, refert C. D. VII 17 p. 295, 27 sqq. Quibus de locis copiosius agam, cum de notione deorum certorum incertorum selectorum proprie res erit. In his capitibus C. D. VII 7—16. 18—22. 23 fin. 24. 26. 30 quae de singulis diis Augustinus ferat Varroniana, plerumque recte exposuit Schwarzius p. 460 sqq., quare equidem idem tractare mitto, nisi quod hic illic nonnulla vel addenda vel corrigenda videntur.

Quod ad Ianum attinet, extant duae bifrontis imaginis interpretationes, quorum altera VII 8 in. expressis verbis Varroni datur, altera VII 8 p. 284, 20 sqq. auctore non nominato affertur. Quae cum accurate ei interpretationi respondeat, quam Varro de Iano quadrifronte praebuit (vd. Aug. C. D. VII 8 p. 284, 16 sqq.), non sine iure ad eundem fontem refertur; namque Varro eiusdem rei plures explicationes saepius protulit velut cum in medio libro XVI de ipso Iano scribit (ap. Aug. VII 28 p. 310, 31): „Ianum alii caelum, alii dixerunt esse mundum." Denique capite 8 exeunte p. 284, 24 sqq. alteram cavillatur Augustinus Iani gemini vel bifrontis interpretationem respondentem ei, quam de Iano bifronte capite ineunte e Varrone arcessivit; nam bifrontem Varro cum hominis ore vel pa-

1) Quae inde a verbis 'sed hoc dico (p. 302, 26 sqq.) sequuntur, ad nostram rem non pertinent. Quare satis est commemorare Augustinum id, quod iam inde a verbis 'sed pars animae mundi' (p. 301, 16) in animo habebat, verbisque 'hic eum adhuc teneo' (p. 302, 12) praenuntiaverat, perficere. Demonstrat enim, si Tellurem, ut partem mundi divinae animae participem, deam esse recte credatur, alios Romanorum deos a Varrone per interpretationes physicas false ad terram relatos esse.

lato contulerat (cf. Cic. N. D. II 18, 49), quadrifrontem 'gentiles', ut ait pater, similitudine quadam explicuerunt, quae ei cum piscis faucibus esset. Haec igitur Varroni tribuenda sunt.

De Iovis potestate (C. D. VII 9. VII 30) et cognominibus (VII 11. 12) nihil adiciendum est, nisi quod hunc locum Schwarzius non dignum habuit, quem in fragmenta reciperet, C. D. VII 10: „Cum ergo et Ianus mundus sit et Iuppiter mundus sit unumque sit mundus, quare duo dii sunt Ianus et Iuppiter? Quare seorsus habent templa seorsus aras, diversa sacra dissimilia simulacra? Si propterea, quod alia vis est primordiorum (cf. gr. ἀρχή), alia causarum (cf. αἴτιον), et illa Iani, illa Iovis nomen accepit . . ." Schwarzius igitur proprio Marte ipsum Augustinum haec sibi finxisse nescio an crediderit ex illis verbis, quae paullo ante collaudaverat cap. 9: „Penes Ianum sunt prima, penes Iovem summa". Sed etiamsi e 'primis' 'primordia' efficere potuit, e 'summis' 'causam' certe non effecit, atque certum fontis sui locum se inspexisse ipse iudicat VII 11 p. 288, 16 sqq.: „Puto inter se propinquiora esse causas rerum atque primordia, propter quas res unum mundum duos deos esse voluerunt, Iovem atque Ianum, quam continere mundum et mammam dare animalibus." Ultimis vero verbis adludit ad Iovis cognomina Tigillum et Ruminum a Varrone commemorata (vd. cap. 11 in.): ergo et priora illa et totus capitis 10 locus ad Varronem redeunt.

Augustinus C. D. VII 19 p. 298, 9 sqq. contra ea, quae Varro de Caelo a Saturno filio castrato dixerat, ita pugnat: „Sed ecce Saturnus si Caeli est filius, Iovis est filius. Caelum enim esse Iovem innumerabiliter et diligenter affirmant. Ita ista, quae a veritate non veniunt, plerumque et nullo impellente se ipsa subvertunt." Unde veri simile est Varronem de Iove praeter notissimam illam mundi interpretationem et hanc attulisse, qua ad caelum revocabatur[1]). Atque profecto etiamsi et hanc alteram pro sua venditaverit (id quod Augustinus quidem indicare videtur), sibi ipsi non repugnat; arbitratur enim in huius libri praefatione (Aug. C. D. VII 6) „deum (sc. universalem) esse animam mundi (= aethera = ignem = caelum) et hunc ipsum mundum esse deum; sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem, ita mundum deum dici ab animo, cum sit ex animo et corpore"; cf. L. L. V 59 sq. R. D. I ap. Tert. ad nat. II 2 p. 97, 12 sqq., Prob. Verg. Ecl. VI 31 p. 18 K.[2]). Quae cum ita sint, Varronis etiam sunt sententiae, quas Augustinus perstringit C. D. VII 16 p. 294, 16 his verbis: „Mundus .... Iuppiter et caelum Iuppiter."[3])

---

1) Hanc sententiam sequitur in R. D. XV apud Aug. C. D. VII 28 (de Penatibus).

2) „Sin vero caelum pro igni intellexerimus, quem eundem mundum et κόσμον dictum probat Varro in Cynicis quam inscribit Dolium aut Seria sic eqs.

3) E duobus diversis Varronis locis Augustinus conglutinavit, quae

Saturnum fabulasque de Saturno traditas ipse Varro ad semen rettulit, vd. Aug. C. D. VII 19 p. 298, 15 sq. Sed praeterea notissimam illam interpretationem eum aut laudavisse aut laudatam redarguisse putandum est, qua Graeci Saturnum i. e. Κρόνον ad χρόνον referebant. Legitur enim apud Aug. C. D. VI 8 p. 261, 24 sqq.: „Saturnum suos filios devorasse ita nonnulli interpretantur, quod longinquitas temporis, quae Saturni nomine significatur, quidquid gignit ipse consumat, vel sicut idem opinatur Varro, quod pertineat Saturnus ad semina, quae in terram, de qua oriuntur, iterum recidunt." Ubi verbis illis 'idem Varro' vix aliud quidquam significari potest, quam Varronem etiam illam 'nonnullorum sententiam' commemoravisse. Atque cum eodem modo Tertullianus (ad nat. II 12) praeter propriam Varronis sententiam et hanc Graecorum de tempore opinionem proferat, mihi quidem non dubium est, quin haec similitudo inde nata sit, quod ambo scriptorum ecclesiasticorum loci ad Varronem redeunt.

Contra ea, a quibus Varro de deabus agendi initium fecit, (C. D. VII 28 p. 320, 27 sqq.), Augustinus, ut monui, ita pugnat, ut eum sibi constare neget, quod hoc quidem loco omnes masculos deos ad caelum, omnes feminas ad terram, alibi autem nonnullos deos ad terram, deas ad coelum referendos esse censeret. Sed Varronem male intellexit, qui hoc loco ut disponendi libri XVI rationem redderet, exposuit, cur masculorum deorum seriem a Iano i. e. caelo, feminarum a Tellure i. e. terra exordiretur.

C. D. VII 16 p. 294, 12 sqq. leguntur: „Quandoquidem etiam Matrem Magnam eandem Cererem (sc. de qua paullo ante dictum erat) esse volunt[1]), quam nihil dicunt esse, quam terram, eamque perhibent et Iunonem et ideo ei secundas causas rerum tribuunt." Hoc de Iunone sine dubio Varro scripsit, cum hanc deam proprie tractaret, nam eodem spectant, quae ex hoc tractatu profecta leguntur VII 30 p. 313, 15 sqq.; atque prorsus in eundem modum causae principales Iovi tribuebat in ipsa de Iove disputatione. Quam ob rem etiam illud 'Cererem nihil aliud dicunt esse quam terram' ad Cereris tractatum referendum est[2]). — De Iunone Varronem praeter

scribit VII 9 p. 286, 30 sqq.: „Magis Iovi universum solent tribuere ... Ergo et Iovem, ut deus sit et maxime rex deorum (= p. 285, 7 sq. 12 sqq. e tractatu de Iove), non alium possunt existimare quam mundum ut diis ceteris secundum istos suis partibus regnet (= p. 286, 13 sqq. = VII 5 p. 280, 11 sq. 281, 9 sqq. e praefatione physica)." — Ad Varronem omnino non redeunt fabulae illae contumeliosae, quas a populis (non a Romanorum civitate) credi dicit Augustinus C. D. VII 9 p. 286, 1 sqq. Nam praeterquam quod talia referre a consilio et ratione Varronis plane abhorrebat, haec ita pervulgata erant, ut Augustinus certum locum de eis adire opus non haberet.

1) Haec Augustinus non apud Varronem legisse, sed inde collegisse videtur, quod ille utramque deam ad terram rettulit.

2) Totum locum Schwarzius ibi posuit, ubi de Matre Magna agitur.

alia et eam sententiam commemoravisse, qua ad aerem revocabatur, probabile est ex Augustini verbis VII 16 p. 294, 33 sq.: „Iuno secundarum causarum domina et Iuno aer et Iuno terra"; cf. locum consimilem de Iove supra p. 28 med.

Quid Varro de stellis docuerit vel quae ratio apud eum inter Iovis stellam et Iovem, mundi deum, intercesserit, nescio; sed aliquid eum in hoc libro de hac re docuisse constat ex Augustini capp. VII 15. 16. Posidonium illa resipiunt, etsi quid de singulis Varro tradiderit aut Augustinus addiderit, in incerto relinquenda puto. Quam ob rem ne ea quidem, quae de Mercurio et Marte stellis vel deis leguntur C. D. VII 15 p. 292, 25 sq., p. 293, 20 sqq. in Varronis fragmentis collocare ausim, quamquam aliter iudicat Schwarzius p. 485. 486. Ceterum altero loco ('si propter solas stellas Mercurium et Martem partes mundi putant, ut eos deos habere possint') Augustinus ad ea adludit, quae VII 5 p. 281, 9 sqq. VII 9 p. 286, 13 sq. e R. D. libri XVI praefatione physica repetivit, atque id ex eo loco, ubi Varro non de stellis ageret, sed simulacra instituta excusaret

§ 3.

De ceteris, quae Augustinus in hos C. D. libros e R. D. libris recepit.

Augustinus refert VII 22 p. 300, 8 sq. 15. 34 sqq. a Varrone Salaciam alibi undam nuncupatam esse, alibi, ut Neptuni coniugem, aquae partem inferiorem; similiter commemorat VII 23 p. 302, 30 sq. VII 20 p. 298, 27 Proserpinam ab eodem alibi ad terrae fecunditatem, alibi, ut Orci coniugem, ad terrae partem inferiorem relatam esse: unde Schwarzius p. 466 Varronem de deorum coniugiis continuo tractatu secundum Stoicos verba fecisse collegit. Recte is quidem; extat enim ille tractatus apud ipsum Augustinum C. D. IV 10 p. 157, 17—20, 25—30, ubi eum e Varrone pendere non solum locis modo laudatis sed universo totius capitis argumento probatur[1]).

Haec autem commemoravit, postquam IV 9 eum R. D. libri I locum compilavit, ubi Varro exposuit populos a philosophis dissentientes deorum simulacra sexus, generationes coniugia constituisse (vd. C. D. IV 31. 32, supra p. 9. 19 sq.), quamobrem in libro I collocanda videntur, praesertim cum argumenti cognatione arte cum illis cohaereant. Atque hoc etiam ipse Augustinus videtur ostendere, cum scribit VII 23 p. 302, 31: „Ubi eius (sc. Orci) coniux Proserpina, quae secundum aliam in eisdem libris positam opinionem non terrae fecunditas

1) Nimirum Iovi hoc loco aether, Iunoni aer datur; sed hanc quoque sententiam Varro in R. D. libro XV (ap. Aug. C. D. VII 28) et XVI (cf. supra p. 28 med. 30 in.) pronuntiavit; profecto illa interpretatio, qua alibi Iovem ad mundum, Iunonem ad terram referre solebat, non idonea erat, qua hoc loco horum deorum coniugium explicaret.

sed pars inferior perhibetur?" Namque si hoc e libro XVI sumpsisset, nescio an scripsisset 'in eodem libro'. Itaque de brevissima libri XVI praelocutione cogitandum esse Schwarzio non concedo.

Sed extant in hoc eodem capite C. D. IV 10 non pauca, quae revera libro XVI assignanda sunt[1]). Conferas enim:

de Minerva vel summo aethere IV 10 p. 158, 12 = VII 16 p. 294, 19; de Iove vel caelo, de Iunone vel terra[2]) p. 158, 25 = VII 16 p. 294, 32. 34; de Tellure et Tellumone p. 158, 33 = VII 23 p. 303, 13 sqq.; de Matre deum p. 159, 3 sq. = VII 24 p. 304, 10 sq. VII 16 p. 294, 13 sq.; de Cerere vel terra p. 159, 7 = VII 16 p. 294, 13; de Vesta vel terra ignita p. 159, 7 sqq. = VII 16 p. 294, 20 sqq. VII 30 p. 313, 22 sqq. Itaque praeterea ad R. D. librum XVI iure referemus, quae de Minerva e Iovis capite nata p. 158, 13 sq., de virginibus Vestalibus Vestae propter ignis virginitatem attributis p. 159, 10 sq., de Vesta aliquando Veneris nomine nuncupata p. 159, 14 sq. placita exponuntur. Sed Augustinus quod scribit p. 158, 22: „Saturnus, inquiunt, temporis longitudo est" non minus e sua memoria quam e Varronis libris sumpsisse potest.

De deorum potestatibus, quae enumerantur capite IV 11 ineunte recte iudicat Schwarzius p. 441: „Cogitavit Augustinus de Varrone, sed quae enumerata videmus, ex sola memoria hausit. Ceterum de nullo selectorum tantulum discimus." Iam hosce locos IV 11 p. 160, 4 sqq. 161, 26 sqq. 162, 10 sqq. IV 12 p. 162, 28 sqq. Varroni atque primo quidem R. D. libro tribui, quia Augustinus auctorem apertissime indicat his verbis p. 161, 26 sqq.: „Hi omnes dii deaeque sit unus Iuppiter, sive sint, ut quidam volunt, omnia ista partes eius sive virtutes eius, sicut eis videtur, quibus eum placet esse mundi animum, quae sententia velut magnorum multumque doctorum est[3]). Hoc revera Varroni placuit in ea R. D. libri I parte, ubi exponebat, quae ratio theologo politico cum philosophis et poetis esset (vd. C. D. IV 31 al., supra p. 19 sq.). Sed hoc loco tam breviter sententiam suam professus est, ut superiore quodam loco fusius eum de eadem re egisse credendum sit, sc. in ipsa de theologia physica disputatione. Atque quod hic coniectura assecuti sumus, infra, cum ad Tertullianum venerimus, ostendemus; nam Tertulliano teste (ad nat. II 2. 3) Varro illo loco de deo mundano, de mundi animo, de elementis et diis elementorum, de astris copiose egit. Similia etiam in libri XVI praefatione physica docuit (ap. Aug. C. D. VII 6. 23),

---

1) Hoc perspexit etiam Schwarzius p. 438 sq., cuius ad argumenta hoc adicio: Augustinum, cum C. D. VII 1 'in superioribus libris parum de diis selectis se dixisse confiteatur, in libro autem VI nisi de Matre Magna et Saturno (cap. 8) de nullo deorum selectorum dixerit, in libro IV nonnulla protulisse paene necesse est credere.

2) Haec e Varrone, non e Vergilii aliquo commentatore petita esse contra Frickium (Quell. Aug. in XVIII de civ. dei p. 69) Schwarzius recte ostendit p. 439 adn. 2.

3) Cf. p. 162, 28: Nonne debet movere acutos homines eqs.

sed hoc ipsum, quod similia, non paria sunt, impedimento est, quominus nostra ibi ponantur. Restat igitur, ut libro I tribuantur. Eodem rettuli, quae de Iove et ceteris diis ut Iovis partibus Augustinus commemorat VII 13 in., quamquam ex Varronis de Iove disputatione petita esse possunt; sed quoniam haec cum eis, quae modo tractavimus, mirum quantum concinunt, mihi quidem magis probatur Augustinum illo loco memoriter repetiisse, quae in librum IV ex ipso Varrone receperat.

C. D. VII 3 p. 276, 3 sqq. Augustinus ut Varronem nulla certa ratione in diis seligendis usum esse demonstraret, hac utitur argumentatione, quam Varroni ipsi non recte tribuisse nonnullos viros doctos apparebit comparatis inter se his locis:

VII 3 p. 275, 15 sqq.:	VII 3 p. 276, 3 sqq.:
Confert selectus Ianus aditum et quasi ianuam semini (sc. in R. D. libro **XIV**, vd. C. D. VII 2);	Quodsi respondetur, omnium initiorum potestatem habere Ianum et ideo illi etiam, quod aperitur conceptui non immerito attribui;
confert selectus Saturnus semen ipsum (sc. in R. D. l. XIV, vd. ib.);	et omnium seminum Saturnum et ideo seminationem quoque hominis non posse ab eius operatione seiungi;
confert selectus Liber eiusdem seminis emissionem viris, confert hoc idem Libera, quae Ceres seu Venus est, feminis (sc. in R. D. l. XIV, vd. ib.);	omnium seminum emittendorum Liberum et Liberam, et ideo his etiam praeesse, quae ad substituendos homines pertinent;
confert selecta Iuno ... fluores menstruos ad eius, quod conceptum est, incrementum (sc. in R. D. libro **XVI**, cf. C. D. VII 2):	omnium purgandorum et pariendorum Iunonem et ideo eam non deesse purgationibus feminarum et partubus hominum:
et confert Vitumnus ... vitam, confert Sentinus ... sensum (sc. in R. D. libro XIV, cf. C. D. VII 2).	quaerant quid respondeant de Vitumno et Sentino, utrum et ipsos velint habere omnium quae vivunt et sentiunt potestatem.

Duae istae sententiarum series ita inter se respondent, ut ipsum Augustinum alteram e priore ita confecisse appareat, ut ex singularibus deorum muneribus, quae prius enumeraverat, quasi generales potestates deduceret deductasque ab adversariis sibi obici fingeret. Illa autem munera singularia e capite 2 p. 274, 19 sqq. transcripsit, quo ea partim e R. D. libro XIV partim e libro XVI arcessiverat: ergo ex altera sententiarum serie ne tantulum quidem novi discimus.

C. D. IV 23 p. 173, 18 sqq. 174, 7 sq. (cf. IV 15 p. 165, 7) enumerantur nonnulli dii, quibus a Romulo Tatio ceteris regibus templa

pro populo Romano vota essent; similes Tatianos deos enumerat Varro L. L. V 74. In eodem capite p. 174, 27 sqq. (cf. IV 29) refert Augustinus secundum 'homines doctissimos', quid Tarquinio in Capitolio condendo accidisset, cum Mars Terminus Iuventas Iovi cedere noluissent; eadem commemorat Varro in libro II de serm. Lat. ap. Gell. N. A. XII 6, 3. Atque ex eodem fonte, unde illa de Capitolio, profluxerunt etiam, quae de Summano referuntur ibidem p. 175, 28 sqq.; conferas enim haec verba de Martis Termini Iuventatis sacello: „sicut habent eorum litterae" cum his de Summano: „sicut apud ipsos legitur"; similiter ibi dictum est: „... ut hoc vix homines doctissimi scirent", hic: „... ut vix inveniatur, qui Summani nomen ... se saltem legisse meminerit". Haec igitur omnia quin ad Varronem redeant, non dubium est. Exposuit vero ea in R. D. libro I, cum de theologia civili ageret, id quod ostendetur in altera quaestione, ubi de ceteris huius tractatus frustulis apud Tertullianum, Minucium, Lactantium servatis agetur.

De simulacris sacrisque, quorum C. D. VI 7 mentio fit, mihi dicendum non est. Varroniana e Curione in caput C. D. VII 34 transcripta Klausenius (Aen. u. die Penaten II p. 957) R. D. libris false tribuit.

Qua ratione Augustinus in his, quos adhuc tractavi, libris Varronis R. D. libris I XIV XV XVI in usum vocaverit, hac tabella illustrabitur[1]):

Varr. Rer. Div.

lib. I	XIV	XV	XVI
	C. D. IV 8		
C. D. IV 9			
IV 10			C. D. IV 10
IV 11	IV 11		
IV 12			
	IV 14		
	IV 15		
{IV 18	{IV 18		
	IV 19		
	IV 20		
	IV 21		
IV 22			
IV 23			
	IV 24		
*IV 27			

1) Ea capita, in quibus Augustinus diversos Varronis locos comparari diserte affirmat, notis significavi atque * asterisco quidem, ubi eundem, unculis {, ubi plures R. D. libros inspexit.

lib. I	XIV	XV	XVI
*IV 31			
IV 32			
	IV 34		
VI 1			
VI 2			
VI 3			
*VI 4			
VI 5			
*VI 6			
			VI 8
	VI 9		
			VII 1
	{VII 2		{VII 2
	{VII 3		{VII 3
{VII 5			{VII 5
			VII 6—8
			*VII 9
			VII 10
			*VII 11
			VII 12
			*VII 13
			VII 14
			*VII 16
		{VII 17	{VII 17
			VII 18—21
{VII 22			{VII 22
{VII 23			*{VII 23
			VII 24
		{VII 28	*{VII 28
			VII 29
			*VII 30

Hos locos Varronianos ab Augustino vel e memoria sua vel e superioribus ipsius sui operis capitibus depromptos in tabella componenda non respexi:

E R. D. libro XIV de Felicitate C. D. IV 23 in. (cf. C. D. IV 18), de Argentino et Aesculano IV 28 (cf. IV 21), de Fortuna Barbata Iuventate VI 1 s. fin. (cf. IV 11), de Forculo Cardea Limentino VI 7 (cf. IV 8), de dea Pecunia VII 11 (cf. IV 11); e R. D. libro I de Ditis et Proserpinae coniugio VII 28 (cf. VII 23).

§ 4.

Quae Augustinus e Senecae contra superstitiones libro petierit Varroniana.

Seneca in eo libro, quem contra superstitionem scripsit, cuius exilissimae relliquiae extant apud Augustinum C. D. VI 10. 11, hoc ipso teste civilem theologian reprehendit, naturalem praedicavit. Fingit autem adversarium quendam contra philosophorum sententias ita pugnantem (C. D. VI p. 267, 21 sqq.): „Credam ego caelum et terram deos esse et supra lunam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit deum sine corpore, alter sine animo?“ Hunc refellit respondens: „Quid ergo tandem veriora tibi videntur T. Tatii aut Romuli aut Tulli Hostilii somnia? Cloacinam Tatius dedicavit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hostilius Pavorem atque Pallorem.“ Posteriorem locum exscripsit e Varronis de theologia civili tractatu, cf. Aug. C. D. IV 23, vd. supra p. 32 sq. Quare casu factum esse non potest, quod cum priore loco concinunt hae Varronis doctrinae: E R. D. XVI praef. ap. Aug. C. D. VII 6 (cf. supra p. 25): „Ab summo circuitu caeli ad circulum lunae aetherias animas esse astra ac stellas, eos caelestes deos non modo intellegi esse sed etiam videri; inter lunae vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aerias esse animas... et vocari heroas et lares et genios“; e R. D. libro I ap. Tert. ap. 47 (de quo loco in altera quaestione agetur): „Alii incorporalem adseverant, alii corporalem, ut tam Platonici quam Stoici“; ind. ap. Tert. ad nat. II 3: „Elementa, caelum, dico, et terram et sidera et ignem, deos credi proposuit Varro.“ Has igitur sententias, quae ad theologian naturalem pertinent, eidem auctori debuit cui illas de theologia civili, sc. Varroni; neque tamen duos R. D. libros I et XVI eum adiisse credo, sed unum librum I. — Quae de ritibus sacris matrimoniis deorum profert p. 267, 32 sqq. 269, 19 sqq., ab ipso sescenties spectata ad nullum scriptorem redeunt; sed Varronis deos certos in memoria ei versatos esse censeo, cum scriberet p. 269, 24 sqq.: „Populonia vel Fulgora vel diva Rumina... Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo aevo longa superstitio congessit.“

Conspectus deorum certorum, qui nonnullis Augustini et Tertulli capitibus enumerantur. [1]

Tert. ad nat. II 11	Aug C. D. IV 11	Aug C. D. IV 21	Aug C. D. VI 9	Aug. C. D. IV 8	Aug. C. D. IV 16	Aug. C. D. IV 34	Aug. C VII 2
							Ianu
Consevius			*Educa				
			*Potina				Saturn
	Liber		Liber				Liber
	Libera		Libera				Liber
Fluvionia							
							Mens
Vitumnus							Vitumn
Sentinus		*Mercur					Sentin
Diespiter	Diespater	*Minerva					
	*Mena	*Catius					
	Lucina	Lucina				Lucina	
Candelifera							
Carmentes							
	Opis	Opis					
	Vaticanus	Vaticanus					
Farinus							
(Locutius)							
	Levana					*Rumina	
(Cunina)	Cunina	Cunina				Cunina	
*Levana	*Carmentes						
	*Fortuna						
Runcina (?)	Rumina	Rumina					
Potina	Potina					Educa	
Edula (?)	Educa					Potina	
Sta(tina)		Statilinus				dii pue-riles	Aug. C. D. VII 3
(Adeona)		Adeona					Abeona
Abeona		Abeona					Adeona
Domiduca							
(Mens)		Mens					Mens
Volumnus		Volumnus					
Voleta		Volumna					
(Pave)ntina	Paventia						
Venilia	Venilia			Cluacina			
Volupia	Volupia			Volupia			
				Lubentina			
				*Vatica-nus			
				*Cunina			

1) Ordinem servavi, quo patres singulos deos enumeraverunt. Deorum nomina, quae illi Varronis ordinem neglegentes alieno loco posuerunt, asteriscis (*) significavi.

. ad nat. II 11	Aug. C. D IV 11	Aug. C. D. IV 21	Aug. C. D. VI 9	Aug. C. D. IV 8	Aug. C. D. IV 16	Aug. C. D. IV 34	Aug. C. D. VII 3
estitia							
agenor	Agenoria						
	Stimula				Sti-mula		
					Murcia		
	Strenia				Stre-nia		
					Quies		
							Minerva
	Numeria						
	Camena						
onsus	Consus						
	Sentia						
			*Interci-dona				
u)venta	Iuventas						
ortuna barb.	Fortuna barb.		*Pilumnus				
		dii nup-tiales	*Deverra			dii coniu-gales	
fferenda							
	Iugatinus		Iugatinus				
			Domidu-cus				
			Domitius				
			Manturna				
Mutunus	dea Virgi-niensis		dea Virgin.				
Tutunus							
Pertunda							
Subigus			Subigus				
Prema			Prema				
			Pertunda				
	Mutunus		Venus				
	vel Tutunus						
	vel Priapus		Priapus			Priapus	
'ert. ad nat. II 15							
(Vi)duus							
Caeculus							
(Or)bana							
lea mortis (Mors?)							
		dii agre-stes		Rusina			
				Iugatinus			
				Collatina			
				Vallonia			
		Fructeseia		Seia			
				Segetia			
				Tutilina			
				Proser-pina			
				Nodutus			
				Volutina			

Tert. ad nat. II 15	Aug. C. D. IV 11	Aug. C. D. IV 21	Aug. C. D. VI 9	Aug. C. D. IV 8	Aug. C. D. IV 16	Aug. C. D. IV 34	Aug. C. VII
				Patelana			
				Hostilina			
				Flora			
				Lacturnus			
				Matuta			
				Runcina			
						Nymphae	
						Lymphae	
		Mars				Mars	
		Bellona				Bellona	
		Victoria				Victoria	
		Honor				*Segetia	
						*Bubona	Virtu
						*Mellona	*Felicit*
		Pecunia				*Pomona	Pecuni
		Aesco-					
		lanus					
		Argen-					
		tinus					
dii locorum							
Ianuspater							
Iana							
Ascensus							
Clivicola							
Forculus				Forculus			
Car(dea)				Cardea			
Limentinus				Limenti-			
				nus			
		*Fessonia					
		*Pellonia					
		*Apollo					
		*Aescula-					
		pius					
		*Spinien-					
		sis					
		*Rubigo					

Quaestio II.

De Varronis R. D. libris I XIV XV XVI a Tertulliano in libro ad nat. II exscriptis.

Tertullianus scribit ad nat. II 1 p. 94, 15 sqq. (ed. Wissowa-Reifferscheid): 'Elegi ad compendium Varronis opera, qui rerum divinarum ex omnibus retro digestis commentatus idoneum se nobis scopum exposuit.' Cui disertis verbis se ipsum adhibuise Varronem testanti cur fidem negemus nulla reperta est neque reperietur causa. Sed praeter hunc alium quoque auctorem et ipsum Varronis vestigiis ingressum Tertulliano praesto fuisse evincam. Nam cum Fridericus Wilhelmus[1]) Minucii Octavium Tertullianique Apologeticum — brevitatem enim hisce in rebus sequimur — ex eodem fonte derivatos esse demonstraverit[2]), ex eodem etiam in eiusdem Tertulliani libros ad nationes non pauca permanasse me probaturum esse spero.

Libros ad nationes eodem fere quo Apologeticum tempore conscriptos esse e multis locis vel similibus vel congruentibus Hartelius[3]) collegit et permulta ex altero opere in alterum ad verbum fere recepta esse, priorem autem disputationis formam libris ad nationes contineri contendit, concinens ille quidem cum aliis viris doctis, quorum e numero unum affero Noeldechenium (Texte und Untersuch. z. Gesch. d. altchristl. Litt. V 2; Tertullian p. 120. 143), aliis aliter iudicantibus velut Eberto (Gesch. d. christl.-lat. Litt.[1] p. 40). Quae lis cum meà quidem sententia nondum disceptata sit[4]), ita agendum mihi est, ut tam quaeram, quid colligatur, si Apologeticum priorem facimus librum, quam quid sequatur, si contra statuimus.

---

1) De Min. Fel. Octavio et Tert. Apologetico. Bresl. philol. Abh. II 1 p. 1 sqq. — Qui antea Octavium et Apologeticum comparaverint invenies apud Wilhelmum p. 1 sq., Massebieavium Rev. de l'hist. des rél. XVI p. 316, Sittlium in Burs.-Müller Jahresb. 1889, 2 p. 19; cf. etiam K. J. Neumann Der röm. Staat und die allgem. Kirche bis auf Diocletian I p. 241 sqq. et G. Wissowa Gött. gel. Anz. 1891 p. 27 sq. — Apud Schwarzium de Tertulliani duplici fonte nihil extat, unde cur in priore huius disputationis parte raro ad illum respiciam explicatur.

2) Wilhelmo assentiuntur Hartelius patr. Stud. II p. 18, Wendlandius Gesch. d. altchristl. Litt. I, 647, Sittlius l. l. Oblocuti sunt cum alii tum nuperrime male intellecto Minucii cap. 14, 1 M. Schanz (Rhein. Mus. L 114). Ipse cur Wilhelmum sequar infra, puto, satis apparebit.

3) Patr. Stud. II p. 15 sqq.

4) Idem se indicare Harnackius vir doctissimus benignissime mecum communicavit.

§ 1.

Quae per auctorem quendam Christianum e Varronis R. D. libris permanaverint in Tertulliani ad nat. libros[1]) et eiusdem librum Apologeticum[2]), Minucii Octavium[3]), Lactantii Inst. Div. librum I.[4])

Primum quaeramus de fabulis, quas commemorant Tertullianus ap. 14 p. 168, 4—170, 7; ad nat. I 10 p. 78, 22—79, 25; II 13 p. 123, 4 sqq.; II 14; Minucius Oct. 22, 7; 23, 1—7; Lactantius J. D. I 9. 10. 18, quorum locorum argumenta sub uno conspectu propono:

Tert. ap. 14:	Tert. ad nat. I 10:	Min. 22, 7:
		Castores alternis moriuntur. Aesculapius fulminatur. Hercules Oetaeis ignibus concrematur.
		23, 1 sqq.:
'Conversus ad litteras vestras, quibus informamini ad prudentiam et liberalia officia, quanta invenio ludibria!'	'Nec cessat litteratura, qu<in levius> aut turpius aut vana aut falsa de diis inferat. Ab ipso exordia<r vate> vestro . . ., magnificando qui de eis lusit. Adhuc meminimus Homeri.' Apud hunc:	'Has fabulas et ab imperitis parentibus discimus, et . . . ipsi studiis et disciplinis, carminibus praecipue poetarum . . . Et Plato ideo Homerum . . . eiecit'. Apud hunc:
Venus Aenean a Diomede defendens sauciatur;	Venus sauciatur;	Venus sauciatur;
Mars tredecim menses vincitur;	Mars tredecim menses vincitur;	Mars vincitur, vulneratur, fugatur;
Iuppiter ne eandem vim per ceteros caelites experiretur, opere cuiusdam monstri liberatur,	Iuppiter eadem paene a caelitum plebe perpetitur,	Iuppiter a Briareo liberatur, ne a diis ceteris ligaretur,

1) Ed. Vindob. ex recens. Augusti Reifferscheid et Georgii Wissowa.
2) Ed. maior Francisci Oehler Lips. 1853.
3) Ed. Vindob. ex recens. Caroli Halm.
4) Ed. Vindob. ex recens. Samuelis Brandt.

Tert. ap. 14:	Tert ad nat. I 10:	Min. 23, 4 sqq.:
Sarpedonis casum flet,	Sarpedonis casum flet,	Sarpedonem filium cruentibus imbribus deflet,
in sororem foede subat sub commemoratione non ita dilectarum iam pridem amicarum.	cum Iunone luxuriatur commendato libidinis desiderio per enumerationem amicarum.	cum Iunone uxore concumbit toro Veneris inlectus flagrantius, quam in adulteras solet.
'Exinde quis non poeta... dedecorator invenitur deorum?'	'Exinde quis non poetarum in deos insolens ...?'	Alibi
		Hercules stercora egerit;
Apollo Admeto pecus pascit;		Apollo Admeto pecus pascit;
Neptunus Laomedonti muros instituit;		Neptunus Laomedonti muros instituit;
		Vulcanus Iouis fulmen cum Aeneae armis fabricatur;
apud Pindarum lyricum Aesculapius avaritiae merito fulmine iudicatur.		
		Mars et Venus in adulterio deprehenduntur;
		Ganymedes, Iouis stuprum consecratur.

Cf. Tert. ad nat. II 13. 14: Iovis facinora, Herculis facta et occasus; Aesculapii origo, facta, occasus. Lact. I. D. I 9. 18: Herculis facta et occasus; I 10: Aesculapii origo, facta, occasus; Apollinis et Neptuni servitia; Mars homicida; Mars cum Venere adulterat; Castor et Pollux alternis vivunt, alternis moriuntur, Homero auctore ambo mortui sunt; Mercurius fur ac nebulo; Liberi et Iovis facinora.

Minucium et Tertullianum in Apologetici capite 14 ex eodem scriptore ecclesiastico pendere probat Wilhelmus l. l. p. 53 sqq. his potissimum argumentis: Scriptores illi ita inter se discrepant, ut alter alterum expilavisse non possit. Quamquam enim magnam earundem fabularum copiam eodem plerumque ordine commemorant eodem commoti consilio, scilicet ut de ipsorum diis gentiles in 'omni litterarum genere foedissime egisse' ostendant, tamen Minucius solus tradit Castores alternis morientes, Herculem concrematum, Martem

vulneratum et fugatum, Briarei nomen, Iunonem Veneris toro usam, Herculem stercora egerentem, Vulcanum Iovis fulmen et Aeneae arma fabricantem, Martis et Veneris adulterium. Tertullianus autem solus exhibet Venerem Aeneam defendentem, Martem tredecim menses vinctum, Aesculapium apud Pindarum avaritiae merito fulminatum, quae apud Minucium frustra quaeruntur. Atqui quae alteruter plura praebet, non temere de suo addidit; nam eadem extant apud plerosque Graecorum scriptores ecclesiasticos, e quibus unum collaudo Clementem Alexandrinum[1]), qui Protr. II 29 sqq. cum alia tum haec memoriae prodit:

II 29: Mars auctore Homero tredecim menses vinctus est; Vulcanus in Lemno fabricatur. 30: Aesculapius secundum Pindarum avaritiae merito fulminatus est; Castores mortuos esse Homerus, alternis mori ac vivere Cypriacorum auctor refert; Hercules in Oeta monte concrematus est. 33: Venus et Mars adulterant; Ganymedes consecratus est. 35: Apollo Admeto, Hercules Omphalae, Neptunus et Apollo Laomedonti serviunt. 36: Venus et Mars a Diomede vulnerati sunt.

Iam vero Tertullianus, quae profert ap. 14 et ad nat. I 10, II 13. 14, ea tam similibus inter se verbis exprimit, ut alterum locum altero neglecto conscripsisse non possit; praeterea autem in utroque opere eundem fontem denuo adiisse debet, quoniam in utroque nonnulla commemorat, quae in altero opere non extant. Omittit enim ap. 14 Herculis facta et occasum, Iovis facinora, Aesculapii originem et facta; desunt autem in libris ad nat.: Venus Aenean a Diomede defendens, Iuppiter monstri cuiusdam opere liberatus, Apollo et Neptunus servientes. Haec autem magna ex parte inveniuntur apud Minucinm (Herculis occasus, Herculis Apollinis Neptuni servitia), Lactantium (Herculis facta et occasus, Aesculapii origo et facta, Iovis facinora) Clementem (Aesculapi interitus, Apollinis Herculis Neptuni servitia, Veneris vulneratio). Ergo et librorum ad nat. loci ad auctorem illum communem redeunt.

Denique Lactantius item atque Minucius inducit Herculem stercora egerentem et in Oeta monte concrematum, Aesculapium fulminatum, Apollinem et Neptunum servientes, Martem et Venerem adulterantes, Castores alternis morientes. Neque tamen e Minucio pendet, cum et in enarrandis fabulis multo copiosior sit et praeter illa permulta commemoret, quae cum Tertulliano communia habet. Longum est totos exscribere locos (cf. de Hercule I. D. I 9, 1—11; I 18, 3—10 = ad nat. II 14 p. 125, 5—126, 10; de Iove I. D. I 10, 10—14 = ad nat. II 13 p. 123, 4—124, 17); satis est haec proponere de Aesculapio:

---

1) Alios invenies apud Wilhelmum p. 55.

Tert. ad nat. II 14 p. 126, 10 sqq.:

In caelum suble⟨vastis⟩ et alium ignis ex divini vi confectum, qui pauca e⟨xperientiae⟩ ingenia commentus dicebatur mortuos ad vitam recurasse.[1] ⟨Is Apoll⟩inis filius, tam homo, quam Iovis nepos, Saturni pronepos ⟨vel potius⟩ spurius ut incerto patre ut Argivus Socrates detulit[2]), ⟨quemque expositum r⟩epertum, turpius Iove educatum, canino scilicet ubere ⟨hominem fuisse ne⟩mo negare potest, fulmine haustus est.[4]) Malus Iuppiter ⟨Optimus hic rur⟩sus est, impius in nepotem, invidus in artificem. Sedenim Pin⟨darus merit⟩um eius non occultavit: cupiditatem et avaritiam lucri ⟨in eo dicit vindic⟩atam, qua quidem ille vivos ad mortem, non mortu⟨os autem ad vitam⟩ praevaricatione venalis medicinae agebat.[6])

Lact. I. D. I 10, 1 sqq.:

Aesculapius et ipse non sine flagitio Apollinis natus quid fecit aliud divinis honoribus dignum, nisi quod sanavit Hippolytum?[1]) Mortem sane habuit clariorem, quod a deo meruit fulminari. Hunc Tarquitius[3]) de viris illustribus disserens ait incertis parentibus natum[2]) expositum et a venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum didicisse medicinam[5]): fuisse autem Messenium sed Epidauri moratum.

Cf. Tert. ap. 14 p. 168, 16 sqq.: Est et ille de lyricis, Pindarum dico, qui Aesculapium canit avaritiae merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine iudicatum. Malus Iuppiter, si fulmen illius est, impius in nepotem, invidus in artificem.

Socrates Argivus auctor erat Tarquitii, quippe ad quem Lactantius praeter ea, quae Tertullianus Socrati tribuit, nonnulla referat, quae Socrates teste scholiasta Pindarico (vd. adn. 5) docuerat. Neque igitur Tertullianum Lactantius in usum vocavit, ita ut quae ille tradidit aliunde amplificaret, sed verborum similitudo inde nata est,

1) Schol. Pind. Pyth. III 96: λέγεται ὁ Ἀσκληπιὸς χρυσῷ δελεασθεὶς ἀναστῆσαι Ἱππόλυτον τεθνηκότα. Vd. Meinek. An. Al. 149. Cf. adn. 6.

2) Cf. Schol. Pyth. III 14: Σωκράτης γόνον Ἀρσινόης τὸν Ἀσκληπιὸν ἀποφαίνει, παῖδα δὲ Κορωνίδος εἰσποιητόν. Vd. Meineke l. l.

3) De Tarquitio, qui Sullae temporibus floruisse videtur, vd. Teuffel Röm. Litt. 158, 2.


4) Schol. Pind. Pyth. III 102: Ῥίψας δι' ἀμφοῖν] Σωκράτης τὸν Ἀσκληπιόν φησι καὶ τὸν διδάξαντα αὐτὸν Χείρωνα. Socrates igitur Pindarum in usum vocaverat. Cf. adn. 5. 6.

5) Schol. Pind. Nem. III 92: Ἀσκληπιὸς παρὰ Χείρωνι ἐτράφη, ὡς καὶ Σωκράτης ὁ Ἀργεῖός φησιν. Cf. Pind. Pyth. III 80 sqq.: καὶ ῥά μιν Μάγνητι φέρων πόρε (sc. Apollo) Κενταύρῳ διδάξαι πολυπήμονας ἀνθρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους.

6) Pind. Pyth. III 95 sqq.: Ἀλλὰ κέρδει καὶ σοφία δέδεται· Ἔτραπεν καὶ κεῖνον (sc. Aesculapium) ἀγάνορι μισθῷ χρυσὸς ἐν χερσὶν φανεὶς ἄνδρ' ἐκ θανάτου κομίσαι ἤδη ἁλωκότα· χερσὶ δ' ἄρα Κρονίων ῥίψας δι' ἀμφοῖν ἀμπνοὰν στέρνων καθέλεν ὠκέως, αἴθων δὲ κεραυνὸς ἐνέσκιμψεν μόρον.

quod uterque eundem auctorem exscripsit Latinum, qui Socratis testimonium cum Tarquitio coniunctum praebuerat.

Sed ex quo fonte totam illam fabularum collectionem sumpsit Tertulliani Minucii Lactantii auctor? De Varrone quidem cogitare minime licet. Nam Wilhelmus cum Varroni haec tribuit eique R. D. libri I parti, qua theologia mythica tractata erat, Tertulliani ad nat. libros ad 'auctorem communem' redire neglexit. Deinde quod argumentationem in Augustini locis C. D. VI 7 p. 258, 8. 14 exaedificat, nihili est; nam Augustinum ibi Varrone non usum esse demonstravit Schwarzius l. l. p. 453 sqq. Neque eo, quod Varronem in hoc ipso libri I capite 10 bis nominari dicit, movemur: infra (p. 54 sqq.) ostendetur Tertullianum, quae capite 10 ineunte profert, non ex ipso Varrone sed ex 'auctore communi' sumpsisse saturamque illam Menippeam, ad quam medio capite nos remittit, ipsum vix inspexisse. Denique cum exponit, quo modo cognatio illa inter 'auctorem communem' et Clementem ceterosque scriptores Graecos orta sit, plane improbabilia fingere cogitur Wilhelmus. Brevitatis causa stemmate liceat illustrare, quod ille verbis copiose expressit:



Ut Varronem has fabulas praebuisse cogitaret, Wilhelmus his Augustini verbis adductus est C. D. VI 5 p. 252, 27 sqq.: 'Primum genus (sc. theologiae mythicae), inquit (sc. Varro), quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta. In hoc enim est, ut deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus; in hoc ut dii furati sint, ut adulterarint, ut servierint homini; denique in hoc omnia diis attribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam, quae in contemptissimum hominem cadere possunt'. Idem vir doctus, cum ad Ciceronis de natura deorum librum digitum porrigit, hunc videtur respicere locum I 16, 42: 'Nec multo absurdiora sunt ea, quae poetarum vocibus fusa ipsa suavitate nocuerunt, qui et ira inflammatos et libidine furentis induxerunt deos, feceruntque ut eorum bella proelia, pugnas

vulnera videremus; odia praeterea, discidia discordias, ortus interitus, querellas lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria vincula, cum humano genere concubitus mortalisque ex immortali procreatos.' At qua ratione Wilhelmus id explicabit, quaero, quod Varronis et Ciceronis loci, qui a primario fonte proxime absunt, inter se simillimi, ab apologetis Graecis plane abhorrent, cum illa fabularum copia, quae compluribus deinceps auctoribus intercedentibus ad apologetas Latinos perfluxit, et verbis et contextu cum Graecis accurate congruat?[1]) Wilhelmi igitur commentum stare nequit, res ita se habet: Varro et Cicero de theologia mythica agentes eundem secuti sunt auctorem Stoicum (nempe Posidonium, ut iam hic pronuntiem, quod fusius in quaest. III demonstrabitur), scriptores autem ecclesiastici, et Latini et Graeci, ad philosophum quendam Euhemero addictum redeunt, quod ultimum ipse perspexit Wilhelmus. Atque profecto Varronem in illa expositione, qua de theologia mythica Stoicorum rationem secutus quae de diis false poetae docuissent adumbravit, secundum Socraten periegetam et Tarquitium historiae scriptorem facta et occasum Aesculapii aut universa Herculis facinora, tam bona quam mala, Euhemero assentientem copiosissime narravisse quis est qui credat?[2]) De Varrone igitur minime cogitandum est. Irrigavit vero 'auctor communis' hortulum suum e fonte Graeco, eodem vel simili, e quo Clemens hausit. Ad ea, quae ibi invenit, nonnulla adiecit e scriptoribus Latinis, velut Tarquitii testimonium.

Iam inter se conferendi sunt hi loci: Tert. ap. 10 p. 154, 9 sqq. ap. 11 p. 158, 2 sqq. ad nat. II 12 p. 120, 21 sqq. II 13 p. 121, 19 sqq. II 16 p. 128, 17 sqq.; Min. Oct. 20, 5—21, 2; Lact. I. D. I 8, 8. I 18, 1. I 18, 18—23:

---

1) Cf. Tert. ad nat. II 14: Hercules Aesculapius; Min. 22, 7: Castores Aesculapius Hercules; Lact. I 9. 10: Hercules Aesculapius; Clem. Al. Pr. II 30: Aesculapius Castores Hercules. Tert. ap. 14; Min. 23, 5; Lact. I 10; Clem. II 35: Apollo Neptunus. Min. 23, 7; Clem. II 33: Venus Mars Ganymedes.

2) Varronem haec in aliis R. D. libris, ubi proprie de Aesculapio et Hercule agebat, conscripsisse nullo probatur testimonio. Immo ne in his quidem libris Euhemeri doctrinam secutus est. Ceterum si quis 'auctorem communem' duos vel plures Varronis locos expilavisse opinetur, qui factum sit explicari nequit, ut idem plerumque ordo in fabulis enarrandis servetur ab apologetis Graecis.

Tert. ap.	Tert. ad nat.	Min.	Lact.
ap. 10 p. 154, 9—14: Conscientia vestra vos damnet, si poterit negare omnes istos deos vestros homines fuisse. Si et ipsa inficias ierit, de suis antiquitatum instrumentis revincetur, de quibus eos didicit, testimonium perhibentibus ad hodiernum et civitatibus, in quibus nati sunt, et regionibus, in quibus aliquid operati vestigia reliquerunt, in quibus etiam sepulti demonstrantur.	ad. nat. II 12 p. 120, 21—121, 5: Qualitas posterita⟨tis a prin⟩cipibus generis ostenditur, mortalia de mortalibus terre⟨na de terreni⟩s; gradus ad gradus comparantur, nuptiae, conceptus, ⟨natal⟩es cucurrerunt, patriae, sedes, regna, monumenta ⟨liquent. Igitur⟩, qui natos non possunt negare (scil. deos), mortuos credant, ⟨qui mortuos⟩ confitentur, deos non putent.	20, 5—21, 2: 5. Dum reges suos colunt religiose, dum defunctos esse desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt, quae fuerant adsumpta solacia. 6. Denique ... unaquaeque natio conditorem suum aut ducem inclytum aut reginam pudicam sexu suo fortiorem aut alicuius muneris vel artis repertorem venerabatur ut civem bonae memoriae: sic et defunctis praemium et futuris dabatur exemplum. 21, 1. Lege historicorum scripta vel scripta sapientium: eadem mecum recognosces. Ob merita virtutis aut muneris deos habitos Euhemerus exsequitur, et eorum natales,	I 8, 8: Illos igitur, quos imperiti et insipientes tamquam deos et nuncupant et adorant, nemo est tam inconsideratus, quin intellegat fuisse mortales. Quomodo ergo, inquiet aliquis, dii crediti sunt? Nimirum quia reges maximi ac potentissimi fuerunt, ob merita virtutum suarum aut munerum aut artium repertarum, cum cari fuissent iis quibus imperitaverunt, in memoriam sunt consecrati. Quod si quis dubitat, res eorum gestas et facta consideret, quae universa tam poetae, quam historici veteres prodiderunt.[1])
ap. 11 p. 158, 2—159, 4: Nihil Saturnum et Saturniam gentem expectabat. Vani erunt homines, nisi	II 13, p. 121, 19 sqq. 122, 12 sqq.: Perspiciamus causas allegandae mortalitatis in cael⟨um⟩..... Sa⟨ne, quae		I 18, 1: Hoc loco refellendi sunt etiam ii, qui deos ex homi-

Tert. ap.

certi sint a primordio et pluvias de caelo ruisse ... item omnem frugem ante Liberum et Cererem et Minervam, immo ante aliquem principem hominem de terra exuberasse ... Denique invenisse dicuntur necessaria ista vitae, non instituisse. Quod autem invenitur, fuit, et quod fuit, non eius deputabitur, qui invenit, sed eius qui instituit; erat enim antequam inveniretur. Ceterum si propterea Liber deus est, quod vitem demonstravit, male cum Lucullo actum est, qui primus Cerasia et Ponto Italiae promulgavit,

Tert. ad nat.

poste⟩rior opinio est, discuti debet, si deus remini⟨scentia meritorum, ⟨divinitatem tribuerit⟩ ... Ergo an meruerit, re⟨tractemus⟩.[2])

ad nat. II 16
p. 128, 17—129, 17.

Sedenim quidam fructus et ne⟨cessar⟩ia victui demonstraverunt. Quaeso vos, cum dicitis invenisse illos, non⟨ne con⟩fitemini prius fuisse quae invenirentur? Cur ergo non auctorem po⟨tius ho⟩noratis, cuius haec dona sunt, sed auctorem transfertis in repertores? *Deinde commemorantur frugum in-*

Min.

patrias, sepulcra dinumerat et per provincias monstrat, Dictaei Iovis et Apollinis Delphici et Phariae Isidis et Cereris Eleusiniae. 2. Prodicus assumptos in deos loquitur, qui errando inventis novis frugibus utilitati hominum profuerunt. In eandem sententiam et Persaeus philosophatur: dici adnectit inventas fruges et frugum ipsarum repertores isdem nominibus, ut comicus sermo est Venerem sine Libero et Cerere frigere.

Lact.

nibus factos non tantum fatentur, sed ut eos laudent, etiam gloriantur, aut virtutis gratia ut Herculem, aut munerum, ut Cererem ac Liberum aut artium repertarum ut Aesculapium ac Minervam.

I 18, 18—23:

Nunc ad reliqua pergamus.[3]) Nomen deorum Cereri ac Libero traditio munerum fecit. Possum divinis docere litteris vinum atque fruges ante progeniem Caeli atque Saturni fuisse in usu hominum, sed ab his inventa esse fingamus. 19. Num po-

---

1) Sequentibus capitibus 9. 10 percenset Lactantius res gestas et facta Herculis Aesculapii Iovis secundum auctorem communem, ut modo vidimus.

2) Post haec capitibus 13. 14 Minucius secundum auctorem communem retractat Iovis Aesculapii Herculis 'merita'.

3) Hoc scribit L. postquam §§ 2—17 Herculis merita examinavit maximam partem secundum auctorem communem, ut supra monstratum est.

Tert. ap.	Tert. ad nat.	Min.	Lact.
quod non est propterea consecratus, ut frugis novae auctor, qui ostensor. Quam ob rem si . . . constitit, vacat ex hac parte causa adlegendae humanitatis in divinitatem . . . Sed convertimini ad causam aliam, respondentes conlationem divinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem.	*ventores Cato et Cn. Pompeius* . . .: Potuerunt mihi novorum apud Romanos pomorum ⟨inventores hi mer⟩uisse praeconium divinitatis. Tam vanum hoc, quam etiam ⟨propter artium c⟩ommenta deos haberi. Quibus si comparentur nostrae aetatis⟨artifices, quant⟩o dignius posteris quam prioribus consecratio competisset? . . . Atque adeo, quos ob artes sanctifi⟨catis, laeditis i⟩n ipsis artibus . . .		test plus aut maius videri collegisse fruges . . . aut uvas de vitibus lectas expressisse' . . ., quam fruges ipsas aut vites generasse ac protulisse de terra? 20. Reliquerit haec sane deus humanis ingeniis eruenda: tamen fieri non potest, quin ipsius sint omnia, qui et sapientiam tribuit homini, ut inveniret et illa ipsa, quae possent inveniri. 21. Artes quoque inventoribus suis immortalitatem peperisse dicuntur, ut Aesculapio medicina, Volcano fabrica . . . 22. Sunt et aliae artes, quarum repertores humanae vitae plurimum profuerunt: cur non et illis adtributa sunt templa? 23. Sed nimirum Minerva est, quae omnes (sc. artes) repperit.

Minucium primum duo Tertulliani opera adiisse, deinde tres Ciceronis locos expilavisse (N. D. I 15, 38; II 42, 118. 119. II 23, 60), denique haec ex aliis auctoribus supplevisse vix credes. Immo haec si non omnia at magnam partem apud unum scriptorem composita repperit, de qua re conferas Wilhelmum p. 52. Neque magis Tertullianus e Minucio pendet, qui neque de Libero Cerere Minerva (ap. 11. ad nat. II 13) neque de 'regionibus, in quibus dii aliquid operati vestigia reliquerunt', quidquam enarravit. Tertulliani vero loci, qui in Apologetico et ad nat. libro II leguntur, propter verborum et similitudines et differentias ad eundem fontem redeunt. Nam leguntur illic 'antiquitatum instrumenta et regiones', hic 'natales sedes, regna monumenta, artium repertores', quae ne casu addita credantur Minucii verba obstant. Unde sequitur, ut Tertullianus et Minucius has sententias philosophi cuiusdam Euhemerum secuti e communi fonte desumpserint. Hunc autem fontem eundem fuisse, cui simillimas illas de quibus supra dixi fabulas debuerunt, ultro patet.

Quaeritur autem, quae intercedat ratio inter illos et Lactantium. Nescio enim an hunc ex illis ita pendere conicias, ut Herculem Aesculapium, Volcanum Minervam (I 18, 1. 21. 23) partim e sua memoria partim ex alio fonte arcessiverit. At illa, quae de ipso Hercule et Aesculapio disputat, cum his locis arte coniuncta I 9. 10. 18, 2 sqq., ex 'auctore communi' profecta esse supra probatum est; quamobrem haec indidem fluxisse libentius statuerim.

Iam si 'auctoris communis' fontem anquirimus, Wilhelmus rursus Varronem proponit. Nullo iure; Varro enim Cererem Liberum Volcanum Minervam 'physiologice' interpretatus est (vd. Aug. C. D. VII 16. 21; quaest. I p. 27 med. 29, neque ullum extat vestigium, quo eum Euhemeri placita in R. D. libros copiose recepisse probetur. Nam quod Wilhelmus Augustinum Varronis auctoritatem secutum esse declarat, cum scriberet C. D. VI 7 p. 258, 18—21: 'Quid de ipso Iove senserunt, qui eius nutricem in Capitolio posuerunt? Nonne attestati sunt Euhemero, qui omnes tales deos homines fuisse mortalesque conscripsit', partim recte partim false dictum est. Illa quidem de nutrice Iovis in Capitolio posita e Varrone hausit, quoniam quae deinceps de Epulonibus narrat Varronem docuisse declarat, 'ubi Capitolina iura panderet'. Verum ex his verbis: 'Nonne attestati sunt (sc. cives, qui capram posuerunt) Euhemero eqs.' si modo quidquam de Varrone colligere licet, colligendum tantum est eum docuisse civitatem Romanam Euhemero iure non 'attestatam' esse, quam sententiam Augustinus breviter reprobat. Euhemeri igitur adversarium, non assectatorem Varro sese declaravit.[1])

1) Frickius, quem quaest. I p. 16 adn. 4 harum rerum tam imperitum esse commemoravi, ut nesciat, quid sit theologia mythica physica civilis, Augustinum in librum C. D. XVIII multas fabulas secundum Euhemerum explicatas e Varronis R. D. libris recepisse nullo iure contendit, nam demonstrare ne conatur quidem.

Sed locupletem quidem scriptorem expilavisse videtur 'auctor communis', si modo hunc praeter doctrinas[1]) philosophorum etiam ipsorum nomina Minucio praebuisse cum Wilhelmo statuitur. Atque ex Graeco quodam scriptore eum pendere coniecerim simili ei, qui Ciceroni praesto erat.[2])

Cum his locis Tertullianus et Minucius coniungunt, quae de Saturno conscribunt ap. 10 p. 155, 2—156, 11; ad nat. II 12 p. 119, 8—120, 3; Oct. 21, 4—8; eadem praebet Lactantius I. *D.* I 13, 6—10 (vd. p. 52 sq.).

Apologetici et Octavii locos alterum ex altero non exscriptos esse, sed ad 'auctorem communem' redire luculentissime demonstravit Wilhelmus p. 43 sqq.; quod praecipue comprobavit collato auctoris incerti[3]) libello illo, qui est de origine populi Romani (ed. B. Sepp. Monach. 1879). Atqui quae leguntur ad nat. II 12 mirum quantum cum apologetici loco concinunt. Nam Tertullianus praeterquam quod in utroque opere eadem fere scriptorum nomina eademque Saturni gesta commemorat utrobique iisdem verbis omnes deos homines mortuos esse exponit, cum Saturnus, antiquissimus deus deorumque omnium 'origo', homo fuisset, quod idem etiam Minucius facit (Oct. 21, 9).[4]) Nec verba neque sententiae tam accurate inter se congruerent, si diversos fontes expilavisset; immo totis capitibus collatis Tertullianum bis eundem fontem adiisse quilibet intelleget. Iam vero si apologetici locum prius conscripsit, ex hoc ipso desumpsit quae refert ad nat. II 12; novi enim nihil exhibet nisi nomen Taciti, cuius Historias (V 2, 4) ipse legisse videtur, cf. ap. 16; ad nat. I 11; Wilhelm. p. 45; Hartel. Patr. Stud. II p. 20 adn. 1. Sin autem prior est libri ad nat. locus, ipsum eum ex 'auctore communi' desumpsit, quoniam argumenta illa, quae Wilhelmus de apologetico attulit, etiam ad ea pertinent, quae prorsus in eandem sententiam in libro ad nat. II dicta sunt.[5]) Ergo, utrumcunque opus prius elaboratum

---

1) Has doctrinas eum revera protulisse una voce testantur Tertullianus Minucius Lactantius.

2) Latinus auctor nescio an post Euhemerum Ennium commemoravisset, Euhemeri praestantissimum interpretem. Terenti illud (Eun. IV 5, 6) 'sine Cerere et Libere friget Venus' auctor communis (an Minucius?) aut e Cicerone (N. D. II 23, 60) addidit aut, ut proverbium tritissimum, e memoria hausit.

3) Mommseni (Herm. XII 1877 p. 401, N. Arch. d. Ges. f. ält. deutsche Gesch. V 1880 p. 59) sententiam, qua contineri statuit hoc libello epitomen deperditi libri cum ab aliis tum a Paulo Diacono adhibiti, qui ex Vergilii Aeneidis praecipue commentariis fluxerit, Wilhelmus contra Iordanum (Herm. III 1869 p. 407) defendit p. 47 sqq.

4) Hos locos proponere nolui, ne disputationem meam nimis onerarem.

5) Si res ita se habet, libri ad nat. II locum in alterum opus ita recepit, ut eum ex 'auctore communi' amplificaret; nam ea, quae ad nat. II 12 frustra quaeris, Diodori testimonium, tabularum nummorumque inventionem, iam ab 'auctore communi' data esse e Minucio apparet.

est, hic locus ad nat. II 12 de Saturno ad 'auctorem communem' vel apologetico vel nullo auctore intercedente redit.

Denique Lactantius Tertulliano Minucioque plura praebet praeter Varronis nomen nonnulla de nummorum veterum signis, quae nescio an ex Ovidii fastis (I 230) hausta credideris, quandoquidem paullo infra versus 230 sq. indidem collaudat. Sed cum in Originis libro III (cap. 4) eadem fere legantur, haec ad eum per 'auctorem communem' transiisse non minus credibile est. Iam unde accepit Varronis memoriam? Num Tertulliani locum inspexit ad nat. II 13 in.?[1]) Vix credendum est, quia toto hoc capite Tertullianus ad Saturnum nusquam respiciens eum deorum ordinem percenset, quos non solum Euhemeri defensores, sed omnes fere gentilium doctores ab initio homines fuisse concedebant. Immo ad verum fontem, sc. 'auctorem communem', his causis ducimur: Cassius ille, cuius testimonium omnes afferunt nostri, non Cassius Severus est, ut scribit Tertullianus, sed Cassius Hemina, historiarum scriptor, qui cum Nepote coniunctus a Varrone, ut videtur, in usum vocatur apud Gellium N. A. XVII 21, 3. Iam Tertullianus si Cassium Severum nominat, non legit Minucium, qui verbis 'Cassius in historia' hunc errorem excludit, sed idem fere, quod Lactantius exhibet 'Latini Nepos et Cassius', ubi ipsa verborum collocatione recentior aliquis Cassius indicari videtur. Itaque ille falso Severi cognomen, recte Minucius historiae verbum addidit.[2]) Primarii autem auctoris memoriam unus Lactantius retinuit, qui 'Latini Nepos et Cassius et Varro' ait; eadem est res, quae de Tarquitii supra commemorati quaeque de Pescennii Festi infra commemorandi memoria apud unum Lactantium servata statuitur: neque de Minucio neque de Tertulliano, sed de 'auctore communi' pendet Lactantius.

Quantum vero 'auctor communis' Varroni debeat, immo an eum omnino ipsum hoc quidem loco inspexerit, dubium est. Concinit enim tam accurate cum epitoma illa 'Originis', ut aut eundem, quem huius libelli auctor, Vergilii interpretem, aut ipsam 'Originem' deperditam expilaverit.[3]) Vergilii quidem versuum (Aen. VIII 322 sq.) a Lactantio et 'Originis' auctore collaudatorum vestigia apud Minucium cognoscuntur in his verbis: 'Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium.'[4])

---

1) Ad nat. II 13 in., p. 121, 6 sqq.: 'Quos a primordio possunt non ⟨asserere nisi homines fuisse, recipiunt in⟩ divinitatem, affirmando illos post mortem de⟨os factos, ut Varro⟩ et qui cum eo somniaverunt.'

2) Wilhelmi egregiae disputationi nihil addidissem, nisi Massebieavius (Rev. de l'hist. des rélig. XV 339) omnia eusque deque habuisset, cum Tertulliani verba a Minucio 'correcta' esse contenderet.

3) Diodori et Thalli memoriam arcessivit e Graeco fonte, fortasse ecclesiastico; cf. Wilh. p. 49 sq., qui Thallum et Diodorum collaudatos esse monet a personato Iustino cohort. 9, Thallum a Tatiano or. 36 sqq., Theophilo ad Aut. III 29.

4) Verg. Aen. VIII 322 sq.: Latiumque vocari Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Tert. ap. 10 p. 155, 2—156, 11:	Tert. ad nat. II 12 p. 119, 8—120, 3:	Min. Oct. 21, 4—8:	Lact. I. D. I 13, 6—10:
Saturnum itaque, siquan-	Extat apud lit⟨te⟩ras	Saturnum principem	Fugit igitur (sc. Saturnus)
tum litterae docent, neque	vestras usque quaque Sa-	huius generis et examinis	et in Italiam navigio ve-
Diodorus Graecus ¦ aut	turnicensus. Legimus apud	omnes scriptores vetu-	nit, cum errasset diu …
Thallus neque Cassius	Cassium Severu⟨m⟩, apud	statis Graeci Romanique	Hunc errantem atque inopem
Severus aut Cornelius Ne-	Cornelios Nepotem et Ta-	hominem prodiderunt.	Ianus excepit: cuius rei
pos nec ullus commentator	citum, apud Graecos quo-	Scit hoc Nepos et Cassius	argumenta sunt nummi ve-
eiusmodi antiquitatum	que Diodoru⟨m⟩, quive alii	in historia, et Thallus ac	teres, in quibus est cum
aliud quam hominem pro-	antiquitatum canos col-	Diodorus hoc loquuntur.	duplici fronte Ianus, et in
mulgaverunt, si quantum	legerunt. Nec fideliora	Is itaque Saturnus Creta pro-	altera parte navis … Omnes
rerum argumenta nus-	vestigia e⟨ius⟩ quam in	fugus Italiam metu filii	ergo non tantum poetae sed
quam invenio fideliora	ipsa Italia signata sunt.	saevientis accesserat, et	historiarum quoque ac
quam apud ipsam Ita-	Nam post plurimas ter-	Iani susceptus hospitio	rerum antiquarum scri-
liam, in qua Saturnus post	ras et ⟨Attica⟩ hospitia	rudes illos homines et agre-	ptores hominem fuisse
multas expeditiones	Italiae, uel, ut tunc vo-	stes multa docuit ut Grae-	consentiunt, qui res eius
postque Attica hospitia	cabatur, Oenotriae con-	culus et politus, litteras	in Italia gestas memoriae
consedit, exceptus a Iano	sedit, e⟨xceptu⟩s ab Iano	inprimere, nummos si-	prodiderunt, Graeci Dio-
vel Iane, ut Salii volunt.	sive Iane, ut Salii vo-	gnare, instrumenta conficere.	dorus et Thallus, Latini
Mons quem incoluerat,	cant. Mons quem colue-	Itaque latebram suam, quod	Nepos et Cassius et Varro.
Saturnius dictus, civi-	rat, Satu⟨rnius⟩ dictus,	tuto latuisset, vocari	Nam cum agresti quodam
tas, quam depalaverat,	urbs, quam depalaverat,	maluit Latium, et urbem	more in Italia viveretur, 'Is
Saturnia usque nunc est,	Saturnia usque nunc est;	Saturniam idem de suo	genus indocile ac dispersum
tota denique Italia post	tota d⟨enique⟩ Italia de	nomine et Ianiculum Ianus	montibus altis | Composuit,
Oenotriam Saturnia co-	Saturno vocabatur. Tali	ad memoriam uterque poste-	legesque dedit, Latiumque
gnominabatur. Ab ipso	teste terra, quae nunc d⟨o-	ritatis reliquerunt. Homo	vocari | Maluit, his quo-
		igitur utique qui fugit,	niam latuisset tutus in

Tert. ap.

primum tabulae et imagine signatus nummus, et inde aerario praesidet. Tamen si homo Saturnus, utique ex homine, et quia ab homine, non utique de Caelo et Terra. Sed cuius parentes ignoti erant, facile fuit eorum filium dici, quorum et omnes possumus videri. Quis enim non caelum ac terram matrem ac patrem venerationis et honoris gratia appellet? vel ex consuetudine humana, qua ignoti vel ex inopinato adparentes de caelo supervenisse dicuntur. Proinde Saturno repentino ubique caelitem contigit dici; nam et terrae filios vulgus vocat, quorum genus incertum est.

Tert. ad nat.

minatur⟩ orbi, etiamsi de origine Saturni dubitatur, de actu tamen ⟨constat⟩, hominem illum fuisse. Ita si homo Saturnus, procul dubio ⟨de homine⟩, immo quia homo, non utique de Caelo atque Terra. Sed cui parentes ⟨ignoti⟩, quibusdam facile fuit illum eorum filium dici, quorum poss⟨unt omnes⟩ videri. Quis enim non caelum ac terram patrem ac matrem venerat⟨ionis gra⟩tia appellet? an de consuetudine humana, qua ignoti quiq⟨ue ex inopi⟩nato apparentes de caelo advenisse dicuntur. Proinde ⟨quia venisset peregrinus, repent⟩ino ubique inolevit caelitem dici; nam et volgo ⟨generis incertos terrae⟩ filios iactitamus.

Min. Oct.

homo utique qui latuit, et pater hominis et natus ex homine: Terrae enim vel Caeli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus, ut in hodiernum inopinato visos caelo missos, ignobiles et ignotos terrae filios nominamus.

Lact.

oris | (Verg. Aen. VIII 321). Censetne aliquis deum esse, qui pulsus est, qui fugit, qui latuit? Nemo tam stultus est. Qui enim fugit aut latet, et vim et mortem timeat necesse est.

Actum igitur est de Varrone totius huius fabulae auctore, cui equidem nihil tribuerim nisi unum hoc Tertulliani: 'a Iano vel Iane, ut Salii volunt'. Si vero quis plura eum 'auctori communi' praebuisse crediderit, nihil ad nos: fac illum in antiquitatibus Rer. Hum. vel alio in libro Saturni gesta Euhemeri rationem secutum exposuisse; in libro Rer. Div. XVI hoc eum fecisse aut facere potuisse nego.[1]) Nam, ut supra iam diximus, in hoc libro totum se praestitit philosophum eumque Stoicum, atque ipse Augustinus C. D. VII 19, postquam nonnullarum de Saturno fabularum interpretationes physicas examinavit, expressis verbis pronuntiat: 'Haec et alia de Saturno multa dicuntur (sc. a Varrone in R. D. libro XVI) et ad semen omnia referuntur'.[2])

Transeo ad locos Min. Oct. 13, 1—4; 38, 5; 26, 9. 12; Tert. ap. 46 p. 281, 12 sqq.; ap. 22 p. 206, 10 sqq.; ap. 14 p. 169, 5 sqq.; ad nat. II 2 p. 96, 12 sqq. I 10 p. 79, 17 sqq.; Lact. I. D. III 20, 10. 15. 16 (vd. p. 56 sq.).

Iure a nobis hos omnes, quos contulimus, locos inter se collatos esse his, opinor, apparebit indiciis; Minucius philosophorum de diis sententias plenius proposuit Oct. 13, 1—4, brevius repetit 38, 5 ita tamen, ut de perditis philosophorum moribus pauca adiciat. Idem facit Tertullianus ap. 46, nisi quod singulorum vitiorum singula affert exempla; de Socratis daemonio ap. 46. 22 similia, de Platone ap. 46 eadem profert, quae Minucius Oct. 26, 9. 12; de Thalete ap. 46 eandem refert narratiunculam, quam Minucius Oct. 13, 4; 38, 5 Ciceronem (N. D. I 22, 60) secutus Simonidi potius tribuit; hic (Oct. 38, 5 sub fin.) in corruptos philosophorum mores invehitur, certa exempla ille profert ap. 46, sed ea ipsa, quae Minucio ante oculos fuerunt: 'corruptores' enim et 'adulteros' et 'tyrannos' Tertullianus enumerat Socratem Speusippum Pythagoram Zenonem.

Tertullianum e Minucio non pendere manifestum est; quid igitur? Minuciusne Tertullianum expilavit adhibito praeter illum Cicerone? Nam huius locum N. D. I 22, 60 de Simonide certe inspexit, alterum N. D. I 34, 93 de Socrate, scurra Attico (cf. Oct. 38, 5) inspexisse potest. Sed quod de Platone refert 26, 12, neque e Tertulliano sumpsit, quippe qui hanc vocem 'negotium' (= ἔργον apud Plat. Tim. 28 C) non praebeat, neque e Cicerone, qui de eodem

1) Augustinus cum scribit C. D. VII 4 p. 279, 23 sqq.: 'De Iano quidem non mihi facile quicquam occurrit, quod ad probrum pertineat ... Saturnum fugientem benignus excepit, cum hospite partitus est regnum eqs.', a Varrone non pendet, id quod concedes, cum totum illud caput perlegeris. Ceterum his verbis 'non mihi facile quicquam occurrit' ipse Augustinus multas deorum fabulas hic illic se legisse indicat.

2) Miror qui Wilhelmus his Augustini verbis suam sententiam fulcire velit, secundum quam Saturnum apud Varronem in Reb. Div. hominem fuisse credit. Nam cum verba 'alia multa' premat, neglegit ea, quae sequuntur, quibus illa sententia prorsus evertitur.

Platonis loco alia eaque perversa scribat N. D. I 12, 30; tertium igitur quendam fontem adiit! Artificiosius hoc quam verius videtur, etiam hoc loco praestat utrumque patrem eodem auctore usum credere. Illum autem Christianum fuisse cum toto verborum colore tum eis probatur, quae Oct. 26, 9 ap. 22 de daemonibus i. e. spiritibus falsis e more Christianorum disputata leguntur: ita etiam hic deprehenditur 'auctor ille communis' supra descriptus.

Iam locus ille ad nat. II 2 si post hunc locum ap. 46 conscriptus est, ex apologetici libro fluxit addita illa de Diogene historiola, quae sine dubio ex apologetici fonte arcessita est; itaque totus locus ad 'auctorem communem' redit. Idem statuendum est, si libri ad nationes priores esse iudicantur. Nam Tertullianum hoc loco (ad nat. II 2) eundem, quem postea, cum totum ap. 46 locum componeret, adhibuisse auctorem, scilicet 'auctorem communem', ut modo demonstratum est, ipsa verba testantur.

Neque huic sententiae obstat quod Tertullianus Varronis R. D. libros in libro ad nat. II se impugnare declarat neque quod hoc capite satis multa e Varrone praebet, quae ad theologiam physicam pertinent. Quamquam viri non indocti Varronem has miserrimas de quibusdam philosophis narratiunculas tradidisse putant, cum de theologia physica ageret. Sed haec non modo a ceteris, quae vere e Varronis de theologia physica disputatione profecta in hoc capite II leguntur, sed etiam a tota Varronis ratione abhorrent. Varro, quem 'in hoc theologiae physicae genere nihil culpavisse' Augustinus C. D. VI 5 p. 253, 17 expressis verbis commemorat, talia philosophis certe non exprobravit praesertim non hoc loco. Socratem autem ἄθεον, qualem comoedorum finxit lascivia (cf. e. g. Aristoph. Nub. 848) apud eum, cui Varro in hac tota de theologia physica disputatione se addixerat, Posidonium dico (vd. quaest. III p. 84 sqq.), Platonis non minus quam Zenonis assectatorem, audisse vix quisquam credet! De Varrone igitur cogitare non licet, sed de 'auctore communi', de cuius fontibus postea agetur. Eidem debet Tertullianus quae ap. 14, ad nat. I 10 de Socrate et Diogene refert, praesertim cum eum toto capite ad nat. I 10, ut supra ostendimus p. 40 sqq., in usum vocaverit.

Denique Lactantius III 20, 10. 15. 16 de Socrate cum Minucio et Tertulliano accuratius congruit, quam ut casu hoc factum esse credatur. Hos ipsos igitur erunt qui eum compilavisse dicant. At eundem intra perbreve spatium exscripsisse Socratis dictum e Minucio 13, 1, eiusdem iurandi formulam et e Tert. ap. 46 et ex alio incerto auctore, cui anserem debet, (simili Theophilo ad Autol. III), scurram e Min. 38, 5, Zenonis nomen e Cic. N. D. I 34, 93, galli prosecationem e Tert. ap. 46 equidem non credo. Sed haec collecta invenit in eodem illo fonte uberiore, ex quo eadem hauserunt Tertullianus et Minucius.

Restat ut de fontibus 'auctoris communis' quaeratur. Etiam hic certissimis indiciis ad Graecos scriptores ducimur. Nam de Ari-

Min. Oct. 13, 1—4:

Socraten, sapientiae principem, quisque vestrum imitetur. Eius viri, quotiens de caelestibus rogabatur, nota responsio est: quod supra nos, nihil ad nos. 2. Merito ergo de oraculo testimonium meruit prudentiae singularis. Quo de oraculo idem ipse persensit idcirco universis se esse praepositum, non quod omnia comperisset, sed quod nihil se scire didicisset ... 3. Hoc fonte defluxit Arcesilae nec multo post Carneadis et Academicorum plurimorum in summis quaestionibus tuta dubitatio ... 4. Quid Simonidis melici ... cunctatio. Qui Simonides cum de eo, quid et quales arbitraretur deos ab Hierone tyranno quaereretur, primo deliberationi diem petiit, postridie biduum porro rogavit, mox alterum tantum admonitus adiunxit. Postremo cum causas tantae morae tyrannus inquireret,

Tert. ap. 46 p. 281, 12 sqq.:

Nomen hoc philosophorum daemonia non fugit. ..., cum secundum deos philosophi daemonas deputent. Socratis vox est: Si daemonium permittat. Idem et cum aliquid de veritate sapiebat deos negans, Aesculapio tamen gallinaceum prosecari iam in fine iubebat, credo ob honorem patris eius, quia Socratem Apollo sapientissimum omnium cecinit. ... Quid Thales ille princeps physicorum sciscitanti Croeso de divinitate certum renuntiavit commeatus deliberandi saepe frustratus? ... Licet Plato adfirmet factitatorem universitatis neque inveniri facilem et inventum enarrarari in omnes difficilem. Ceterum si de pudicitia provocemus, lego partem sententiae Atticae in Socratem corruptorem adulescentium pronuntiatum ... Novi et Phrynen meretricem Diogenis ... audio et quendam Speusippum de Platonis schola in adulterio perisse. ... Democritus ... incontinentiam ... profitetur ... Si de probitate defen-

Tert. ad nat. II 2 p. 96, 12 sqq.:

Extant testimonia tam ignoratae quam dubitatae inter philosophos divinitatis. Diogenes consultus, quid in caelis agatur, 'nun⟨quam'⟩, inquit, 'ascendi'. Item an dei essent, 'nescio', inquit. Thales Milesius Croeso sciscitanti, quid de diis arbitraretur, post⟨ali⟩quot deliberandi commeatus, nihil renuntiavit. Socrates ⟨ipse⟩ deos istos quasi certus negabat. Idem Aesculapio gallinace⟨um⟩ prosecari quasi certus iubebat.

Lact. III 20, 10. 15 sq.:

Celebre hoc proverbium Socrates habuit: 'quod supra nos, nihil ad nos' ... 15. verum idem per canem et anserem deierabat. O hominem scurram, ut ait Zeno Epicureus, ineptum perditum desperatum, si cavillari voluit religionem, dementem, si hoc serio fecit, ut animae turpissimum pro deo haberet! ... 16. Illud vero nonne summae varitatis, quod ante mor-

Min. Oct.

respondit ille, quod sibi quanto inquisitio tardior pergeret, tanto veritas fieret obscurior.

38, 5:

Proinde Socrates scurra Atticus viderit nihil se scire confessus testimonio licet fallacissimi daemonis gloriosus, Arcesilas quoque et Carneades et Pyrro et omnis Academicorum multitudo deliberet, Simonides etiam in perpetuum comperendinet: philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos et semper adversus sua vitia facundos.

26, 9. 12:

Eos spiritus daemonas esse Socrates novit, qui ad nutum et arbitrium adsidentis sibi daemonis vel declinabat negotia vel petebat ... 12. Plato ... invenire deum negotium credidit.

Tert. ap.

dam, ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros deculcat. Si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Thurios, Zenon apud Prienenses tyrannidem adfectant ... Si de aequanimitate ..., Lycurgus ... Si de fide ..., Anaxagoras ... Si de simplicitate ..., Aristoteles ..., Aristippus ..., Hippius ...

ap. 22 p. 206, 10 sqq.:

Sciunt daemones philosophi, Socrate ipso ad daemonii arbitrium exspectante. Quidni? cum et ipsi daemonium a pueritia adhaesisse dicatur.

ap. 14 p. 169, 5 sqq.:

Taceo de philosophis, Socrate contentus, qui in contumeliam deorum quercum et hircum et canem deierabat. Sed propterea damnatus est Socrates, quia deos destruebat. ... Sed et Diogenes nescio quid in Herculem ludit et Romanus cynicus Varro trecentos Ioves, sive Iupitros dicendos, sine capitibus introducit.

Tert. ad nat.

ad nat. I 10 p. 79, 17 sqq.:

Socrates in contumeliam deorum quercum et ca⟨n⟩em et hircum iurat ... Sed et Diogenes nescio quid in Hercu⟨lem lusit⟩, et Romani stili Diogenes Varro trecentos Ioves, seu Iuppi⟨teres d⟩icendum est, sine capitibus inducit.

Lact.

tem familiares suos rogavit, ut Aesculapio gallum, quem voverat, prosecarent?

stotele Platone Aristippo eisdem verbis eadem, quae apud Tertullianum ap. 46 p. 284, 7 sqq. leguntur, Tatianus refert or. 2 p. 2, 19 Schwartz. Conferas enim:

Si de simplicitate consistam, Aristoteles familiarem suum Hermian turpiter loco excedere fecit ... Idem Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quam Plato a Dionysio ventris gratia venditatur. Aristippus in purpura sub magna gravitatis superficie nepotatur.	Τίς δὲ τῶν πάνυ σπουδαίων ἀλαζονείας ἔξω καθέστηκεν; ... Ἀρίστιππος ἐν πορφυρίδι περιπατῶν ἀξιοπίστως ἠσωτεύσατο. Πλάτων φιλοσοφῶν ὑπὸ Διονυσίου διὰ γαστριμαργίαν ἐπιπράσκετο. Καὶ Ἀριστοτέλης ... λίαν ἀπαιδεύτως Ἀλέξανδρον τὸ μεμηνὸς μειράκιον ἐκολάκευεν· ὅστις ἀριστοτελικῶς πάνυ τὸν ἑαυτοῦ φίλον διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι προσκυνεῖν αὐτὸν καθείρξας ὥσπερ ἄρκτον ἢ πάρδαλιν περιέφερεν.

Tertullianum e Tatiano non pendere demonstrat Harnackius (Ueberlief. d. griech. Apol. d. 2. Jahrh. in 'Texte u. Unters. z. Gesch. d. altchristl. Litt.' 1883 I p. 220 adn. 277), ergo ne 'auctor' quidem 'communis'; qui si hac in parte Tatiani simillimus fuit, ex eodem atque ille fonte eoque Graeco hausisse putandus est[1]).

Idem praeter hunc auctorem Graecum usurpavit Latinos. Nam si modo ille Minucio et Lactantio suppeditavit Socratem, scurram Atticum, Ciceronem adhibuit (N. D. I 34, 93). Deinde narravit 'Varronem, Romani stili Diogenem (vel Romanum Cynicum) trecentos Ioves sine capitibus induxisse' (vd. Tert. ap. 14; ad nat. I 10). Quem locum postquam viri doctissimi Oehlerus (ad ap. 14 p. 171 adn. r), Rieseus (Varr. Sat. prol. p. 31: fragm. inc. sed. 10) Buechelerus (satur. inc. 7) ad Varronis saturas rettulerunt, Krahnero duce (de Varr. ex Marc. Sat. supplendo p. 9) Schwarzius (l. l. p. 427 sq.) ad R. D. libros pertinere iudicat; nam verbis illis 'trecentos Ioves' significari dicit 'illas minutas species vel potestates vel cognomina' (sc. a Varrone in R. D. libris ap. Aug. C. D. VII 10. 11 Iovi data) neque a Tertulliano verba Varronis ex aliqua satura exhiberi, sed 'in universum Varronis deorum ad Iovem pertinentium enarrationem et interpretationem' (sc. in Reb. Div. prolatam) 'irrideri.' Mitto nec trecenta cognomina Varronem enumerasse nec patrem hac voce indefinitum numerum significare potuisse (cf. Wölfflinium Arch. f. lat. Lexicogr. IX 188); mitto ipso illo Senecae loco ap. 8 p. 223 Buech.[2]), quem Schwarzius collaudat verba 'sine capitibus' Varroni

1) Tatiani (atque 'auctoris communis') fontem Harnackius describit: 'Diese Quelle enthielt erbärmlichen Klatsch über die vorzüglichsten Philosophen.' 2) 'Stoicus deus quomodo potest rotundus esse, ut ait Varro, sine capitibus sine praeputio?'

ipsi eique Stoicos ridenti vindicari[1]), quod certe in libris R. D. non fecit: sed 'introducendi' illa vel 'inducendi' vox ad tragoediam aut saturam Menippeam legentes remittit necnon haec verba 'Romani stili Diogenes' vel 'Romanus cynicus' Menippi imitatorem indicant, quod viri illi doctissimi rectissime monuerunt. Deinde ne nexum quidem sententiarum a Tertulliano confectum Schwarzius respexit: 'Philosophi impii sunt, id quod unus Socrates[2]) iam demonstrat, qui in contumeliam deorum per canem iurabat; Diogenes cynicus in tragoedia Herculem inducit irridetque tres Hercules sine mente sine viribus[3]); Varro Romani stili Diogenes vel trecentos Ioves introducit sine capitibus ⟨sine praeputio⟩[4]); cetera lasciviae ingenia in mimis etiam turpiora fingunt . . .' Vides igitur non Varronem irrideri, sed impium eius dictum vel commentum referri. Talia autem, ut repetam, Varro in R. D. libris certe non dixit.

Progrediamur ad sacra et mysteria, quae tradunt Tertullianus ap. 9 p. 144, 7 sqq. ad nat. II 7 p. 107, 20 sqq.; Minucius Oct. 30, 3 sqq. 22, 1 sqq.; Lactantius I. D. I 21, 1 sqq.[5]) (vd. p. 60 sqq.)

Wilhelmus hos locos Tert. ap. 9 p. 143, 5—146, 3 Min. Oct. 30, 3. 4 ex 'auctore communi' fluxisse demonstravit p. 12 sqq. Atque Tertullianus quidem ap. 9 plura Minucio affert: infantes in Africa usque in proconsulatum Tiberii Saturno immolatos; maiorem aetatem a Gallis Mercurio immolatam; defunctos a Scythis comesos; in Bellonae sacris sanguinem de femore proscisso in palmulam exceptum. Quae vero Minucius commemorat Tauris Ponticis et Aegyptio Busiridi ritum fuisse hospites immolare, Romanis Graecum et Graecam, Gallum et Gallam sacrificii loco viventes obruere, frustra in apologetico quaeris. Iam Tertullianus ad. nat. II 7 Saturni sacra tradit ita, ut eius verba propius accedant ad apologeticum, quam ad Octavium; deinde de Cybele dea paene eadem, de Cerere admodum diversa pronuntiat atque Minucius, neutra autem occurunt in apologetico; tum quae de Herculeo pollucto narrat, neque in apologetico neque in Octavio leguntur. Denique Lactantius non modo plura exhibet sacra sed etiam in eis, quae affert, multo copiosior est. Praebet enim praeter aliquot poetarum et scriptorum enuntiata[6]), quae si non omnia at certe magnam partem ex ipsis

1) Stoicos in saturis Menippeis saepius a Varrone derisos comparatis fragm. 571 et 245 bene docuit Norden Jahrb. f. Phil. Suppl. XVII 321.

2) Vd. cap. 14: Taceo de philosophis Socrate contentus eqs. ad nat. I 10: Taceo de philosophis . . . denique et Socrates eqs.

3) De hac re docte disputavit Ernestus Weber Leipz. Stud. X 150; cf. F. Dümmler. Akad. 205.

4) Haec enim verba Varroni ex Senecae loco supra laudato tribuenda sunt.

5) Cf. Tert. scorp. 7, Cic. de re publ. III 9, 15; vd. etiam p. 63 adn. 2, Oehl. adnotationes ad singulos ap. locos.

6) Collaudat ter Ovidii fastos et metamorphoses, Pescennium Festum, Lucretium, Quintilianum (cf. Quint. declam. ed. Ritter p. I adn.) Lucanum, Caesarem Germanicum, Sallustium.

Tert. ap. 9.

Infantes penes Africam Saturno immolabantur usque ad proconsulatum Tiberii... Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant et infantibus blandiebantur, ne lacrimantes immolarentur ... Maior aetas apud Gallos Mercurio prosecatur[1]). Remitto fabulas Tauricas theatris suis. Ecce in religiosissima urbe Aeneadarum piorum est Iuppiter quidam, quem ludis suis humano sanguine proluunt .... Nescio quid et sub Catilina degustatum est:

Min. 30, 3 sqq.:

Saturnus filios suos non exposuit, sed voravit. Merito ei in nonnullis Africae partibus infantes immolabantur, blanditiis et osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur. Tauris etiam Ponticis et Aegyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare, et Mercurio Gallis humanas ... victimas caedere[1]), Romanis Graecum et Graecam, Gallum et Gallam sacrificii <loco> viventes obruere[3]), hodieque ab ipsis Latiaris Iuppiter homicidio colitur[2]) ... Ipsum credo docuisse foedere coniurare Catilinam, et Bellonam sacrum suum haustu humani cruoris imbuere, et comitialem morbum hominis sanguine ... sanare. Non dissimiles et qui de harena feras devorant inlitas ...

Min. Oct. 22, 1 sqq.:

Considera denique sacra ipsa et ipsa mysteria ... Isis per-

Lact.

(1) Diximus de diis ipsis, qui coluntur: nunc de sacris ac mysteriis eorum pauca dicenda sunt. Apud Cyprios humanam hostiam Iovi Teucrus immolavit; idque sacrificium posteris tradidit, quod est nuper Hadriano imperante sublatum. 2. Erat lex apud Tauros ..., uti Dianae hospites immolarentur. ... 3. Galli Hesum atque Teutatem humano cruore placabant[1]). Ne Latini quidem huius immanitatis expertes fuerunt, siquidem Latialis Iuppiter etiamnunc sanguine colitur humano[2]) ... 6. Apparet tamen antiquum esse hunc immolandorum hominum ritum, siquidem Saturnus in Latio eodem genere sacrificii cultus est, non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed uti in Tiberim de ponte Milvio mitteretur 7. Quod ex responso quodam factitum, Varro auctor est, e. q. s.[4]) ... 8. Ovidius in fastis docet ... 9. Nam de infantibus, qui eidem Saturno immolabantur propter odium Iovis, quid dicam non invenio ... 13. Pescennius Festus in libris historiarum per saturam refert Carthaginienses Saturno humanas hostias solitos immolare eqs. 16. Ab isto genere sacrorum non minoris insaniae iudicanda sunt publica illa sacra, quorum alia sunt Matris deum in quibus homines suis ipsis virilibus litant; amputato enim sexu nec viros se nec feminas faciunt: alia Virtutis, quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacer-

Tert. ap.

Aiunt et apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi. Hodie istic Bellonae sacratus sanguinis de femore proscisso in palmulam exceptus et esui datus signat. Item illi qui munere in arena noxiorum iugulatorum sanguinem ... exceptum avida siti comitiali morbo medentes auferunt, ubi sunt? Item qui de harena ferinis obsoniis coenant. . . .

Tert. ad. nat. II 7:

Nonn<e>, qui dicitis deos post mortem factos, homines

Min.

ditum filium cum Cynocephalo suo et calvis sacerdotibus luget plangit inquirit, et Isiaci miseri caedunt pectora et dolorem infelicissimae matris imitantur; mox invento parvulo gaudet Isis, exultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur, nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt vel invenire quod perdunt. Haec tamen Aegyptia quondam nunc et sacra Romana sunt et desipias Isidis ad hirundinem, sistrum, et ad sparsis membris inanem tui Serapidis sive Osiris tumulum. Ceres facibus accensis et serpente circumdata errore subreptam et corruptam Liberam anxia et sollicita vestigat: haec sunt Eleusinia. Et quae Iovis sacra sunt? Nutrix capella est et avido patri subtra-

Lact.

dotes non alieno sed suo cruore sacrificant. 17. Sectis namque humeris et utraque manu districtos gladios exserentes currunt efferuntur insaniunt. Optime igitur Quintilianus in Fanatico ... 20. Isidis Aegyptia sacra sunt, quatenus filium parvulum vel perdiderit vel invenerit. Nam primo sacerdotes eius deglabrato corpore pectora sua tundunt; lamentantur sicut ipsa, cum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quasi inventus et in laetitiam luctus ille mutatur. Ideo Lucanus: 'nunquamque satis quaesitus Osiris'. 21. Semper enim perdunt, semper et inveniunt. Refertur ergo in sacris imago rei, quae vere gesta est . . . Quod illum ipsum poetam minime fugit (sc. Lucanum), apud quem Pompeius loquitur: 'Evolvam e. q. s.' (Phars. IX 158 sq.). 22. Hic est Osiris, quem Serapim vel Serapidem vulgus appellat. . . . Sacra vero Cereris Eleusinae non sunt his dissimilia. Nam sicut ibi Osiris puer planctu matris inquiritur, ita hic ad incestum patrui matrimonium rapta Proserpina; quam quia facibus, Aetnae vertice accensis quaesisse in Sicilia Ceres dicitur, idcirco sacra eius ar-

1) Vd. Luc. Phars. I 445; comm. Bern. ad hunc vers. Plut. de sup. 13; Plin. N. H. XXX 13; Cic. de re publ. III 9, 15.
2) Cf. Wilh. l. l. p. 15; Th. Roeper Luc. Pont. (Ged. 1849) p. 38; Marqu. Röm. Staatsverw. III[4] p. 297 adn. 4.
3) Cf. Plin. N. H. XXVIII 12; Plut. Q. R. 83. 4) Macr. Sat. I 7, 28 sqq.

Tert. ad nat.

confitemini ante mortem? . . . Non creditis poetis cum de relationibus eo⟨rum⟩ etiam sacra disposueritis? Cur rapitur sacerdos Cereris, ⟨si non⟩ tale Ceres passa est? Cur Saturno alieni liberi immolantur, si ille ⟨suis pe⟩percit? Cur Idaeae masculus amputatur, si nullus illi fastidiosi⟨or adules⟩cens libidinis frustratae dolore castratus est? Cur Hercule⟨um pol⟩luctum mulieres Lanuvinae non gustant, si non mulierum causam p⟨raeivit⟩[1]? Mentiuntur sane poetae, sed non ideo, quod talia digesserint ⟨de deis⟩ . . .

Min.

hitur infans ne voretur, et Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus, eliditur. Cybelae Dindyma pudet dicere, quae adulterum suum infeliciter placitum . . . ad stuprum inlicere non poterat, exsecuit, ut deum scilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam et semiviri sui corporis supplicio colunt.

1) Marc. Sat. I 12, 28 sqq.

Lact.

dentium taedarum iactatione celebrantur. 38. Ipsius autem Cretici Iovis sacra quid aliud, quam quomodo sit aut subtractus patri aut nutritus, ostendunt? Capella est Amaltheae nymphae, quae uberibus suis aluit infantem, de qua Germanicus Caesar in Arat eo carmine sic ait eqs. . . . 39. Ita quidquid est gestum in abscondendo puero, id ipsum per imaginem geritur in sacris. 40. Sed et matris eius mysterium idem continet, quod Ovidius exponit in fastis (IV 207 sqq.):

> Ardua iam dudum resonat tinnitibus Ide
> Tutus ut infanti vagiat ore puer.
> . . . . . .
> . . . . hoc Corybantes opus.
> . . . .
> . . . .
> Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsent
> . . . .

41. Hanc totam opinionem, quasi a *poetis fictam*, Sallustius respuit . . . 43. Ex ipsis itaque mysteriis et caerimoniis intellegere debuerunt, hominibus se mortuis supplicare. Non igitur exigo, ut aliquis poetarum fictionibus credat. Qui hos mentiri putat. . . . .

auctoribus hausit, satis multa sacra ab illis omissa, quae nulli certo fonti debita e memoria sua sumpsisse non potest. Atque mira interest similitudo inter Lactantium et Tertullianum ad nat. II 7. Uterque enim ea coniuncta refert, quae Minucius diversis capitibus commemorat; uterque ex his sacris mysteriisque intellegendum esse dicit paganos hominibus mortuis pro diis supplicare; uterque explicat sacra deorum secundum relationes poetarum disposita imaginem quandam praebere eius rei, quae gesta sit. Denique quae Tertullianus de Herculeo pollucto refert cum eis, quae apud alterum de Saturni sacrificio leguntur, iam apud Varronem coniuncta fuerunt, id quod e Macrobii verbis[1]) elucet.

Consentiunt igitur patres his quattuor locis inter se ita, ut unusquisque quaedam sibi propria praebeat. Quoniam autem iterum atque iterum vidimus eos de deorum natura et cultu agentes ideo similia referre, quod ex eodem auctore pendeant, Wilhelmi iudicium, quod de locis ap. 9 Oct. 30 probavit, ita supplendum est, ut omnes hi loci ex 'auctore communi' profecti credantur. Quae sententia inde firmatur, quod, ut supra de deorum fabulis et gestis atque de philosophorum sententiis et moribus, ita etiam hic de sacris et mysteriis apologetae Graeci mirum quantum cum Latinis congruunt[2]).

Iam 'auctoris communis' fontes indagandi sunt. Atque vernaculis Romanorum sacris interim omissis ad extraneos aggrediar ritus: Wilhelmus putat p. 14 ea, quae de homicidiis ab Afris in Saturni, a Gallis in Mercurii honorem institutis referantur, ad Varronis R. D. librum XVI revocanda esse, collato hoc Augustini loco C. D. VII 19 p. 297, 28 sqq.: 'Deinde ideo dicit (sc. Varro) a quibusdam pueros ei (sc. Saturno) solitos immolari, sicut a Poenis, et a quibusdam etiam maiores, sicut a Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum.' Nam cum Saturnus inter Gallorum deos nusquam alibi scriptus sit, Augustinum videri res a Varrone relatas confudisse ita, ut pro Mercurio Saturnum substitueret. Quae coniectura quam lubrica sit, primum elucet ex his verbis Dion. Hal. A. R. I 38: 'Λέγουσι δὲ καὶ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν τῷ Κρόνῳ τοὺς παλαιούς, ὥσπερ ἐν Καρχηδόνι, τέως ἡ πόλις διέμεινε, καὶ παρὰ Κελτοῖς εἰς τόδε χρόνου γίνεται καὶ ἐν ἄλλοις τισὶ τῶν ἑσπερίων ἐθνῶν, ἀνδροφόνους.' Deinde Augustinus toto illo capite epitomen reddit Varroniani de Saturno tractatus atque omnia, quaecunque refert, tam subtiliter inter se nexa sunt, ut incredibile sit aut Varronem de Saturno dis-

---

1) Sat. I 12, 28: 'Unde et mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse, quod Herculi, cum boves Geryonis per agros Italiae decceret sqq.' Ib. I 7, 31 (enarrato Saturni sacrificio): 'Herculem ferunt postea cum Geryonis pecore per Italiam revertentem suasisse illorum posteris sqq.

2) Cf. e. g. Theoph. ad Autol. I 9: Saturnus Iuppiter . . . Osiris Attis . . . Serapis . . . Diana Scythica; eund. III 8. Simile sacrorum et mysteriorum corpus exhibet etiam Clemens Al. Protr. II 12—20.

serentem Mercurii mentionem fecisse Augustinumque eius verba confudisse, aut Augustinum aliunde, nempe e Varronis de Mercurio tractatu, aliquid in hanc de Saturno expositionem recepisse, Mercurii nomine insuper in Saturnum demutato. Immo 'auctor communis' Varronem inspexisse non potest, si modo Tertulliano praebuit usque in proconsulatum Tiberii in Africa infantes immolatos esse. Quod mihi quidem non dubium est [1]), cum similiter Lactantius commemoret apud Cyprios humanam hostiam usque ad Hadrianum imperatorem immolatam esse. 'Auctoris communis' de sacrificio Africano fontem apud Lactantium extare opinor, nempe Pescennium Festum, ad quem etiam illud de Cypria immolatione redire coniciendum est [2]).

Neque magis demonstrari potest e Rebus Divinis reliquam de Graecorum sacris expositionem fluxisse. Varro enim de Matris Magnae mysteriis nihil dixit teste Augustino C. D. VII 26, de sacris Cereris Eleusinae alia docuit, cf. Aug. C. D. VII 20. Neque id mirum. Varro enim quae commemoravit sacra physice interpretatus est, 'auctor communis' quam arte in omnibus sacris illustrandis Euhemeri premat vestigia, quivis intellegit. Consentiunt plerumque patres Graeci, ad auctorem Graecum etiam hic remittimur.

Ad Varronem redeunt, ut supra dictum est p. 63, quae Tertullianus de Herculeo pollucto et Lactantius de hominibus in Saturni honorem de ponte Milvio deiectis tradunt. Sed haec suo iure Mirschius in Rerum Humanarum libro II collocavit. Num Varroni tribuenda sint, quae apud Minucium de Graeci et Graecae, Galli et Gallae sacrificio leguntur, incertum est. Sed ad hos, de quibus nunc agimus, Varronis libros certe non pertinent. Bellonae sacra (vd. Marquardt-Wissow. Röm. Staatsv. III^4 p. 75 sqq.) cum illa aetate vulgo celebrarentur, 'auctor communis' de suo addidit.

Annecto hos locos: Tert. ad nat. II 7 p. 107, 13 sqq.; Min. Oct. 23, 2:

Tert.	Min.
Criminatores deorum poetas eliminari Plato censuit, ipsum Homerum sane coronatum civitate pellendum.	Plato ideo praeclare Homerum illum inclitum laudatum et coronatum de civitate, quam in sermone instituebat, eiecit.

Minucium neque e Cicerone (de rep. IV 5, 5) neque e Tertulliano, Tertullianum non e Minucio pendere recte observavit Wilhelmus p. 26 sq. Affinitatem autem inter patres inde ortam esse

1) Noeldechenius (Tert. p. 22), qui de 'auctore communi' nihil cogitavit, hoc e Tertulliani memoria profluxisse contendit.

2) De huius scriptoris aetate nihil exploratum est. Vd. quae supra de Tarquitio et Socrate Argivo diximus p. 43, de Cassio p. 51.

coniecit, quod Tertullianus ex ipso Varrone hausisset, Minucius ex 'auctore communi' Varronem secuto. At de Varrone nihil nobis compertum est; Tertullianus certe haec indidem repetiit, unde ea fluxerunt, quae cum his arte cohaerentia de sacris 'ad relationes poetarum dispositis' tradit. Quae ad 'auctorem communem' redire supra demonstravimus. Ille autem Graeco auctore usus esse videtur, cum eadem apud Iust. ap. II 10 et Pseudo-Iust. coh. 24 legantur.

Iam aliam seriem locorum percenseamus, quibus de Romanorum deorum consecrationibus agitur: Min. Oct. 25, 8; Tert. adv. Marc. I 18; ap. 5 p. 130, 5 sqq.; ap. 6 p. 135, 11 sqq.; ad nat. I 10 p. 75, 22 sqq.; ibid. p. 75, 27 sqq.; Lact. I 20, 1 sqq. Addo Aug. C. D. IV 23 p. 173, 18 sqq.; IV 29; VI 10 p. 267, 25 sqq.; III 11 p. 109, 6 sqq.; III 12; II 14 p. 70, 22 sqq.; epist. ad Max. Mad. 17 clas. II (Migne 33 p. 84):

Min. Oct. 25, 8: Romanorum vernaculos deos novimus: Romuli sunt[1]) Picus Tiberinus et Consus et Pilumnus ac Volumnus dii. Cloacinam Tatius et invenit et coluit, Pavorem Hostilius atque Pallorem, mox a nescio quo Febris dedicata... Sane et Acca Laurentia et Flora, meretrices propudiosae... inter Romanorum deos computandae.

Tert. adv. Marc. I 18: Romulus Consum et Tatius Cloacinam et Hostilius Pavorem et Metellus Alburnum (et quidam ante hoc tempus Antinoum).

Tert. ap. 5 p. 130, 5 sqq. (= ad nat. I 10 p. 75, 22—27): Vetus erat decretum, ne qui deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus. Scit M. Aemilius de deo suo Alburno. Tert. ad nat. I 10 p. 75, 27 sqq. (= ap. 6 p. 135, 11 sqq.): Saepe censores inconsulto populo ⟨deos⟩ adsolaverunt. Certe Liberum Patrem cum sacris suis consules senatus auctoritate non urbe solummodo, verum tota Italia eliminaverunt. Ceterum Serapem et Isidem et Arpocraten et Anubem prohibitos Capitolio Varro commemorat, eorumque aras a senatu deiectas nonnisi per vim popularium restructas eqs.

Lact. I 20, 1 sqq.: Venio nunc ad proprias Romanorum religiones, quoniam de communibus dixi. *2—10 Acca et Flora meretrices in deorum numero habentur.* 11. Cloacinae simulacrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit et quia cuius esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit. Pavorem Palloremque Tullus Hostilius figuravit et coluit... 12. Ab hoc illud Marci Marcelli de consecratione Honoris atque Virtutis honestate nominum differt, re congruit. 13. Eadem vanitate Mentem quoque inter deos senatus collocavit...[2]) 17... Mala sua

1) Ita cum Baehrensio legendum esse puto pro 'Romulus'.
2) §§ 14—17 Ciceronem (de leg. II 11, 28) impugnat.

pro diis habent, ut Romani robiginem ac febrem...[1]) 27. Urbe a Gallis occupata obsessi in Capitolio Romani cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, aedem Veneri Calvae consecrarunt ...[2]) 33. Eodem tempore Iovi quoque Pistori ara posita est, quod eos in quiete monuisset eqs. 35—36 *enumerat Lactantius temporum ordine neglecto eiusmodi deos, qui propter indignam naturam risui vel offensioni essent,* Fornacem, deam Mutam, Cacam, Cuninam, Stercutum, Tutinum 'et mille alia portenta', *quem locum concludit his verbis:* ut iam vaniores, qui haec colenda susceperint, quam Aegyptios esse dicamus, qui monstrosa et ridicula quaedam monstra venerantur. 37 sq. *De Termino atque Capitolino Iovis templo a Tarquinio aedificato verba fiunt.*

Seneca de superst. ap. Aug. C. D. VI 10: Veriora tibi videntur T. Tatii aut Romuli aut Tulli Hostilii somnia? Cloacinam Tatius dedicavit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hostilius Pavorem atque Pallorem.

Aug. C. D. IV 23 p. 173, 18 sqq.: Ut quid Constituit Romulus Romanis deos Ianum Iovem Martem Picum Faunum Tiberinum Herculem et si quos alios?... Titus Tatius addidit Saturnum, Opem, Solem, Lunam, Vulcanum Lucem et quoscunque alios addidit, inter quos etiam deam Cloacinam?... Ut quid Numa tot deos et tot deas?... Hostilius certe rex deos et ipse novos Pavorem atque Pallorem propitiandos non introduceret, si..... (Cum *Felicitate*) colebatur Priapus et Cloacina et Pavor et Pallor et Febris et cetera... numina... p. 174, 29 sqq.: Mars Terminus et Iuventas maiori et regi suo nullo modo cedere loco voluerunt. Nam sicut habent eorum litterae, cum rex Tarquinius Capitolium fabricare vellet eqs. *Cf.* C. D. IV 29.

Aug. ep. 17 class. II ad Maxim. Madaur. (Migne 33 p. 84): deum Stercutium, deam Cloacinam, Venerem Calvam, deum Timorem, deum Pallorem, deam Febrem et cetera innumerabilia huiuscemodi, quibus Romani templa fecerunt et colenda censuerunt, quae si negligis Romanos deos negligis.

Aug. C. D. III 11 p. 109, 6 sqq.: Numa Pompilius cum cogitaret otiosus, quibusnam diis tuendam Romanam salutem regnumque committeret... ib. cap. 12: Nec his sacris tamen Roma dignata est esse contenta, quae tam multa illic Pompilius constituerat. Nam ipsius summum templum nondum habebat Iovis; rex quippe Tarquinius ibi Capitolium fabricavit. Aesculapius autem ab Epidauro ambivit ad Romam... Mater etiam deum nescio unde a Pessinunte... Cynocephalus longe postea venit

1) §§ 18—26 de consecratione agit eorum deorum, qui a notionibus abstractis, quae dicuntur, nomina acceperunt.

2) §§ 28—32 propria Lactantii verba sequuntur.

ex Aegypto. Utrum etiam dea Febris...; sed undecumque nata sit, non, opinor, audebunt eam dicere ignobilem dii peregrini deam civem Romanam. Sub hoc tot deorum praesidio constituta Roma..., quibus templa altaria, sacrificia sacerdotes instituendo atque praebendo summum verum deum offenderet (sc. Roma).

ib. II 14 p. 70, 22 sqq.: (Platonem praeferendum esse censemus, si non) Romulo et Herculi, certe vel Priapo vel alicui Cynocephalo postremo vel Febri, quae Romani numina partim peregrina receperunt, partim sua propria sacraverunt.

Unde patres ipsi hauserint, quaerere mittamus; primum harum rerum auctorem si anquiramus, Minuciana ad Varronem redire elucet ex Aug. C. D. IV 23, quo de loco vd. quaest. I p. 32 sq. Eodem redeunt etiam quattuor illi Tertulliani loci, quos ex uno loco profectos esse non est, quod fusius demonstrem. Nam Romuli Tatii Hostilii deos, qui leguntur adv. Marc. I 18, Varro praebuit teste Augustino, de Libero patre similia in R. D. libro XIV ap. Aug. C. D. VI 9 (vd. quaest. I p. 22) docuit; denique de Aegyptiis diis[1]) Tertullianus ipse ad nat. I 10 Varronem ad testimonium vocat. Quam ab rem Varroni cetera, quae Tertulliani locis supra propositis traduntur, tribuere non dubito[2]). Unde sequitur, ut Varro singillatim exposuerit, qui dii quo temporum ordine quo iure inter Romanorum deos publicos recepti essent. Atqui huiusmodi tractatum exhibet etiam Lactantius I 20, 1 sqq., nisi quod praecipuum suum fontem vel suis vel aliorum verbis amplificat. Occurrunt enim § 2: Accae et Florae nomina ut apud Minucium 25, 1; § 11: iidem Tatii et Hostilii dei, quos Minucius et Augustinus (C. D. IV 23) commemorant; § 17: Febris, cuius Augustinus ibidem mentionem facit; § 35: Tutunus, qui Augustini Priapo respondet; § 36: Aegyptiorum dii, de quibus plura profert Tertullianus ap. 6, ad nat. I 10; § 37: Terminus et Iuppiter Capitolinus, de quibus etsi non eadem tamen similia exhibet Augustinus C. D. IV 23. 29. Varroniana igitur quaedam huic Lactantii capiti inesse certum est[3]); sed quae vere insint, difficile diiudicatur, praesertim cum aliorum praeterea auctorum vestigia non pauca cognoscantur. Nam ubi deos secundum consecrationum ordinem enumerat, ut hoc

1) Similia refert Valerius Maximus I 8, 3, quem locum B. Kriegerus (Quibus fontibus Val. Max. usus sit eqs. Berol. 1888) Tertulliani testimonio fretus ad Varronem refert. Sed nescio an haec Valerii temporibus notiora fuerint, quam quae ad certum fontem revocari opus sit. — Praeter hoc exemplum I 3, 3 et illud I 8, 4, de quo egimus quaest. I p. 23, nihil e Valerio ad R. D. libros XIV—XVI pertinet; nam quo iure Kriegerus p. 44. 80 Aemiliam virginem Vestalem (I 1, 7) ad R. D. librum XV sive XVI referat, equidem nescio.

2) Praeter Antinoum, quem Tertullianus (adv. Marc.) ipse addiderit an ex auctore suo sumpserit, non discepto.

3) Hoc ultro pateret, si Augustinum, cum litteras illas ad Maximum Madaurensem scriberet, Varrone usum esse constaret. At revera ipse Lactantium exscripsisse videtur.

quidem loco ipse Varro, de Acca et Flora Livium (I 4, 7) et Verrium Flaccum sequitur, de Termino et Iove Capitolino a Varrone abhorrens propius ad Vergilii commentatores accedit (cf. Serv. gen. Aen. IX 448), de Iove Pistore Ovidium (Fast. VI 349 sqq.) exscripsit, Mentem Deam e Cicerone (de leg. II 11, 28) sumpsisse videtur. Atque §§ 35 sq. ubi nullo consecrationum ordine respecto nonnullos deos minutos irridet, quamquam non pauca commemorat, quae ad Varronem redire ex aliis Varronis locis probatur[1]), tamen propter id ipsum, quod temporum ordinem neglegit, tum quod Varronis hi loci omnes e libris R. D. XIV et XV atque e diversis horum librorum partibus afferuntur, his quidem in paragraphis (sc. 35 sq.) eum, de quo nunc agimus, Varronis locum Lactantius non inspexit. Quid vero? Etiam hic alius occurrit fons: Ovidius enim illa de Fornace Dea praebuit Fast. II 525 sqq. Itaque e Lactantii capite Varronem supplere non ausim, nisi e certis argumentis comparando evincitur.

Eodem huc pertinent alii duo Augustini loci C. D. II 14, III 11 s. fin., 12[2]), ubi de diis Romanorum publicis eorumque receptione verba fiunt. Enumerat autem II 14 hos deos: Romulum (cf. Min. l. l.), Herculem (cf. Aug. C. D. IV 23), Priapum (cf. Aug. l. l., Lact. I 20, 36), Febrem (cf. Aug. Min. l. l,), Cynocephalum (cf. Tert. ll. ll., Lact. l. l.). Idem III 12 commemorat Numam regem (cf. Aug. l. l.), Cynocephalum (cf. supra), Febrem (cf. supra); commemorat etiam templa altaria sacrificia, quibus ex indiciis Varro, ut ostendimus quaest. I p. 22 sq., deum quendam deum populi Romani publicum esse conclusit. Itaque mihi quidem vix dubium est, quin e Varrone sumpserit Aesculapium Epidauro, Matrem deam Pessinunte arcessitos atque deorum publicorum in deos peregrinos et proprios divisionem, quamquam Varronem ipsum nominibus 'peregrinorum' et 'propriorum' deorum usum esse ex Augustino quidem colligendum esse non videtur. Ceterum conferas Min. 25, 8: 'Romanorum vernaculos deos novimus', Lact. I 20, 1: 'Venio nunc ad proprias Romanorum religiones, quoniam de communibus dixi.'

Minucium Oct. 25, 1—7. 12 et Tertullianum ap. 25. 26 p. 223, 8—226, 3 ex eodem fonte hausissè certis, puto, argumentis probavit Wilhelmus p. 18—26, quae bene firmantur, si adsumis Tert. ad nat. II 17 p. 132, 6 sqq.[3]), ubi Persarum imperium, quod in apologetico omittitur, sicut apud Minucium affertur. Neque minus inter se similes videntur Minucius Oct. 25, 9 et Tertullianus ap. 25 p. 220, 10—223, 7[4]) (= ad nat. II 17 p. 130, 1—132, 6). Unde 'aucto-

1) De Cunina cf. Aug. C. D. IV 8. 11. 21. 34, de Tutino eund. C. D. VI 9, de Larunda Arnob. III 41, de Sterculo Tert. ad nat. II 9 (vd. p. 77 sqq.)

2) Hoc in capite Augustinus primum Varronem deorum certorum et incertorum ordines statuisse commemorat.

3) Argumenta illa, quibus Wilhelmus de apologetico utitur, iure etiam ad alterius operis locos referuntur, quippe qui cum illis et sententiarum et verborum forma nexuque plane congruant.

4) Ap. 25 p. 220, 10 sqq.: 'Quoniam Romani nominis proprie men-

rem communem' deos Romanos (vernaculos apud Minucium) a peregrinis distinxisse et Sterculum Mutunum Larentinam commemorasse constat. Varrone eum usum esse cum ex his tum e Minucii loco 25, 8 supra allato colligitur, qui inter illos medius interpositus ex 'auctore communi' non repetitus esse vix potest[1]. Varro autem cum teste Augustino C. D. IV 22 in R. D. libro I gloriaretur praestare se civibus suis, quia commemoraret deos, quos coli oporteret a Romanis, cumque in eodem libro, ut tradit Nonius (197, 15) diceret: 'Et religiones et castus id possunt, ut ex periculo ⟨nos⟩ eripiant nostro', quid universa respublica religioni deberet vix omisit, praesertim cum tritum illud apud plerosque eiusdem aetatis scriptores[2], Romanos propter religionem deorumque cultum orbe terrarum potitos esse, ad universi R. D. operis rationem egregie quadraret. Ad eundem refero haec Tertulliani verba ap. 25 p. 223, 11 sqq. = ad nat. II 17 p. 132, 8 sqq.: 'Etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa (= ad nat. II 17: Etsi a Numa sacra introducta sunt), nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat. Frugi religio et pauperes ritus et nulla Capitolia certantia ad caelum, sed temeraria de caespite altaria et vasa adhuc Samia et nidor parvus ex illis et deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Graecorum atque Tuscorum fingendis simulacris inundaverant.' Eadem fere invenies apud eundem de id. 3 in., de praescr. haer. 40. Similia enim scribit Augustinus in eo, de quo modo dictum est, capite C. D. III 12 p. 109, 20 sqq.: 'Nec his sacris Roma dignata est contenta esse, quae tam multa illic Pompilius constituerat. Nam ipsius summum templum nondum habebat Iovis.' Commode etiam contuleris eiusdem verba C. D. IV 31 p. 186, 21 sqq. e R. D. libro I collaudata (vd. quaest. I p. 19 sq.): 'Varro dicit antiquos Romanos plus annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse', quem annorum numerum Tarquinii temporibus confectum esse, inde a quibus Tuscorum et Graecorum auctoritas plurimum

---

tio occurrit, non omittam congressionem, quam provocat illa praesumptio dicentium Romanos pro merito religiositatis diligentissimae in tantum sublimitatis elatos, ut orbem occuparint, et adeo deos esse, ut praeter ceteros floreant qui illis officium praeter ceteros faciant. Scilicet ista merces a Romanis deis pro gratia expensa est. Sterculus et Mutunus et Larentina provexit imperium. Peregrinos enim deos non putem extraneae genti magis fautum voluisse, quam suae ... Viderit Cybele ... Iuppiter Cretam suam ... Vellet Iuno Punicam urbem, posthabita Samo, dilectam deleri?' Min. 25, 9: Isti (sc. vernaculi dei) scilicet adversus ceteros, qui in gentibus colebantur, Romanorum imperium protulerunt; neque enim eos adversus suos homines vel Mars Thracius vel Iuppiter Creticus vel Iuno nunc Argiva nunc Samia nunc Poena vel Diana Taurica vel Mater Idaea vel Aegyptia illa non numina sed portenta iuverunt.

1) Minucium (25, 8) e Seneca non pendere ostendit Wilhelmus.

2) Exempli gratia afferantur Cic. N. D. III 2, 5; II 3, 8; de har. resp. 9; Val. Max. I 1, 8; Hor. Carm. III 6; Carm. saec. 37 sqq. Dion. Hal. A. R. I 4.

valere coepit, acutissime viderunt Ambroschius Stud. p. 6, 21, Kettnerus Varr. Stud. p. 57 sq., Preller.-Iordanus R. M. I p. 105, 1, Merkelius Ov. fast. prol. CXCI. Atque Varronem religionem simulacrorum institutione corruptam doluisse docent illa, quae loco modo proposito subiciuntur: 'Quodsi adhuc, inquit (sc. Varro) mansisset, castius di observarentur.' Unde etiam cognoscitur, qualis illa fuerit 'puritia', de qua refert Nonius p. 156, 6: 'Varro Rer. Div. lib. I: Quae puritia est infrequens polluta.' Denique Varro si quidem in *aliis* operibus, veluti in illo de vita pop. Rom.[1]), de paupere antiquorum Romanorum ritu verba fecit, in his Rer. Div. libris eadem *certe* non omisit.

Hanc de diis Romanis commentationem in R. D. libro I sedem tenuisse atque partem effecisse censeo disputationis illius de theologia civili compositae, quam Varro in R. D. I ap. Aug. C. D. VI, 5 his verbis describit: 'Tertium genus (sc. civile) est, quod in urbibus cives ... nosse ... debent. In quo est, quos deos publice colere, <quae> sacra et sacrificia facere quemque par sit.' Cf. Non. p. 197, 12: 'Varro Rer. Div. lib. I: Nostro ritu sunt facienda quam his civilibus, Graeco castu', et eiusdem auctoris locos modo collaudatos. Denique si quidem Varro, id quod infra apparebit, cum hanc theologian tractaret, deos municipales enumeravit, ibidem *eum* exposuisse credere paene necesse est, quid et qui essent dii publici populi Romani. —

Examinavi adhuc non nisi tales locos, quos ex 'auctore communi' receperunt tres patres Tertullianus Minucius Lactantius. Praebet vero unus Tertullianus in utroque opere ter binos locos, quos utrum ex 'auctore communi' an ex ipso Varrone hauserit quaeramus.

Atque his locis ap. 47 p. 287, 7 sqq. ad nat. II 2 p. 96, 4 sqq. Tertullianus philosophorum diversa de deo mundo anima placita affert, quae e Varrone petita esse apparet ex Aug. C. D. VI 5 p. 253, 10 sqq. (Vd. quaest. I p. 16; Schwarz p. 416.) Deinde ap. *24* p. 219, 1 sqq.; ad nat. II 8 p. 108, 18 sqq. deos 'decuriones cuiusque municipii' enumerat[2]) secundum Varronem, ut ipse dicit ad *nat.* II 8, ubi contra 'gentile' (i. e. civile) 'genus deorum' pugnat. Atqui Tertullianus tota paene priore parte libri ad nat. II eum sententiarum ordinem accurate servat, quem Varro secutus est, atque ipsa ratio docet haec de philosophis et diis decurionibus iam apud Varronem eum locum tenuisse, quem eis Tertullianus tribuit: itaque haec eum apud ipsum Varronem legisse credendum est. Sane si res ita se habet, pater etiam in apologetico conscribendo Varronem

1) Non. p. 494, 5: Varro de Vita P. R. I ... omnia regiis temporibus delubra parva facta.

2) Num Varro etiam deos Syrorum Afrorum Maurorum Arabum, Noricorum commemoraverit, incertum quidem, veri tamen non absimile est.

ipsum hoc utroque quidem loco inspexit. Atque profecto hoc veri non est dissimile, cum studium suum in utrumque opus uno eodemque tempore contulerit[1]).

Ea denique, quae ap. 10 p. 154, 15 sqq. ad nat. II 12 p. 116, 10 sqq.[2]) profert deorum genera, partim memoriae debere videtur lecto nimirum et relecto aut Varrone aut 'auctore communi', partim de suo addidit et finxit insuper ipse alios ordines aliunde non compertos. Ad nostram rem non pertinent nisi dii Romani, peregrini, captivi, adoptivi (?), proprii, communes, novicii (?), veteres (?).

§ 2.

Quae ex ipsis R. D. libris desumpta Tertullianus referat in libro ad nat. II.

Ad nat. II 1 p. 94, 15 sqq. Tertullianus de tribus theologiae generibus eundem R. D. libri I locum, quem Augustinus C. D. VI 5 praebet, satis neglegenter exscripsit; nam a Varrone genus mythicum primo loco positum atque tertium genus non gentile sed civile nuncupatum esse ex Augustino elucet.

Cap. 2 p. 96, 4—9 secundum Varronem philosophorum quorundam de deo sententias enumerat, de quo loco modo dictum est p. 70. Deinde nonnullis de philosophis narratiunculis ex 'auctore communi' allatis (vd. supra p. 54 sqq.) pergit p. 96, 22 sqq.: 'De mun⟨dano deo⟩dicimus. Hinc enim physicum theologiae genus cogunt' (i. e. in hac sententia totum theologiae genus physicum vertitur atque ab hac initium sumit). Quibus verbis Varronem designat, quippe qui de physico genere locutus sit et mundum deum esse in R. D. libris revera docuerit teste Augustino compluribus locis, de quibus vd. quaest. I p. 19. 25 sq. 31 sq.; accedit quod Tertullianus ad nat. II 3 hanc ipsam sententiam modo ad 'physicum genus' modo ad Varronem revocat. Exeunte autem capite scribit: 'Unde et Varro ignem mundi animum facit eqs.', quae recte relata esse permulti probant Augustini loci, e. g. C. D. VII 6. 23. Iam vero quae inter hos duos locos Tertullianus interponit, ea cum his affinitate coniuncta tenentur, ut ad Varronem omnia referenda esse ultro pateat. Accedunt certa argumenta, quae aliqua quidem ex parte iam Schwarzius invenit (p. 415). Similem enim deorum divisionem, quam Tertullianus Dionysio adscribit, e Varrone collaudat Servii interpolator Aen. VIII 275. Deinde vir ille doctus scite monet Tertullianum de Arcesilao Latinum quendam auctorem secutum esse, cum Arcesilaus non habuisset, cur Caelum et Terram cum Romanorum diis Saturno et Ope compararet; at Varronis illud notum esse artificium e L. L.

1) Cum Tertullianus in apologetico Varronem pro praecipuo auctore certe non habuerit, Varroniana vestigia in hoc opere agnoscere non licet, nisi Varronis loci alibi inventi comparari possunt.

2) His locis 'rudera aedificii Varroniani latere' coniecit Schwarzius p. 420.

V 57: 'Principes dei Caelum et Terra. Hi dei idem qui ... in Latio Saturnus et Ops.' Neque non his Tertulliani verbis: 'Aegyptiorum plerique quattuor deos credunt, Solem, et Lunam, Caelum et Terram' ex parte similia sunt, qui de L. L. l. l. leguntur: 'Principes dei Caelum et Terra. Hi dei idem, qui Aegypti Serapis et Isis.' Praeterea nostro loco de Zenone eadem fere comperimus, quae apud Varronem L. L. V 59. Denique ut Tertullianus Zenonis mentionem coniungit cum eis, quae Varro de igne, mundi et hominis *anima*, et de morte discessu ignis effecta docuit: ita Varro ipse L. L. V 59 Zenonem commemorat, § 60 de animae et corporis discessu *agit*. Haec igitur omnia ad locum quendam R. D. librorum redeunt simillimum ei, qui extat L. L. V 57—60.

Cap. 3 in. legitur: 'His (sc. eis, quae cap. 2 relata sunt) ita expeditis videmus physicum istud ad hoc subornatum, ut deos elementa contendat, cum ex his etiam alios deos natos allegat; dei enim non, nisi ⟨de dei⟩s nascerentur.' Quid sibi velit illud 'physicum istud', cognoscitur ex his verbis paullo post in eodem capite obviis: 'Elementa deos credi proposuit V a r r o.' Ipsis e verbis: 'His ita expeditis', quibus respondent in capite altero: 'Hinc physicum theologiae genus cogunt', colligendum est Tertullianum in compilando Varronis sententiarum ordinem servasse. Atque Varronem *quidem* 'elementa deos credi proposuisse' recte refert, conferas enim Aug. C. D. IV 11. 12 (e R. D. I, vd. quaest. I p. 31), VII 23 (e R. D. XVI, vd. quaest. I p. 25); sed quod eum 'alios deos e x h i s (primariis diis, elementis scilicet) n a t o s allegasse' contendit, ab illius physica theologia plane abhorret. Scimus enim ex Aug. C. D. IV 32 (e R. D. I, vd. quaest. I p. 20) eum secundum Stoicorum doctrinam deorum generationes et coniugia a populo credita vituperasse; atque ipse Tertullianus, cum paullo post horum deorum ordinum neutrum recte credi accuratius exponit, Reatinum sibi non constare expresse monet, cum alio loco neque deos nasci neque quicquam e deo nasci posse doceret. Sed Varro etiamsi deos e x d i i s natos esse certe nusquam docuit, tamen cum Stoicis quodammodo deos natos agnovit, scilicet deos eiusmodi, qui ab origine h o m i n e s post mortem in *divinitatem* recepti essent, cf. Aug. C. D. VII 6. 23 (e R. D. XVI, vd. quaest. I p. 25). Atque profecto eum hoc loco de his cogitavisse vel locutum esse ex ipsius Tertulliani verbis apparet, quibus declarat se hos 'deos ex aliis deis natos' in mythico apud poetas plenius suo loco examinaturum esse; ibi autem (cap. 7) tractat homines post mortem deos factos.[1]) Mera igitur Varroniana doctrina in

1) Vd. ad nat. II 7 p. 106, 6 sqq.: 'Ceterum ut ad mythicum transeamus, nescio an tantum par quaerere mediocritati nostrae, an tanti de documentis divinitatis confirmentur, ut M o p s u s Africanus et Boeotus A m p h i a r a u s ... Interim hos (sc. mythicos deos) certe homines fuisse vel eo palam est, quod non constanter deos illos, sed heroas appellatis'. Quoniam S t o i c i p h i l o s o p h i e vaticinationibus argumentum quoddam

lucem prodit, si tolluntur verba 'ex his', quae Tertullianum revera interpolavisse ipsius verba docent quae statim subiunxit: 'dei enim non, nisi de diis nascerentur', quippe quibus declaret, qua de causa ad propria Varronis verba illud 'ex his' subaudiendum sit.[1]) Iam hoc e Tertulliani verbis remoto hoc eruitur Varronis fragmentum: 'Physicum istud ad hoc subornatum, ut deos elementa contendat, cum natos[2]) alios deos alleget'[3]). Haec autem accuratissime concinunt, quo concentu nostra sententia prorsus stabilitur, cum hoc loco Serv. int. Aen. VIII 275: 'Varro dicit deos alios esse, qui ab initio certi et sempiterni sunt[4]), alios qui immortales ex hominibus facti sunt, et de his ipsis alios esse privatos, alios communes eqs.' Atque eidem deorum ordines latent etiam loco illo miserrime mutilato, ad nat. II 13 in: 'Quos a primordio possunt non ⟨asserere nisi homines fuisse, recipiunt in⟩ divinitatem affirmando illos post mortem d⟨eos factos, ut Varro⟩...'. Profecto Tertullianus Varronem hic iterum male intellegere voluit; nam toto hoc capite Euhemeri rationem secutus non nisi eos deos tractat, qui Augustino permultis locis testante Varroni dii elementorum vel physici, ut ita dicam, fuerunt, velut Opem Saturnum Iovem. Unde aliquantum secum

---

ducere solebant, ex quo deos esse colligerent (cf. Cic. N. D. II 3, 7 sqq.), deinde quia ipse Tertullianus ad nat. II 3 de genere quodam deorum, quod Varro de theologia physica agens tetigerat, tum demum ipsum locuturum esse declarat, cum ad theologian mythicam transiisset: nescio an ad Varronis theologian physicam potius haec quam ad mythicam revocanda sint.

1) Haec iam conscripseram, cum mihi in manum veniret Hartelii Patr. Stud. pars III, ubi etiam vir ille doctissimus p. 40 sq. Tertullianum auctori suo aliquid supposuisse e toto sententiarum nexu colligit atque addit (liceat ipsius eius verba afferre): Das scheint der begründende Satz zu verbürgen: 'Denn sie (die Kinder der Elemente) würden nicht als Götter geboren, wenn nicht diejenigen Götter wären, von welchen sie abstammen'.

2) Ne haec quidem verba Tertulliani corruptionibus plane libera sunt; nam hoc quidem nomine 'deos natos' Varro vix usus est, cum genus 'deorum ex hominibus factorum' commemoraret.

3) Qui illud 'ex his' a Tertulliano interpolatum esse non perspexerunt, 'ex elementis' intellegunt, cum pater proprie de diis, qui sunt in elementis, verba faciat. Illa Schwarzii sententia videtur esse, qui p. 410 in his verbis 'cum ex his alios deos natos alleget' Varronis vestigia inesse opinatur, quamquam ea non digna habuit, quae in fragmentis poneret. Idem p. 412, 1 totum Tertulliani locum comparari posse iudicat cum Serv. gen. Aen. VI 724, ubi de elementis agitur, mundi partibus, ex quibus a deo omnia gignantur. At Varro illos alterius ordinis deos, sc. heroas, deos ex elementis factos nominare vix potuit. Nam quod in hominibus consecratis divino honore dignum est, non corpus est ex elementis factum, sed anima rationalis, animi mundani pars; cf. Aug. C. D. VII 6. 23. Neque stellas alteri ordini tribuit, quippe quas in ipsis elementis enumeratas (vd. ad nat. II 5, infr. p. 75) inter certos et sempiternos deos habuerit.

4) Deos 'certos et sempiternos' e Varronis sententia elementa esse testatur Aug. C. D. VII 6. 23.

pugnat, cum pergit ad nat. II 14 in: 'Sed quoniam alios seorsum volunt in divinita⟨tem ab⟩ hominibus receptos et distingui inter nativos (φύcει) et factos (θέcει) secundum Dion⟨y⟩s⟨i⟩u⟨m Stoi⟩cum, de ista quoque specie adiciam.' Quae verba, quippe quibus Dionysio eadem sententia tribuatur, quam Varronem pronuntiasse modo vidimus, certe ex hoc antiquario sumpsit[1]).

Sed redeamus ad cap. 3. P. 97, 23—98, 11 Tertullianus, postquam explicavit, si alteri deorum generi divinitatem false tributam esse ostenderetur, hoc etiam ad alterum valere, demonstrandum sibi proponit elementa deos non esse. Neque tamen in demonstrando recta via procedit, sed hac utitur argumentatione: Quia mundus elementa contineret, generatim de mundo se acturum esse, partibus mundi 'praeministrantem'; nam quae mundi condicio esset, eandem utique esse elementorum, ut mundi partium. Itaque bifariam rationem sibi ingrediendam esse, prout mundus cum Platone institutus, cum Epicuro non institutus putaretur. Vides ex hac tota Tertulliani propria deliberatione nihil ad certum fontem revocari posse nisi Platonis et Epicuri de mundi institutione opiniones. Has vero apud Varronem legisse videtur, cum ipse ap. 47 ex illius de physica theologia disputatione afferat: 'Sic et de ipso mundo natus innatusve sit, decessurus mansurusve sit, variant (sc. philosophi).' Tum argumentationis priorem partem breviter absolvit dicens mundum, si esset institutus, non esse deum, cum 'careret substantia divinitatis' i. e. aeternitate. Levissimum hoc est argumentum contra Varronem, qui in aeternitate divinitatem positam esse minime docuerit. Altera pars his verbis continetur p. 98, 15—20: '(Si vero institutus omnino non est mundus ac propterea deus habendus, quod ut deus neque initium neque finem sui patitur), quomodo quidam assignant, elementis, quae deos volunt, generationem, cum Stoici negent quicquam d⟨eo⟩ nasci? Item quomodo volunt, quos de elementis natos ferunt deos ⟨ha⟩beri, cum deum negent nasci? (Itaque quod mundi erit, hoc elementis ad⟨scri⟩betur) caelo dico et terrae

---

1) Cf. Cic. de leg. II 8, 19: 'Divos et eos, qui caelestes semper habiti, colunto, et ollos, quos endo caelo merita locaverint, Herculem Liberum Aesculapium Castorem Pollucem Quirinum, ast olla, propter quae datur homini ascensus in caelum, Mentem Virtutem Pietatem Fidem, earum laudum delubra sunto'. Recte quidem Prellerus (R. M. 1^3, 75) vidit Ciceronis priores ordines respondere Varronis diis 'certis et sempiternis' (vel physicis vel nativis) et diis ex hominibus factis. Sed quod Ciceronem e Varrone pendere iudicat, hoc iam refutavit Iordanus (adn. ad Prell. l. l.), qui ipse utrumque ad pontifices revocat. Verum, ut omittam pontifices Romanos inter deos et heroas omnino non distinxisse, Thebanorum et Lacedaemoniorum deos Amphiaraum et Tyndareum, quos Varro apud Servium exhibet, illi viri in libris suis vel commentariis certe non commemoraverunt. Immo Varro et Cicero Stoicos philosophos secuti sunt, id quod Tertulliani loco ad nat. II 14 certissime confirmatur; cf. etiam Plut. plac. I 6 (Diels. Doxogr. p. 296), Philod. περὶ εὐc. fr. 13 Diels. (p. 80 Gomp.), Cic. N. D. I 15, 39.

et sideribus et igni, quae deos et deorum p⟨a⟩rentes adversus negatam generationem dei et nativitatem frustra v⟨obis⟩ credi proposuit **Varro**.' Quae uncis inclusi, non ad Varronem, sed ad Tertulliani propriam argumentandi rationem pertinent. Reliquis verbis Varronem rursus reprehendit, quod alibi doceret deos quosdam ex physicis illis diis natos esse, alibi, ut Stoicorum assecla, negaret quicquam e deo nasci aut deum nasci. Atqui illud Varronem non docuisse supra expositum est: ergo ex verbis modo exscriptis haec tantum ei tribuenda sunt: 'Elementa deos volunt (sc. Varro)... Stoici negant quicquam deo nasci... deum negant nasci[1]).... Caelum et terram et sidera et ignem deos... credi proposuit Varro.'

Denique quod hoc eodem capite p. 99, 5 sqq. ad Varronem refert elementa, praecipue caelum et astra, animalia esse quoniam 'per semet ipsa moveantur nullo apparente motatore', recte rettulit; cf. Cic. N. D. II 15, 42 sqq. Varronem igitur designat, cum scribit cap. 4 in.: 'Aiunt quidam propterea deos ⟨θεοὺς appella⟩tos, quod θέειν id est ἵεσθαι pro currere ac motari interpretatio est.' Quae autem in eodem capite 4 de Zenone leguntur: 'Zeno quoque materiam mundialem a deo separat, vel eum per illam tamquam mel per favos transiisse dicit', quamquam e Varrone profecta esse possunt, tamen illi non magis tribuenda esse crediderim, quam Platonis de forma mundana aut Epicuri Peripateticorumve de magnitudine solis sententias, quippe de quibus rebus num Varro in R. D. libris egerit, mihi quidem dubium sit. Denique narratiunculam illam, qua Thaletem irridet, Varronem non attulisse certissimum est. Haec omnia de Zenone Platone Epicuro cett. Tertullianus uni eidemque fonti debere videtur, fortasse 'auctori communi', cf. supra p. 54 sqq., vel doxographo cuidam simili ei, quo in libro suo de anima conscripto utitur.

Cap. 5 p. 102, 14—103, 11 compilat Varronis locum, ubi explicat, unde cum elementa universa tum solem lunam sidera caelum terram deos esse colligeretur.[2]) Eadem et in hoc ipso capite et sub finem cap. 6 saepius perstringit ita, ut novi nihil addat.

Haec Tertullianus e Varronis de theologia physica commentatione, ordine Varroniano plerumque servato tradit. Iam transeamus cum patre ad 'mythicum genus.' Sane ex toto capite 7, quo 'deos mythicos' tractat, huc non pertinent nisi haec paucissima verba p. 107, 5 sq.: '(Riden⟨dum an i⟩rascendum sit) tales deos credi, quales homines esse non debeant.' Quae cum scriberet, eundem

1) In aperto est Stoicos hoc de diis elementariis, velut de Iove Iunone, Marte Venere dixisse, quibus poetarum fabulis generatio et nativitas assignabatur, non de hominibus post mortem consecratis.

2) Num eundem locum exscripserit adv. Marc. I 13 ('substantias... deos pronuntiaverunt... considerando scilicet et magnitudinem et vim et potestatem et honorem eqs.'), quae sententia Schwarzio placuit p. 431, dubium est; nam etsi similitudinem quandam exstare concedo, tamen eandem rem eamque satis notam similibus verbis exponi posse, immo exponi paene debere moneo.

Varronis locum ante oculos habebat, quem servat Augustinus C. D. VI 5: 'In hoc (sc. theologiae mythicae genere) omnia diis attribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam in contemptissimum hominem cadere possunt.' — De capitis 7 initio dictum est p. 72 adn. 1; totam alteram partem (p. 107, 12 sqq. 20 sqq.) ad 'auctorem communem' rettulimus p. 59 sqq.

Denique cap. 8 examinat 'gentile illud genus inter populos deorum' atque nonnullos deos municipales e Varrone arcessitos enumerat p. 108, 18 sqq., de quo loco diximus p. 70.

Iam vero si quaeritur, e quo R. D. libro Tertullianus haec in capita 2—8 transscripserit, velim haec mecum consideres: Tertullianus tria illa theologiae genera deinceps tractat, ex Augustino autem constat (vd. quaest. I p. 16 sqq.) idem fecisse Varronem in R. D. libro I. Deinde locum illum de philosophorum sententiis ad nat. II 2 p. 96, 4—9 e R. D. libro I atque commentatione physica, ad nat. II 7 e commentatione de poetarum theologia ibidem conscripta profluxisse docet Augustinus C. D. VI 5; caput 8 ad eiusdem libri commentationem civilem redire per se patet. Denique pater rationes illas philosophas, quas ad nat. II 2 p. 96, 22 sqq. — II 6 percenset, expressis verbis ad physicam theologian refert II 2 p. 96, 22; II 3 p. 97, 18: ergo et haec R. D. libro I restituenda sunt, praesertim cum e Boethio (de dis et praesens.)[1]) colligendum sit Varronem in hoc R. D. libro I, 'ubi de theologiae divisione ageret', copiose de deorum natura quaesiisse.

Sane Schwarzius p. 410 sqq. has rationes physicas in R. D. libri XVI praefatione naturali collocavit similitudine quadam commotus, quam interesse censet inter Tert. ad nat. II 2 ex. II 3 in. atque Aug. C. D. VII 6[2]). Atenim ista similitudine si revera extat, nihil probatur, cum Varro in R. D. libri XVI praefatione breviter repetierit, quae de theologia naturali in libro I exposuerat. Neque vero, quod gravissimum mihi videtur, Schwarzio contigit, ut quae oblocuntur eius placitis Augustini verba interpretando tolleret. Qui scribit C. D. VII 5: 'De naturali theologia paucissima praelocutus est (sc. Varro)' et VII 6: 'Haec est videlicet breviter in ista praelocutione proposita theologia naturalis.' Nam vir doctus quod contendit p. 412: 'Augustinum illam Varronis praefationem uberiorem

---

1) In Ciceronis editione Orelliana V 1 p. 392, 2 sqq. Locum exscripsi in quaest. I p. 20.

2) Comparat: Tert. ad nat. II 2 ex.: 'ut perinde in mundo ignis omnia gubernet sicut animus in nobis' cum Aug. C. D. VII 6 p. 282, 2 sqq.: 'sicut hominem sapientem cum sit ex corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem, ita mundum deum dici ab animo, cum sit ex animo et corpore'; necnon ad nat. II 3 in.: 'His ita expeditis videmus physicum istud ad hoc subornatum, ut deos elementa contendat, cum ex his alios deos natos alleget' cum C. D. VII 6 p. 282, 4 sqq.: 'Hic videtur quoquo modo unum confiteri Deum; sed ut plures etiam introducat, adiungit mundum dividi in . . . caelum . . terram . . . aethera . . . aera'.

certe ipsum legisse, quam quae nunc illo parvo capite (C. D. VII 6) continetur, ipse significat, cum: Varro, inquit, adhuc de naturali theologia praeloquens deum se arbitrari animam mundi eqs. — adhuc enim non dixisset, nisi ante haec alia philosophica legisset', Augustinum male interpretatus est, qui revera verbo illo 'adhuc' nihil nisi in priore capite (VII 5) se ex hac praefatione iam nonnulla praebuisse significat, vd. quaest. I p. 25. Ergo praefatio illa profecto erat brevissima neque amplos hos, quos Tertullianus exscripsit, tractatus complecti poterat; restat igitur, ut eas ad R. D. librum I referamus.[1])

Iam pergamus ad caput 9, ex quo capite primum haec verba examinanda sunt p. 111, 3 sqq.: 'Romanorum deos Varro trifariam disposuit in certos, incertos, electos[2]) ... Nos vero bifariam Romanorum deos recognosci⟨mus⟩ communes et proprios, id est, quos cum omnibus habent et quos ⟨ipsi⟩ sunt commenti. Et nunc quod[3]) hi sunt publici et adventicii dicti, ⟨eoru⟩m[4]) arae docent, adventiciorum ad fanum Carnae, publicorum in Pa⟨latio⟩. Quare ⟨qua⟩[5]) communes dei quam physico quam [in] mythico compre⟨hendun⟩tur, actum iam est de istis. Speciebus de propriis dicere ⟨attin⟩et, de Romanis. Stupeamus tertium illud genus hostilium deorum, ⟨satisque d⟩e[6]) eo, quod nulla gens alia tantum sibi superstitionis invenerit. ⟨Ipsos in⟩[7]) duas species dirigimus, alios de hominibus assumptos, alios men⟨te con⟩ceptos'. Tertullianus igitur genuinae Varronis dispositioni trifariae aliam opponit bifariam 'communium et propriorum' deorum. Hanc vero fortasse iam ab 'auctore communi' prolatam esse vidimus supra p. 68 sq., cuius verborum noster hic meminisse potest, nisi eum etiam hic ex ipso Varrone hausisse credere mavis. Varronem enim cum de theologia civili atque de 'dis Romanis' ageret, similia dixisse l. l. probare studuimus. Aut si Tertullianum Varrone usum esse negaveris, at certe 'auctorem communem' ei aliquid in hac re debere veri non absimile mecum putabis. Iam dii illi publici adventicii hostiles, qui deinceps leguntur, quoniam optime illius de diis Romanis commentationis indoli respondent, non inepte eodem referuntur sive 'auctorem communem' Tertullianus, sive ipsum adiit Varronem. Alterum hoc mihi veri similius esse videtur.[8])

1) Eadem iisdem plerumque argumentis contra Schwarzium demonstrasse Schmekelium (Phil. d. mittl. Stoa p. 120 adn.) tum demum vidi, cum mea iam conscripseram.

2) Immo, selectos exhibuit testante Augustino permultis locis. Verbis, quae subinde omisi, quibus Tertullianus de Varroniana disponendi ratione ineptias suas profert, Varronis doctrina minime illustratur.

3) Coniec. Hartel. Patr. Stud. III p. 56; numquid praebet cod. Agob. 4) suppl. Hartel. 5) Quare A quia Wissowa quare ⟨qua⟩ Hartel. 6) suppl. Hartel. 7) 'Ceteros in' suppl. Gothofr. Hartel. Wissowa; scripsi 'ipsos in' cf. ad nat. II 3 p. 97, 22. 24.

8) Verba, quae illustrandi causa ipse Tertullianus ad deos 'communes et proprios' adiungit: 'id est, quos cum omnibus habent et quos ipsi sunt commenti', ad Varronem non pertinent.

Nam etsi Varro deos publicos et adventicios inter se sic, **ut** apud Tertullianum fit, opposuisse non potest, cum adventicii **quoque** publice colantur,[1]) Tertullianus verbis eius per dolum **immutatis** in suam rem abutitur, quibus monstraret publicos deos **eosdem** esse atque deos proprios;[2]) ita divisionem illam deorum **communium** et propriorum clam demutat in communes et publicos **sive** proprios. Hos ultimos ad theologian civilem revocare facile erat, **illos** physico et mythico generi tribuendos esse collegit. Quae cum superioribus capitibus iam absolvisset, de diis communibus satis actum esse clamat, neque restare, nisi ut de propriis diceret, hoc est de diis vere Romanis. Sed priusquam ad eos tractandos transiret, tertium quoddam praeter communes et proprios genus deorum praetereundo absolvit, *deos* hostiles, a quibus tandem ad ipsos deos proprios revertitur. Atque hos 'in duas species dirigit, alios de hominibus assumptos, *alios* mente conceptos', secundum quam partitionem etiam eos deos disponit, quos capp. 9. 10 et 11 tractat.[3]) Atqui dii illi, quos mente conceptos vocat, cap. 11 tractati revera Varronis dii certi sunt, quibus Varro quidem illud nomen non indidit; immo ipsa nuncupatio originem Christianam prae se fert, quare ne hi quidem duo deorum propriorum ordines ad Varronem pertinent.[4]) Quae cum ita sint, e verbis supra propositis magis minusve dubitanter has Varronianae doctrinae reliquias enucleaverim: '(Nos vero) bifariam Romanorum deos (recognoscimus) communes et proprios ... arae adventiciorum ad fanum Carnae, publicorum in Palatio ... genus hostilium deorum'.

---

1) Hoc argumentum etiam G. Wissowa protulit (de dis Rom. indig. et novens. p. 8).

2) Redeunt igitur ad Varronem non nisi haec verba: 'arae adventiciorum ad fanum Carnae, publicorum in Palatio'. Ceterum Varronem ibi proprie de dis indigetibus et novensidibus egisse ita ut ne *mentionem* quidem faceret nominis deorum 'publicorum' et 'adventiciorum', Wissowa (l. l.) coniecit. — Recte contra Ambroschium (Stud. und Andeut. p. 165. 190) Merkelius, cui adsentitur Wissowa, exposuit (Ov. fast. prol. p. CXCV) de singularum ararum inscriptionibus cogitandum esse.

3) Inde a capite 12 altera huius libri ad nat. II pars incipit, ad quam quae hoc capite 9 de deorum divisione accipimus iam non pertinent. Quaerit enim in hac nova parte non quos, sed quales deos receperint, sc. in divinitatem, quae verba revera subaudienda esse *elucet* ex capitis 13 initio et universo argumento, item ex capitis 14 initio. Errat igitur Schwarzius (p. 422), cum putat Tertullianum verbis suis capite 9 pronuntiatis ('actum est de communibus') non stare, sed *denuo* agere de dis Romanis, quos ab aliis gentibus receperint, i. e. de dis communibus.

4) Ex his, quae exposuimus, apparet similitudinem illam, quam huic Tertulliani loco cum Serv. interp. ad Aen. VIII 275 ('Varro dicit deos alios esse, qui ab initio certi et sempiterni sunt, alios, qui immortales ex hominibus facti sunt: et de his alios esse privatos, alios communes') intercedere Schwarzius p. 421 contendit, specie magis quam re effici. Haec enim, quae apud scholiastam leguntur, Varro philosoph*us de* theologia physica agens proposuit; illa autem paucissima, quae in Tertulliani latent copiis, Varronianae doctrinae frustula theologus protulit civilis.

Cap. 9 p. 112, 1 sqq. tractantur hi dii: Aeneas Romulus Sterculus Faunus Fauna Sanctus, cap. 10: Larentina, cap. 11 dii, qui hominem a conceptione usque ad coniugium producunt. Atque hos deos minutos e Varronis R. D. libro XIV petitos esse docet Augustinus praecipue his capitibus: C. D. IV 11. 21. VI 9. VII 2. 3; conferas etiam conspectum deorum certorum priori quaestioni adiunctum.[1]) De Larentina, Herculis scorto, agendum est. De hac dea Augustinus C. D. VI 7 p. 259, 1 sqq. refert fabulam a Varrone memoriae traditam ut ipse significat, cum pergit p. 259, 22 sqq.: 'Haec si poetae fingerent, ad fabulosam theologian dicerentur procul dubio pertinere et a civilis theologiae dignitate separanda iudicarentur. Cum vero haec dedecora non poetarum, sed populorum ..., id est non fabulosae, sed civilis theologiae, a tanto doctore (sc. a Varrone) produntur ...'.[2]) Eandem autem fabulam eisdem plerumque verbis Tertullianus cap. 10 commemorat, unde eum, item atque in sequenti capite 11, e Varrone pendere veri simillimum est. At verbis Tertulliani 'sive dum Romuli nutrix et ideo lupa quia scortum' nihil apud Augustinum respondet; inde Mommsenus hoc Macri commentum Varroni abiudicat, etsi notum ei fuisse concedit. Quod si recte statuitur, Tertullianus hunc locum non ex ipso hausit Varrone. At Varro saepius in R. D. libris suam ipsius sententiam solam attulisse non satis habuit, sed diversas protulit velut de Iano (vd. quaest. I p. 27) et de Saturno (vd. quaest. I p. 29), neque cur Augustinus alteram illam fabulam missam fecerit, non facile perspicitur. Itaque si in omnibus his capitibus ipsius Varronis vestigia pressisse Tertullianum constabit, vix erit cur illa verba Varroni eripiamus. E Varrone autem ut Verrius

---

1) Occasione data de his Tertulliani locis agere liceat de an. 37: '(Omnem hominis in utero serendi, struendi fingendi paraturam aliqua utique potestas divinae voluntatis ministra modulatur ... Haec aestimando etiam superstitio Romana) deam finxit Alemonam alendi in utero fetus, et Nonam et Decimam a sollicitioribus mensibus, et Partulam, quae partum gubernet, et Lucinam, quae producat in lucem'; de an. 39: '... in partu Lucinae et Dianae eiulatur, per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur, ultima die Fata scribunda advocantur, prima constitutio infantis super terram Statinae deae sacrum est'. Atque cum Alemona comparanda sunt, quae Varro de similibus diis Fluonia (Tert. ad nat. II 11) Vitumno Sentino (Tert. l. l. Aug. C. D. VII 2. 3) docuit. De Nona et Decima eadem exposuit ap. Gell. N. A. III 16, 5. Denique quamquam Partula differt a Parca, quam deam Varro secundum Gellii luculentissimum testimonium praebuit, non est, cur huius inter deos ad partum pertinentes eum praeter Parcam mentionem fecisse negetur. Lucinam inter hos deos certos refert Aug. C. D. IV 11. 21. 34, Statinam loco corrupto Tertullianus ad nat. II 11, eiusque similem deum Statilinum Augustinus C. D. IV 21 praebet. Quae cum ita sint, totos hos locos ad Varronem redire censendum est, num autem ad R. D. libros incertum.

2) De Larentina quaesierunt Mommsenus Röm. Forsch. II p. 1 sqq. C. I. L. I² 338. Glaesserus De Varron. doctr. ap. Plut. vest. Leipz. Stud. IV p. 200 sqq. Zielinskius (Quaest. Com. cap. VI). Baehrensius (N. Jahrb. f. Phil. 1885 CXXXI p. 777 sqq.). Wissowa Real. Encycl. I 131 sqq.

in fastis Praenestinis[1]) ita Macrobius Sat. I 10, 11—15 et Plutarchus Rom. 4 ex. 5; qu. Rom. 34 ex. 35[2]) pendent, cum ad verbum plerumque et inter se et cum patribus consentiant, nisi quod 'divinos illos honores', quos Larentinam 'meruisse' Augustinus fert, ipsi enumerant: diem festum, sacra, locum ubi sepulta sit. Verum ne haec quidem Varroni abrogaverim, quem in ipsis de diis libris talia protulisse supra docuerimus (qu. I p. 22 sq. al.), ut deos quosdam publice coli demonstraret, etsi in R. D. libris ea ponere non ausim.

Sed haec quidem de Larentina; iam quaerendum est, quae doctrinae Varronianae quasi rudera in eis lateant, quae Tertullianus cap. 9 de ceteris diis ex hominibus assumptis disputat. Nam rudera quaedam revera ibi latere per se veri simillimum est, quoniam pater non modo in superioribus capitibus, sed etiam, quod maioris momenti est, totis capitibus 10. 11 e Varrone pendeat.

Legimus autem p. 111, 23 sqq.: 'Necesse est neminem ex his (sc. diis de hominibus assumptis) quoque tanti esse (sc. ut deus iure fieret). Patrem diligentem Aenean crediderunt, militem numquam gloriosum lapide debilitatum.' Proditorem eum (ut brevius quae sequantur adumbrem) fuisse et patriae et sociorum et Didonis. Et quamvis pius fuisset in filium patremque, tamen propter pietatem filios divinitate non dignos esse. Denique concludit pater: 'Quid aliud Aeneae gloriosum, nisi quod proelio Laurentino non comparuit?' Subinde transit ad Romulum his verbis: 'Romulus aeque post mortem deus.' Verum Aenean post mortem deum creditum esse ante non dixit, si verba illa initio proposita recte relata sunt; hanc autem sententiam universis eius verbis subaudiendam esse si contra dixeris, quid sibi velit quaero hoc: 'patrem diligentem Aenean crediderunt, militem numquam gloriosum, lapide debilitatum.' Neque enim diligentia divinitatem mereri irridet, id quod postea de pietate fecit, ita ut nesciatur, quapropter patrem diligentem commemoraverit, neque bene opponuntur 'pater diligens Aeneas' et 'miles numquam gloriosus'. Nam patri diligenti militem malum esse non turpe est, est autem turpe deo. Deus igitur vel dei alicuius nomen supra iam desideratum in illis verbis latet; Tertullianus non, quod in codice A extat, 'patrem diligentem', sed 'Patrem Indigentem' vel 'Indigetem' scripsit. Cf. C. I. L. I 283: 'Aeneas eqs. I⟨nde cum proelio fact⟩o non con⟨paruisset dictus⟩ est Indigens ⟨et in deorum n⟩umero relatus.' Dion. Hal. A. R. I 64: 'Μάχηϲ γενομένηϲ καρτερᾶϲ οὐ πρόϲω τοῦ Λαυινίου ... τὸ Αἰνείου ϲῶμα φανερὸν οὐδαμῇ γενόμενον οἱ μὲν εἰϲ θεοὺϲ

---

1) Fast. Pr. Dec. 23. CIL I p. 409: Hanc (sc. Accam) alii Remi atque Romuli nutricem, alii meretricem Herculis scortum fuisse dicunt. Lact. I. D. I 23: Faula, quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit.

2) Macrobium quidem et Plutarchum ipso Varrone usos esse non credo, verum per quos rivulos eius sententiae ad illos pervenerint, hoc loco meum non est quaerere.

μεταναστῆναι εἴκαζον ... καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον· 'πατρὸς θεοῦ χθονίου' (i. e. Divi Patris Indigetis).'

Ita e Tertulliani verbis huc non pertinent nisi haec: 'Patrem Indigentem Aenean crediderunt ... proelio Laurentino non comparuit' (nam 'pium' Aenean Vergilio eum debere patet). Quae Varroni vindicare eo minus dubito, quod ex huius de gente P. R. libro III Augustinum hausisse Kettnerus (fr. †3) si non demonstravit at probabile reddidit quod praebet C. D. XVIII 19 p. 281, 3 sq.: 'Aenean, quoniam quando mortuus est non conparuit, deum sibi fecerunt Latini.' Deinde ipsum illum Dionysii locum, quem proxime ad haec Tertulliani verba accedere nemo non videt, Varroni tribuendum esse non modo ex his Augustini verbis sed etiam inde colligitur, quod quae sequenti capite de Mezentio scribit teste Plinio N. H. XIV 88 ipsi eidem debet. Expilavit autem, ut opinor, Rerum Humanarum libros. Varro igitur in compluribus diversis operibus de Aenea non pauca scripsit atque eadem, quae hoc loco apud Tertullianum invenimus.

De Sterculo Fauno Sancto commodissime cum Tertulliano congruunt, quae e libro de gente P. R. III Augustinus arcessivit C. D. XVIII 15 p. 275, 18 sqq. 19 p. 281, 4 sqq. (cf. supr.). Denique quae de Fauna leguntur, Macrobius (Sat. I 12, 27) et Lactantius (I. D. I 22) Varroni expresse assignant: ergo haec Tertullianum e Varrone hausisse apertum est. Noli tamen credere eum idem opus adiisse, quod Augustinum; haec certe e R. D. libris Tertullianus petiit. Itaque eidem fonti restituenda esse censeo ea, quae in hoc eodem capite de Romulo vel Quirino leguntur p. 112, 22. 25 sq., etsi similia in aliis Varronis operibus iam non occurrunt. Profecto hunc deum Varro silentio praeterire vix potuit, quamquam notum est ex propria eius sententia Quirinum antiquissimum Sabinorum deum fuisse, vd. L. L. V 73. 74; Dion. Hal. A. R. II 48 (= Varr. R. H. V fr. 7 Mirsch.). Angustias videtur ita effugisse, ut a genuino Sabinorum deo alterum distingueret, nempe Romulum, qui post mortem ideo Quirinus appellatus esset, 'quia parentibus quiritatum esset per illum' (Tert. l. l.), nisi eum duo 'Quirini' veriloquia, vel duas de hoc deo sententias protulisse credere mavis.

In his diis enumerandis Tertullianus temporum ordinem servat (nisi quod Aenean et Romulum initio ponit); tractat enim Sterculum, Faunum Pici filium, Bonam deam Fauni filiam, Sanctum, Aenean, Romulum, Accam; quem ordinem ad Varronem redire et inde firmatur, quod ipse Varro eum sequitur in libro de gente P. R. III ap. Aug. ll. ll. Talis vero deorum dispositio ad R. D. libri XIV argumentum, quod accuratissime ab Augustino describitur C. D. VI 9, vd. quaest. I p. 20 sq., minime quadrat; multo minus autem de R. D. libro XVI cogitare licet, de quo videas, quid Augustinus doceat C. D. VII 2: restat igitur, ut deos illos ad librum XV referamus.

Ceterum deos ex hominibus factos revera ibi tractatos esse etiam argumentis ex ipsa incertorum deorum notione petitis demonstrabitur in quaest. V p. 129 sq.

Inde a cap. 12 Tertullianus id operam dat, ut omnes gentium deos homines fuisse ostendat. Neque tamen de singulis quibusque, sed de uno Saturno, utpote eorum 'origine', agit, quo ex deo ceteros generatos esse his verbis demonstrare studet p. 116, 21 sqq.: 'Ea origo deorum vestrorum Saturno signatur. Neque enim si Var⟨ro⟩ antiquissimos deos Iovem, Iunonem et Minervam refert, nobis excidi⟨sse⟩ debet omnem patrem filiis antiquiorem, tam Saturnum Iove, qua⟨m Cae⟩lum Saturno; de Caelo enim et Terra Saturnus eqs.', quam disputationem in haec concludit verba: 'Hunc vobis patriarcham deorum Caelum et Terra poetis obstetricantibus procreaverunt.' Et ex his ipsis verbis et ex tota disputatione efficitur Tertullianum duos Varronis locos inter se quodam modo pugnantes contulisse, alterum ubi Iovem Iunonem Minervam antiquissimos deos esse docuerat, alterum ubi fabulas quasdam de genealogiis divinis physice interpretatus has generationes proposuerat: Caelum et Terram, Saturnum et Opem[1]), quo ex loco etiam petita sunt quae afferuntur p. 117, 13: 'Legimus Caelum genere masculino.' Quae conclusio his locis firmatur: Aug. C. D. VII 13 (e. R. D. XVI): Saturnus est unus de principibus deus, penes quem omnium sationum dominatus est; L. L. V 57: Principes dei Caelum et Terra eqs.; ib. 64: Quod caelum principium, a satu est dictus Saturnus ... Terra Ops ..; Non. p. 197, 5 sqq.: Varro Rerum Divinarum: Ut deum significas non partem mundi, sic Pater magnus Mater ⟨mag⟩na hi sunt Caelus ⟨et Terra⟩, quae corruptissima Nonii verba nescio an ad hunc de quo agimus locum redeant. Denique ne hoc quidem praetereundum est, quod Varro in R. D. libro XV de Penatibus agens a Iove Iunone Minerva ceterorum deorum originem ducendam esse expressis verbis docet ap. Aug. C. D. VII 28 (vd. quaest. I p. 24 adn. 3; p. 11 sq.).

Pergit autem p. 118, 4 sqq.: 'Eleganter quidam sibi videntur physiologice per allegoricam ⟨argu⟩mentationem de Saturno interpretari tempus esse et ideo Caelum ⟨et Terr⟩am parentes ut et ipsos origini nullos, et ideo falcatum, quia tempore ⟨omnia di⟩rimantur, et ideo voratorem suorum, quod omnia ex se edita ⟨in se i⟩psum consumat. Nominis quoque testimonium compellant: Κρό⟨νον dict⟩um Graece ut Χρόνον. Aeque Latini vocabuli a sationibus rationem ⟨deducunt⟩ qui eum procreatorem coniectantur, per eum seminalia caeli ⟨in terram⟩ deferri.' Cum his comparanda sunt Augustini verba C. D. VI 8 p. 261, 24 sqq.: 'Saturnum suos filios devorasse ita nonnulli interpretantur, quod longinquitas temporis, quod Saturni nomine significa-

1) Iovem ipse Tertullianus addidisse videtur.

tur, quidquid gignit, ipsa consumat vel sicut idem opinatur Varro, quod pertineat Saturnus ad semina, quae in terram, de qua oriuntur, iterum recidunt'; cf. C. D. VII 19 p. 297, 4 sqq. Tertulliani locum ad Varronem redire, id quod iam ex totius capitis tenore et nexu paene pro certo colligitur, Augustini verbis certissime confirmatur, praesertim cum uterque eodem ordine iisdem nonnumquam verbis et temporis et seminis interpretationem afferant. Indidem igitur Tertullianus sumpsit, quod Opem Saturno ideo adiunctam esse addit, 'quod opem vivendi semina conferant et quod opere semina evadant', cum praesertim ex parte respondeant loco Varroniano L. L. V 64.

Haec omnia de Saturno et Ope in R. D. libro XVI collocanda esse Augustinus docet, illa de antiquissimis dis Iove Iunone Minerva ad R. D. librum I vel XV referre malim.

Cap. 15 Tertullianus nonnullos deos ad loca pertinentes enumerat, inter quos Ianum Forculum Car⟨deam⟩ Limentinum. Atque tres ultimos deos ad Varronis R. D. librum XIV redire ex Augustino constat (C. D. IV 8; VI 7), quare ne ceteros quidem huic auctori abrogare licet. Eadem autem, quae hoc loco, exhibet idem Tertullianus de idol. 15, de cor. 13, scorp. 10, nisi quod duobus prioribus locis Graecorum Apollinem Thyraeum[1]) et antelios deos cum his comparat, atque de cor. 13 Carnam (al. cod. praebent Cardam; a cardinibus ipse nomen illud deducit), scorp. 10 (loco corrupto) Barnum exhibet. Cum Tertullianus haud raro talia, quae semel conscripserat, in alia opera eisdem fere verbis recipere soleat, mihi quidem persuasum est eum tantum in primo loco (de id. 15) conscribendo denuo Varronem inspexisse, a cuius consuetudine minime abhorrebat Graecos deos cum Latinis conferre. Alterum locum e primo transscripsit ita, ut Cardeam, quam formam Varronem tulisse Augustinus VI 7 expresse monet, cum Carna confunderet (si modo Carna recte legitur), sicut fecit Ovidius Fast. VI 102 sqq. (cf. G. Wissowa in Rosch. myth. Lex. p. 854, Marqu. l. l. p. 13, 9). Tertio denique loco, quem e sua memoria hausisse videtur, ipse masculum deum falso finxit.

---

1) Quamquam Nigidius ap. Macr. I 9, 6 similiter Ianum cum Apolline Thyraeo comparat, tamen huius auctoris vestigia hic extare non credo.

Quaestio III.

Quae philosophorum doctrinae a Varrone in R. D. libris prolatae apud ceteros occurrant auctores.

Priusquam praeter doctrinas philosophorum adhuc inventas alias Varroni tribuendas indagemus, interim quae invenimus cum his Ciceronis locis comparemus: N. D. I 1, 1—4; 16, 42 sq.; II 5, 13 sqq. 9, 23 sq. 11, 29 sqq. 14, 38 sqq.:

Cicero:	Varro:	
N. D. I 1, 1 sqq.: ... De natura deorum tam variae sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae eqs. 2 Velut in hac quaestione plerique deos esse dixerunt, dubitare se Protagoras nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt ...[1]) Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate et dissensione ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Nam et de figuris deorum et de locis atque sedibus et actione vitae multa dicuntur deque his summa philosophorum dissensione certatur; quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant,	Aug. C. D. VI 5 p. 253, 10 sqq.: 'Secundum genus (sc. theologiae) est, inquit (sc. Varro) quod demonstravi, de quo multos libros philosophi reliquerunt, in quibus est, dii qui sint, ubi, quod genus, quale est: a quodam tempore an a sempiterno fuerint dii; ex igni sint, ut credit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut ait Epicurus. Sic alia, quae facilius intra parietes in schola quam extra in foro ferre possunt aures.' Nihil in hoc genere culpavit (sc. Varro), quod physicon vocant et	Tert. ap. 47 p. 287, 7 sqq.: Deum non ut invenerunt, disputaverunt (sc. philosophi), ut et de qualitate et de natura eius et de sede disceptent. Alii incorporalem adseverant, alii corporalem, ut tam Platonici, quam Stoici; alii ex atomis alii ex numeris, qua Epicurus et Pythagoras, alius ex igni, qua Heraclito visum est. Et Platonici quidem curantem rerum, contra Epicurei otiosum et, ut ita dixerim, neminem humanis rebus. Id. ad nat. II 2 p. 96, 4 sqq.

1) Hos ἀθέους, qui dicuntur, ipse Varro (non Augustinus aut Tertullianus) occultavisse videtur, quippe quos, ut ipsius eius verbis utar, 'facilius intra parietes in schola, quam extra in foro ferre possent aures'. Si non occultasset, nomina eorum, ut hominum ἀθέων, patres ecclesiastici, vix, puto, praeterissent.

Cicero:

nihil moliantur, omni curatione rerum vacent, an contra ab iis et a principio omnia facta et constituta sint et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, in primis magna dissensio est ...[1]) 3 Sunt enim philosophi et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent rerum humanarum procurationem deos...[1]) 4 Sunt autem alii philosophi, et ii magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant, neque vero id solum, sed etiam ab isdem hominum vitae consuli et provideri ...[3])

Varro:

ad philosophos pertinet, tantum quod eorum inter se controversias commemoravit, per quos facta est dissidentium multitudo sectarum.

Aug. C. D. VI 10 *(e Sen. de sup.)*[2]): (Ego feram) aut Platonem aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit deum sine corpore, alter sine animo.

Id. ap. 47 p. 287 *sub fin.:* Sic et de ipso mundo natus innatusve sit, decessurus mansurusve sit variant (sc. philosophi).

Id. ad nat. II 3 p. 98, 9 sqq.: Mundus aut ab aliquo institutus sit necesse est, qua Platonis humanitas, aut a nullo, qua Epicuri duritia.

Cicero:

N. D. I 16, 42 sq.[4]): Exposui fere non philosophorum iudicia sed delirantium somnia. Nec enim multo absurdiora sunt ea, quae poetarum vocibus fusa ipsa suavitate nocuerunt, qui et ira inflammatos et

Varro:

Aug. C. D. VI 5 p. 252, 25 sqq.: Deinde ait (sc. Varro): Mythicon appellant, quo maxime utuntur poetae, physicon, quo philosophi, civile, quo populi. Primum, inquit, quod dixi, in eo sunt multa contra dignita-

1) Sequuntur verba Ciceronis propria. 2) Vd. quaest. I p. 35.

3) Praeter haec, quae proposui, in prooemio illo Ciceroniano nihil occurrit, quod cum Varrone comparari possit, exceptis nonnullis, quae subinde in § 4 adiuncta paullo infra praebebo. Ceterum haec omnia Cicero, ut primo obtutu apparet, aliunde sumpsit, unde illa, quae sequentibus paragraphis leguntur.

4) Postquam singulorum philosophorum de diis sententias Philodemum vel Phaedrum, Philodemi auctorem, secutus enumeravit haec ex singulari fonte desumpta interposuit, priusquam Epicuri doctrinam tractaret.

Cicero:

libidine furentis induxerunt deos feceruntque, ut eorum bella, proelia, pugnas, vulnera videremus, odia praeterea, discidia, discordias, ortus, interitus, querellas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus mortalisque ex inmortali procreatos. Cum poetarum autem errore coniungere licet ... etiam vulgi opiniones, quae in maxima inconstantia veritatis ignoratione versantur.[1])

Varro:

tem et naturam immortalium ficta. In hoc enim est, ut deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus; in hoc ut dii furati sint, ut adulterarint, ut servierint homini; denique ⟨in hoc⟩ omnia ⟨diis⟩ adtribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam quae in contemptissimum cadere possunt.

Ib. p. 254, 14 sqq.: Tertium genus est, quod in urbibus cives, maxime sacerdotes nosse atque administrare debent.

Aug. C. D. IV 27 p. 180, 9 sqq.: Poeticum sane deorum genus cur Scaevola[2]) respuat, eisdem litteris (sc. in R. D. libris) non tacetur: quia sic videlicet deos deformant, ut nec bonis hominibus comparentur, cum alium faciunt furari, alium adulterare, sic item aliquid aliter turpiter atque inepte dicere ac facere; tres inter se deas certasse de praemio pulchritudinis, victas duas a Venere Troiam evertisse; Iovem ipsum converti in bovem aut cygnum, ut cum aliqua concumbat; deam homini nubere, Saturnum liberos devorare: nihil denique posse confingi miraculorum atque vitiorum, quod non ibi reperiatur atque a deorum natura longe absit.

1) Ultimis verbis Cicero eam sententiam, quam apud auctorem suum vidit quamque a Varrone servari patet, eo consilio demutavit, ut secundum suam philosophandi rationem etiam theologian civilem item atque poeticam reprehendere posset. 2) Scaevolam et Varronem eodem usos esse fonte ipsa verborum et sententiarum congruentia docet.

Cicero:	Varro:
N. D. II 5, 13 in.: Cleanthes quidem noster quattuor de causis dixit in animis hominum informatas deorum esse notiones. Primam posuit eam, de qua modo dixi, quae orta esset ex praesensione rerum futurarum. (Cf. II 3, 7: Praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum ... Quodsi ea ficta credimus licentia fabularum Mopsum Tiresiam Amphiaraum Calchantem Helenum, quos tamen augures ne ipsae quidem fabulae ascivissent, si res omnia repudiaret ..).	Tert. ad nat. II 7 in.: Ceterum ut ad mythicum transeamus, nescio an tantum par quaesere mediocritati nostrae an tanti de documentis confirmentur, ut Mopsus Africanus et Boeotus Amphiaraus.
§ 13 perg. Alteram quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quae percipiuntur caeli temperatione, fecunditate terrarum aliarumque commoditatum complurium copia. Cf. I 2, 4: Nam et fruges et reliqua, quae terra pariat, et tempestates ac temporum varietates caelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a dis immortalibus tribui generi humano putant, multaque colligunt eqs.	Tert. ad nat. II 5 in.: Varro dicit creditam elementorum divinitatem, quod nihil omnino sine suffragio illorum gigni ali provehi possit ad vitae humanae et terrae sationem, quando ne ipsa quidem corpora aut animas sufficere licuisset sine elementorum temperamento, quo habitatio ista mundi circulorum condicionibus foederata praestatur.
ib. § 14: Tertiam quae terreret animos fulminibus tempestatibus, nimbis nivibus grandinibus, vastitate pestilentia, terrae motibus et saepe fremitibus lapideisque imbribus et guttis imbrium quasi cruentis, tum labibus aut repentinis terrarum hiatibus eqs.	ib. p. 103, 5 sqq.: Nec tantum beneficiis fidem divinitatis elementis convenire, sed etiam de diversis, quae tamquam de ira et offensa eorum incidere soleant, ut fulmina, ut grandines, ut ardores ut aurae pestilentes, item diluvia item hiatus motusque terrarum et iure credi deos eqs.
ib. § 15: Quartam causam esse eamque vel maximam, aequa-	ib. p. 102, 21 sqq.: Propterea deos credi solem qui dies

Cicero:

bilitatem motus conversionumque caeli, solis lunae siderum omniumque distinctionem, varietatem pulchritudinem ordinem, quarum rerum adspectus ipse satis indicaret non esse ea fortuita eqs.[1])

Varro:

de suo cumulet, fruges caloribus expediat et annum stationibus servet; lunam, solacium noctium patrocinium mensum gubernaculis; item sidera, signacula quaedam temporum ad rurationem notandorum; ipsum denique caelum eqs. Cf. Tert. ad nat. II, 3 p. 98, 24 sqq.: Elementa, caelum dico et terram et sidera et ignem deos credi proposuit Varro, et qui Varroni indicaverunt animalia esse caelum et astra . . . Et tamen unde animalia Varroni videntur elementa? Quoniam elementa moventur eqs. (*Vd. infra.*)

Sequuntur 16—22 Chrysippi et Zenonis argumentationes, quibus recte deos credi demonstrare conantur.

II 9, 23: Id ipsum (sc. mundum animantem esse) rationibus physicis confirmare volo. Sic enim res se habet, ut omnia, quae aluntur atque crescunt, contineant in se vim caloris, sine qua neque ali possunt neque crescere. Nam omne quod est calidum et igneum, cietur et agitur motu suo; quod autem alitur et crescit, motu quodam utitur et aequabili, qui quamdiu remanet in nobis, tamdiu sensus et vita remanet; refrigerato autem et extincto calore occidimus ipsi et extinguimur. 24: Cleanthes his etiam argumentis docet eqs. Omne igitur quod vivit, sive animal sive terra editum, id vivit propter inclusum in eo calorem. Ex quo

Tert. ad nat. II, 2 p. 97, 11 sqq.: Ignis superni instar vult esse naturam Zeno. Unde et Varro ignem mundi animum facit, ut perinde in mundo ignis omnia gubernet, sicut animus in nobis. Nam cum est, inquit, in nobis, ipsi sumus, cum exivit emorimur. Ergo et ignis cum de mundo per fulgura proficiscitur, mundus emoritur.

1) Eadem praebet Cic. Tusc. disp. I 28, 68 sqq.

Cicero:

intellegi debet eam caloris vim habere in se vitalem per omnem mundum pertinentem.

§ 25—28 calorem revera per totum mundum diffusum et omnibus mundi partibus admixtum esse ostenditur.

§ 29: Omnem naturam necesse est habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in belua quiddam simile mentis, unde oriantur rerum appetitus. In arborum autem et earum rerum quae gignuntur in terra radicibus inesse principatus putatur ... Itaque necesse est illud etiam, in quo sit totius naturae principatus esse omnium optimum omnium rerum potestate dominatuque ditissimum. Cf. § 33. 34: Primo enim animadvertimus a natura sustineri ea, quae gignuntur e terra, quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo atque augendo tueretur. Bestiis autem et sensum et motum dedit ...; hoc homini amplius, quod addidit rationem .... Quartus autem gradus et altissimus est eorum, qui natura boni sapientesque gignuntur, quibus a principio innascitur ratio recta constansque, quae supra hominem putanda est deoque tribuenda id est mundo.

§ 30. Videmus autem in partibus mundi inesse sensum et rationem. In ea parte igitur, in qua mundi inest principatus,

Varro:

His similia legimus ap. Varronem in R. D. **XVI** (*non I*) ap. Aug. C. D. VII 23 p. 301, 22 sqq.: Varro in eodem de diis selectis libro tres esse affirmat animae gradus in omni universaque natura: unum, qui omnes partes corporis quae vivunt transit et non habet sensum, sed tantum ad vivendum valetudinem ..., sicut in mundo arbores sine sensu aluntur et crescunt et modo quodam suo vivunt; secundum gradum animae, in quo sensus est ...; tertium gradum esse animae summum, quod vocatur animus, in quo intellegentia praeminet; hoc praeter hominem omnes carere mortales. Hanc partem animae mundi dicit Deum, in nobis autem genium vocari.

Aug. C. D. VII 6 in.: Dicit Varro Deum se arbitrari esse animam mundi et hunc mundum ipsum esse deum; sed

Cicero:

haec inesse necesse est et acriora quidem et maiora. Quocirca sapientem esse mundum necesse est naturamque eam, quae res omnes complexa teneat, perfectione rationis excellere eoque deum esse mundum, omnemque vim mundi natura divina contineri ...

§ 31: Absurdum est igitur dicere ... mundum esse sine sensu, qui integro et puro et libero eodemque acerrimo et mobilissimo ardore teneatur: praesertim cum is ardor, qui est mundi non agitatus ab alio neque externo pulsu sed per se ipse ac sua sponte moveatur ....

§ 32: Audiamus enim Platonem, quasi quendam deum philosophorum: cui duos placet esse motus, unum suum, alterum externum; esse autem divinius, quod ipsum ex se sua sponte moveatur, quam quod pulsu agitetur alieno. Hunc autem motum in solis animis esse ponit, ab hisque principium motus esse ductum putat.

§ 33. 34 v. supra; 35—37 accuratius de sapientia mundi agitur.

§ 38. 39 *parum accurate Chrysippi doctrinam tractat de virtute illa, quae inesset deo vel mundo. Imprimis haec videas verba* § 39 in.: Est autem nihil mundo perfectius, nihil virtute melius, igitur mundi est propria virtus. Nec vero hominis

Varro:

sicut hominem sapientem ... ab animo dici sapientem: ita mundum deum dici ab animo, cum sit ex corpore et animo *(e R. D. lib. XVI praef.).*

Aug. C. D. IV 12 p. 162, 31 sqq.: Mundi animus (i. e. ignis) deus est eique animo mundus ut corpus est, ut sit unum animal constans ex animo et corpore, atque iste deus est sinu quodam naturae in se ipso continens omnia, qua vivificatur tota ista moles, vitae atque animae cunctorum viventium pro cuiusque nascendi sorte sumantur. *(Vd. quaest. I p. 31.)*

Tert. ad nat. II 3 p. 99, 5 sqq.: Dicit Varro (elementa et astra et ignem) eo animalia (et deos) credita, quod per semet ipsa moverentur, nullo extrinsecus apparente motatore eorum et incitatore, sicuti apparet, qui rotam compellit et plaustra volvit et machinam temperat, igitur nisi animalia non mobilia per se. Cf. Tert. ad nat. II 4 in.: Aiunt quidam propterea deos θεοὺς appellari, quod θέειν id est ἵεσθαι pro currere ac motari interpretatio est (= Plato Cratylus 397 CD alibi).

(Boethius de diis et praesensionibus): Deorum virtus natura excellit, hominum autem industria. *(Vd. quaest. I p. 20.)*

Cicero:

natura perfecta est et efficitur **tamen** in homine virtus, quanto igitur in mundum facilius.[1])

§ 39: Atque hac mundi divinitate perspecta tribuenda est sideribus eadem divinitas, quae mobilissima purissimaque aetheris parte gignuntur neque ulla praeterea sunt admixta natura, totaque sunt calida atque perlucida, ut ea quoque rectissime et animantia esse et sentire atque intelligere dicantur.

§ 40. 41 exponit secundum Cleanthem astrorum naturam totam esse igneam, propterea quod ipsa essent animantia.

§ 42. Cum aliorum animantium ortus in terra sit, aliorum in aqua, in aere aliorum, absurdum esse Aristoteli videtur in ea parte, quae sit ad gignenda animantia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem aetherium locum obtinent, qui quoniam tenuissimus est et semper agitatur et viget, necesse est, quod animal in eo gignatur, id et sensu acerrimo et mobilitate celerrima esse. Quare cum in aethere astra gignantur, consentaneum est in iis sensum inesse et intellegentiam, ex quo efficitur

Varro:

Aug. C. D. IV 11 p. 162, 10 sqq.: Dicunt omnia sidera partes Iovis (i. e. animae mundi, i. e. ignis superni) esse et omnia vivere atque rationales animas habere et ideo sine controversia deos esse. *Vd. quaest. I p. 31.)*

Aug. C. D. VII 6 p. 282, 10 sqq.: Omnes partes mundi animarum esse plenas, in aethere et aere immortalium, in aqua et terra mortalium: ab summo autem circuitu caeli ad circulum lunae aetherias animas esse astra ac stellas, eos caelestes deos non modo intellegi esse, sed etiam videri *(e R. D. lib. XVI praef.)*.

Aug. C. D. VII 23 p. 302, 4 sqq.: aethera porro animum eius (sc. Dei esse); cuius vim, quae pervenit in astra, ea quoque facere deos ... *(e R. D. lib. XVI praef.)*.

---

1) Ad hunc locum adnotat Schoemannus: Solche virtus gelangt auch im Menschen zur Verwirklichung (efficitur = ad effectum perducitur), obgleich schwer und selten wegen der Hindernisse, die ihm entgegenstehn. In dem göttlichen Weltganzen aber, dem kein Hindernis entgegensteht (§ 35), verwirklicht sie sich immer. Quod si respicitur, eo luculentius Ciceronis et Varronis cognatio apparet.

Cicero:	Varro:
in deorum numero astra esse ducenda . . .	*De siderum motu vd. locum supra exscriptum* Tert. ad nat. II 3.
§ 43. Sensum autem astrorum atque intellegentiam maxime declarat ordo eorum atque constantia . . .	Cf. Aug. C. D. IV 11.
§ 44. Nec vero Aristoteles non laudandus in eo, quod omnia, quae moventur, aut natura moveri censuit eqs. moveri autem solem et lunam et sidera omnia eqs.	Cf. Tert. ad nat. II 3.
Quae (sc. sidera) qui videat non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget.	Cf. Aug. C. D. VII 6.

Etsi Varro nonnunquam id, quod Cicero de deo disputat, diis tribuit, tamen num unquam maior inveniri possit similitudo inter duos auctores, quorum alter quid docuerit paucis tantum e frustulis colligitur, dubito. Atqui Ciceroniani illius N. D. libri II partem priorem (§ 5—44) e Posidonii περὶ θεῶν libris compilatum esse docuerunt Hirzelius (Unters. z. Cic. philos. Schriften p. 191 sqq.) et Schmekelius (Philos. d. mittl. Stoa p. 85 sqq.): ergo et Cicero illa de tribus theologiis verba (N. D. I 1, 1 sqq. 16, 42 sq.) et Varro omnia ea, quae exscripsimus, Posidonio debent.[1]) Quare non mirum est, quod Varro, cum in universum sequi soleat Stoicos, haud raro Platonis mentionem facit, vd. e. g. Aug. C. D. IV 18 (cf. ib. VI 9), Serv. gen. Aen. VI 703. Posidonius auctor erat, is, qui Stoicorum et Platonis doctrinas coniunxit, qua de re testes afferre supersedeo.

Hirzelius l. l. p. 208 sqq. proposuit Ciceronem in eis quae referret N. D. II 17, 45—29, 73 ex Apollodori περὶ θεῶν libris pendere; quae sententia etiam inde firmatur, quod ibi cum hac Varronis de diis expositione similitudines non inveniuntur nisi eae, quae ex eodem argumento sua sponte gignuntur. Sed e R. D. libro XIV Aug. C. D. IV 24 (vd. quaest. I p. 22) verba quaedam exscripsit, quae non nihil cum Cic. N. D. II 23, 60 sq. congruunt, quare equidem destinare noluerim, utrum Cicero ibi praeter Apollodorum Posidonio, an Varro praeter Posidonium Apollodoro, an uterque utroque auctore usus sit.

---

1) Quod quamvis iam Schmekelius viderit, tamen denuo ostendendum erat, quoniam vir ille doctus mira illa Ciceronis in N. D. libris et Varronis similitudine parum perspecta ex aliis eisque infirmis, ut infra elucebit, argumentis iudicium suum collegit.

Iam ut ad propositum transeam, apud Arnobium II 56. 57 nonnullae philosophorum de deo mundo anima opiniones occurrunt similes ex parte eis, quas e Varrone Tertullianus refert apol. 47 p. 287, 7 sqq.; Arnobium igitur Varrone usum esse conicit Schmekelius l. l. p. 113 sqq.[1]) Sed in his rebus, quae sescenties apud doxographos leguntur, mera similitudine genuinus auctor non eruitur, nisi et congruentia verborum et continuitate sententiarum iuvamur[2]), quod his quidem locis non fit. Ceterum num Arnobius Varronem omnino inspexerit doctissimi quique dubitant, etsi ille aliter iudicat.[3]) Immo Varronem Arnobii auctorem vetant inter se concinentes Cicero Augustinus Tertullianus, quippe a quorum dicendi colore Arnobius plane abhorreat. Sed convertam me ad ea, quae Varro de anima scripsit. Hanc enim rem eum in R. D. libro I plenissime tractavisse testatur Servius gen. Aen. VI 703 (cf. ad vers. 733). Atque qui adhuc de hac re egerunt, Varronem ita restituere conati sunt, ut compararent similia quae apud eos auctores extant, qui Varronis sententias undecunque haustas praebere solent; ut Schmekelius (die Philos. d. mittl. Stoa p. 104 sqq. 'de Ovidiana Pythagoreae doctrinae adumbr.' Diss. Gryphiswald. p. 55 sqq.) Augustinum Tertullianum Arnobium Servium Lucani commentatorem alios inter se confert.[4]) Verum, ut dixi, mera similitudo lucri huc nihil affert, propterea quod similitudo quaedam, ubi de eadem re dicitur, ultro nascitur, neque certi quidquam invenitur, nisi antea constitutum est, quibus e fontibus vel omnes illi vel minimum unus hauserit.

De Augustini igitur fonte philosopho quaerendum est. Qui in libris C. D. duobus locis plenioribus de vita successionibus sententiis philosophorum refert: VIII 2—12; XVIII 37 (cf. 14. 24. 25) 41.[5]) Quae capita inter se cohaerere quo facilius cognoscatur, omnia, quoad huc pertinent, exscribere et cum aliis scriptoribus, maxime Hippolyto, conferre liceat:

Aug. C. D. VIII 2[6]):	Hippolyt. Philos.:
Quantum attinet ad litteras Graecas, duo philosophorum genera traduntur: unum Ita-	Prooemium: Τάδε ἔνεστι ἐν τῇ πρώτῃ Τοῦ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἐλέγχου.

1) Comparat Schmekelius etiam Arnob. II 9 ('Qui cunctorum originem — individuorum Demokritus concursiones') cum ap. 47 ('Inventum enim — visum est'). Verum, quamquam scribit: 'Die Übereinstimmung ist viel zu grofs, als dafs sie nicht sofort klar sein sollte', equidem istam concinentiam non vidi, praesertim cum alter de principiis rerum, alter de 'qualitate natura sedibus deorum' disputet. — Tert. locum invenies p. 84. 2) Cf. infra p. 108. 3) Vd. quaest. IV p. 118 sqq.

4) Krahnerum (de Varr. phil. Neobrand. 1846) mittam, quem et maiores refutare supersederunt, ut Dielsius (doxogr. p. 198 adn.)

5) Alibi in his libris huiusmodi res non inveniuntur; de uno loco C. D. XIX 1 p. 346, 19 sqq. vd. p. 99 adn. 2.

6) De hoc capite videas Dielsium doxogr. p. 173 sqq.

Aug. C. D. VIII 2:

licum ex ea parte Italiae, quae quondam magna Graecia nuncupata est; alterum Ionicum in eis terris, ubi et nunc Graecia nominatur. Italicum genus auctorem habuit Pythagoram Samium (*cf.* Hipp. cap. 2 *in seq. pag.*), a quo etiam ferunt ipsum philosophiae nomen exortum. Nam cum antea sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitae aliis praestare videbantur, iste interrogatus, quid profiteretur, philosophum se esse respondit, id est studiosum vel amatorem sapientiae, quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur.

Ionici vero generis princeps fuit Thales Milesius, unus illorum septem, qui sunt appellati sapientes. Sed illi sex vitae genere distinguebantur et quibusdam praeceptis ad bene vivendum accommodatis;[1]) iste autem Thales ut successores etiam propagaret, rerum naturam scrutatus suasque disputationes litteris mandans eminuit maximeque admirabilis extitit, quod astronomiae numeris comprehensis (*vd.* Theophr. *in adn. seq. pag.*) defectus solis et lunae etiam praedicere potuit. Aquam tamen putavit rerum esse principium

Hippolyt. Philos.:

Τίνα τὰ δόξαντα τοῖϲ φυϲικοῖϲ φιλοϲόφοιϲ καὶ τίνεϲ οὗτοι καὶ τίνα τὰ τοῖϲ ἠθικοῖϲ καὶ τίνεϲ οὗτοι καὶ τίνα τὰ τοῖϲ διαλεκτικοῖϲ καὶ τίνεϲ οἱ διαλεκτικοί; Φυϲικοὶ μὲν οὖν Θαλῆϲ Πυθαγόραϲ Ἐμπεδοκλῆϲ *eqs.*

Ἠθικοὶ Cωκράτηϲ Ἀρχελάου μαθητὴϲ τοῦ φυϲικοῦ, Πλάτων Cωκράτουϲ μαθητήϲ· οὗτοϲ τὰ τρεῖϲ φιλοϲοφίαϲ ἔμιξεν.

Διαλεκτικοὶ Ἀριϲτοτέληϲ Πλάτωνοϲ μαθητήϲ· οὗτοϲ τὴν διαλεκτικὴν ϲυνεϲτήϲατο. Cτωικοὶ δὲ Χρύϲιπποϲ Ζήνων.

Ἐπίκουροϲ δὲ ϲχεδὸν ἐναντίαν δόξαν πᾶϲιν ἐπεχείρηϲεν, Πύρρων ὁ Ἀκαδήμιοϲ (οὗτοϲ ἀκαταληψίαν τῶν πάντων λέγει) Βραχμᾶνεϲ οἱ ἐν Ἰνδοῖϲ Δρυῖδαι οἱ ἐν Κελτοῖϲ καὶ Ἡϲίοδοϲ. *(De hoc prooem. vd. inf.)*

cap. 1: 1) Λέγεται Θαλῆν τὸν Μιλήϲιον ἕνα τῶν ἑπτὰ ϲοφῶν πρῶτον ἐπικεχειρηκέναι φιλοϲοφίαν φυϲικήν. οὗτοϲ ἔφη ἀρχὴν τοῦ παντὸϲ εἶναι καὶ τέλοϲ τὸ ὕδωρ. 2) ἐκ γὰρ αὐτοῦ τὰ πάντα ϲυνίϲταϲθαι πηγνυμένου καὶ πάλιν διανιεμένου ἐπιφέρεϲθαί τε αὐτῷ τὰ πάντα ἀφ᾽ οὗ eqs. 3) καὶ τὰ πάντα φέρεϲθαί τε καὶ ῥεῖν τῇ τοῦ πρώτου ἀρχηγοῦ τῆϲ γενέϲεωϲ αὐτῶν φύϲει ϲυμφερόμενα. Θεὸν δὲ τοῦτ᾽ εἶναι, τὸ μήτε ἀρχὴν μήτε τελευτὴν ἔχον. 4) οὗτοϲ περὶ τὸν τῶν ἄϲτρων λόγον καὶ τὴν ζήτηϲιν ἀϲχολαϲθεὶϲ

1) Cf. Porph. ap. Cyrill. adv. Iul. p. 28.

Aug. C. D. VIII 2:

et hinc omnia elementa mundi ipsumque mundum et quae in eo gignuntur existere.[1]) Nihil autem huic operi quod mundo considerato tam mirabile aspicimus ex divina mente praeposuit.

Hippolyt. Philos.:

῞Ελληcι ταύτηc τῆc μαθήcεωc αἴτιοc πρῶτοc γίνεται ... ἐγένετο δὲ κατὰ Κροῖcον.

cap. 2. Ἔcτι δὲ καὶ ἑτέρα φιλοcοφία οὐ μακρὰν τῶν αὐτῶν χρόνων, ἧc ἦρξε Πυθαγόραc, ὃν Cάμιόν τινεc λέγουcιν. ἣν Ἰταλικὴν προcηγόρευcαν διὰ τὸ τὸν Πυθαγόραν φεύγοντα Πολυκράτην τὸν Cαμίων τύραννον οἰκῆcαι πόλιν τῆc Ἰταλίαc κἀκεῖ τὸν βίον πληρῶcαι.

cap. 5 ... δοκεῖ ἡμῖν τὴν ἀπὸ Πυθαγόρου ἐκθεμένουc φιλοcοφίαν κατὰ διαδοχὴν ἀναδραμεῖν ἐπὶ τὰ δόξαντα τοῖc μετὰ Θαλῆν, καὶ ταῦτα ἐξειπόνταc ἐλθεῖν ἐπί τε τὴν ἠθικὴν καὶ λογικὴν φιλοcοφίαν, ὧν ἦρξαν Cωκράτηc μὲν ἠθικῆc, Ἀριcτοτέληc δὲ διαλεκτικῆc.

Huic successit Anaximander, eius auditor, mutavitque de rerum natura opinionem. Non enim ex una re sicut Thales ex umore, sed ex suis propriis principiis quasque res nasci putavit. Quae rerum principia singularum esse credidit infinita et innumerabiles mundos gignere et quaecunque in eis oriuntur; eosque mundos modo dissolvi modo iterum gigni existima-

cap. 6. Θαλοῦ τοίνυν Ἀναξίμανδροc γίνεται ἀκροατήc ... οὗτοc ἀρχὴν ἔφη τῶν ὄντων φύcιν τινὰ τοῦ απείρου, ἐξ ἧc γίνεcθαι τοὺc οὐρανοὺc καὶ τοὺc ἐν αὐτοῖc κόcμουc· ταύτην δὲ ἀίδιον εἶναι καὶ ἀγήρω ἣν καὶ πάνταc περιέχειν τοὺc κόcμουc. λέγει δὲ χρόνον ὡc ὡριcμένηc τῆc γενέcεωc καὶ τῆc οὐcίαc καὶ τῆc φθορᾶc.

1) Cf. Theophr. Phys. op. fr. 1 Diels: Τῶν δὲ μίαν καὶ κινουμένων λεγόντων τὴν ἀρχὴν, οὓc καὶ φυcικοὺc ἰδίωc καλεῖ (sc. Aristoles) οἱ μὲν πεπεραcμένην αὐτήν φαcι, ὥcπερ Θαλῆc μὲν ... ὕδωρ ... Ἐξ οὗ δέ ἐcτιν ἕκαcτα, τούτῳ καὶ τρέφεcθαι πέφυκε eqs. Θαλῆc δὲ πρῶτοc παραδέδοται περὶ φύcεωc ἱcτορίαν τοῖc Ἕλληcιν ἐκφῆναι ... πολὺ διενεγκὼν ἐκείνων ... λέγεται δὲ ἐν γραφαῖc μηδὲν καταλιπεῖν πλὴν τῆc καλουμένηc Ναυτικῆc ἀcτρολογίαc. — Similiter Theophrasto cetera, quae Augustinus de singulis refert philosophis, respondent.

Aug. C. D. VIII 2:

vit, quanta quisque aetate sua manere potuerit;[1]) neque ipse aliquid divinae menti in his rerum operibus tribuens.

Iste Anaximenem discipulum et successorem reliquit, qui omnes rerum causas aeri infinito dedit nec deum negavit aut tacuit; non tamen ab ipsis aerem factum, sed ipsos ex aere ortos credidit.[2])

Anaxagoras vero eius auditor harum rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum animum sensit et dixit ex infinita materia, quae constaret similibus inter se particulis rerum omnium, quibus suis et propriis singula fieri, sed animo faciente divino.[3])

Diogenes quoque Anaximenis alter auditor aerem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent, sed eum esse compotem divinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset.[4])

Hippolyt. Philos.:

cap. 7: Ἀναξιμένης δὲ καὶ αὐτὸς ὢν Μιλήσιος . . . ἀέρα ἄπειρον ἔφη τὴν ἀρχὴν εἶναι, ἐξ οὗ τὰ γιγνόμενα καὶ τὰ γεγονότα καὶ τὰ ἐσόμενα καὶ θεοὺς καὶ θεῖα γίνεσθαι, τὰ δὲ λοιπὰ ἐκ τῶν τούτου ἀπογόνων.

cap. 8: Μετὰ τοῦτον γίνεται Ἀναξαγόρας . . . οὗτος ἔφη τὴν παντὸς ἀρχὴν νοῦν καὶ ὕλην, τὸν μὲν νοῦν ποιοῦντα, τὴν δὲ ὕλην γινομένην· ὄντων γὰρ πάντων ὁμοῦ νοῦς ἐπελθὼν διεκόσμησεν. τὰς δὲ ὑλικὰς ἀρχὰς ἀπείρους ὑπάρχειν, † καὶ τὰς σμικροτέρας αὐτῶν ἄπειρα λέγει. [coni. Diels p. 561 adn.: καὶ κατὰ τὴν σμικρότητα αὐτῶν ἄπειρα λέγει].

1) Cf. Theophr. l. l. fr. 2: Ἀναξίμανδρος Θαλοῦ γενόμενος διάδοχος καὶ μαθητὴς . . . ἑτέραν τινὰ φύσιν ἄπειρον, ἐξ ἧς ἅπαντας γίνεσθαι τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους, ἐξ ὧν δὲ ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γίνεσθαι κατὰ τὸ χρεών. Quem ad locum e Dielsio l. l. p. 174 cito Plut. Strom. 2: τοὺς ἅπαντας ἀπείρους ὄντας κόσμους; Aet. I 3, 3 (D.): διὸ καὶ γεννᾶσθαι ἀπείρους ὄντας κόσμους καὶ πάλιν φθείρεσθαι. De Anaximandro eiusque cum Anaxagora coniunctione vel confusione cf. Theophr. l. l. fr. 2. 4.

2) Cf. Theophr. l. l. fr. 2. 3) Cf. Theophr. l. l. fr. 4. Vd. adn. 1.

4) Cf. Theophr. l. l. fr. 2: Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης σχεδὸν νεώτατος γεγονὼς τῶν περὶ ταῦτα σχολασάντων eqs. τὴν δὲ τοῦ παντὸς φύσιν ἀέρα καὶ οὗτός φησιν ἄπειρον εἶναι καὶ ἀΐδιον eqs. De deo apud Augustinum commemorato vd. Diels. Jen. Litt. Zeit. 1878 p. 9.

Aug. C. D. VIII 2:

Anaxagorae successit auditor eius Archelaus. Etiam ipse de particulis inter se similibus, quibus singula quaeque fierent, ita putavit constare omnia, ut inesse etiam mentem diceret, quae corpora aeterna id est illas particulas, coniungendo et dissipando ageret omnia.[1]) Socrates huius discipulus fuisse perhibetur,[2]) magister Platonis, propter quem breviter cuncta ista recolui.

Hippolyt. Philos.:

cap. 9: Ἀρχέλαος ... οὗτος ἔφη τὴν μῖξιν τῆς ὕλης ὁμοίως Ἀναξαγόρᾳ τάς τε ἀρχὰς ὡσαύτως· οὗτος δὲ τῷ νῷ ἐνυπάρχειν τι εὐθέως μῖγμα.

cap. 10: Ἡ μὲν οὖν φυσικὴ φιλοσοφία ἀπὸ Θάλητος ἕως Ἀρχελάου διέμεινε. τούτου γίνεται Σωκράτης ἀκροατής.

VIII 3 p. 323, 11—14:

Socrates ergo primus universam philosophiam ad corrigendos componendosque mores flexisse memoratur, cum ante illum omnes magis physicis, id est naturalibus, rebus perscrutandis operam maximam impenderent ...[3])

cap. 18: Ὁ μὲν οὖν Σωκράτης γίνεται Ἀρχελάου τοῦ φυσικοῦ ἀκροατής· ὃς τὸ γνῶθι σαυτὸν προτιμήσας καὶ μεγάλην σχολὴν συστήσας ἔσχε πάντων τῶν μαθητῶν ἱκανώτερον τὸν Πλάτωνα, αὐτὸς μὲν μηδὲ σύγγραμμα καταλιπών.
Cf. etiam Hippolyti prooem.

ib. p. 324, 12—25:

Socrates reliquit plurimos suae philosophiae sectatores (*cf.* Hipp. 18), quorum certatim studium fuit in quaestionum moralium disceptatione versari, ubi agitur de summo bono, quo fieri homo beatus potest. Quod in Socratis disputationibus, dum omnia movet asserit destruit, quoniam non evidenter apparuit: quod cuique placuit inde sumpserunt et ubi cuique visum est constituerunt finem boni. Finis autem boni appellatur, quo quisque cum pervenerit beatus est. Sic autem diversas inter se Socratici de isto fine sententias habuerunt, ut quidam summum bonum esse dicerent voluptatem sicut Aristippus, quidam virtutem sicut Antisthenes. Sic alii aliud atque aliud opinati sunt, quos commemorare longum est. (*Cf.* Hipp. prooem.)

---

1) Cf. Theophr. l. l. fr. 4. 2) Cf. Theophr. l. l. fr 4.
3) Quae sequuntur similia sunt iis quae e Porphyrio profert Cyr. ad Iul. p. 180 sqq.

Aug. C. D. VIII 4 p. 324, 29—31:

Sed inter discipulos Socratis non quidem immerito excellentissima gloria claruit, quae omnino ceteros obscuraret, Plato.

Hippolyt. Philos.:

cap. 20: Σωκράτης ἔσχε πάντων τῶν μαθητῶν ἱκανώτερον τὸν Πλάτωνα.

ib. p. 325, 22—31:

Plato utrumque (sc. philosophiae partem activam et contemplativam) iungendo philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit: unam moralem, quae maxime in actione versatur; alteram naturalem, quae contemplationi deputata est; tertiam rationalem, qua verum disterminatur a falso, quae licet utrique, id est actioni et contemplationi, sit necessaria, maxime tamen contemplatio perspectionem sibi vindicat veritatis. Ideo haec tripertitio non est contraria illi distinctioni, qua intelligitur omne studium sapientiae in actione et contemplatione consistere.

Ib. § 2: Ὁ δὲ Πλάτων τὴν πᾶσαν αὐτοῦ σοφίαν ἀπομαξάμενος συνέστησε τὸ διδασκαλεῖον μίξας ὁμοῦ φυσικὴν ἠθικὴν διαλεκτικήν. (*Cf.* Hipp. prooem.)

C. D. VIII 5 p. 328, 11—24:

Thales in umore, Anaximenes in aere, Stoici in igne, Epicurus in atomis, hoc est minutissimis corpusculis, quae nec dividi nec sentiri queunt, et quicumque alii, quorum enumerationi immorari non est necesse, sive simplicia, sive coniuncta corpora sive vita carentia sive viventia, sed tamen corpora, causam principiumque rerum esse dixerunt. Nam quidam eorum a rebus non vivis res vivas fieri

cap. 21: Στωικοὶ καὶ αὐτοὶ μὲν ἐπὶ τὸ συλλογιστικώτερον τὴν φιλοσοφίαν ηὔξησαν (*cf.* Aug. C. D. VIII 7 *pag. sequ.*) καὶ σχεδὸν ὅροις περιέλαβον ὁμόδοξοι γενόμενοι ὅ τε Χρύσιππος καὶ Ζήνων, οἳ ὑπέθεντο καὶ αὐτοὶ ἀρχὴν μὲν θεὸν τῶν πάντων, σῶμα ὂν τὸ καθαρώτατον, διὰ πάντων δὲ διήκειν τὴν πρόνοιαν αὐτοῦ.

Aug.:

posse crediderunt, sicut Epicurei, quidam vero a vivente quidem et viventia et non viventia, sed tamen a corpore corpora. Nam Stoici ignem ... et viventem et sapientem et ipsius mundi fabricatorem atque omnium, quae in eo sunt, eumque omnino ignem deum esse putaverunt.[1])

Hippolyt. Philos.:

cap. 22: Ἐπίκουρος ἀρχὰς μὲν τῶν ὅλων ὑπέθετο ἀτόμους καὶ κενὸν ... (2) ἐκ δὲ τῶν ἀτόμων συνελθουσῶν γενέσθαι καὶ τὸν θεὸν καὶ τὰ στοιχεῖα καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα καὶ ζῷα καὶ ἄλλα ὡς μηδὲν μήτε γίγνεσθαι μήτε συνεστάναι εἰ μὴ ἐκ τῶν ἀτόμων εἴη. τὰς δὲ ἀτόμους τὰ λεπτομερέστατα σώμαθ' ὧν οὐκ ἂν γένοιτο κέντρον οὐδὲ σημεῖον οὐδὲν οὐδὲ διαίρεσις οὐδεμία, ἔφη, εἶναι, διὸ καὶ ἀτόμους αὐτὰς ὠνόμασε.

C. D. VIII 7 p. 331, 18—29:

Quod autem adtinet ad doctrinam, ubi versatur pars altera, quae ab eis logica, id est rationalis vocatur: absit ut his (sc. Platonicis) comparandi videantur, qui posuerunt iudicium veritatis in sensibus corporis eorumque infidis et fallacibus regulis omnia, quae discuntur, metienda esse censuerunt, ut Epicurei et quicumque alii tales, ut etiam ipsi Stoici, qui cum vehementer amaverint sollertiam disputandi, quam dialecticam nominant, a corporis sensibus eam ducendam putarunt, hinc asseverantes animum concipere notiones, quas appellant ἐννοίας, earum rerum scilicet, quas definiendo explicant; hinc propagari atque conecti totam discendi docendique rationem. *Cf.* Hipp. l. l. cap. 21: Στωικοὶ καὶ αὐτοὶ μὲν ἐπὶ τὸ συλλογιστικώτερον τὴν φιλοσοφίαν ηὔξησαν καὶ σχεδὸν ὅροις περιέλαβον.

C. D. VIII 8 p. 332, 12—29:

Reliqua est pars moralis, quam Graeco vocabulo dicunt ethicam *[cf. Hipp. prooem.]*, ubi quaeritur de summo bono, quo referentes omnia, quae agimus, et quod non propter aliud sed propter se ipsum adpetentes idque adipiscentes nihil, quo beati simus, ulterius requiramus. Ideo quippe et finis est dictus, quia propter hunc cetera volumus, ipsum autem non nisi propter ipsum. Hoc ergo beatificum bonum alii a corpore, alii ab animo, alii ab utroque homini esse dixerunt.[2]) Videbant quippe ipsum hominem constare ex

1) Cf. Cyrill. adv. Iul. p. 29: Στωικοὶ πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γένεσιν κόσμου· γεγράφασι δὲ περὶ τούτων Πλούταρχός τε καὶ ἕτεροι ... καὶ Πορφύριος.

2) Haec repetit Augustinus C. D. XIX 1 p. 346, 19—347, 1, et quamquam pergit: 'Ex qua tripertita velut generalium distributione

animo et corpore et ideo ab alterutro istorum duorum aut ab utroque bene sibi esse posse credebant, finali quodam bono, quo beati essent, quo cuncta quae agebant referrent atque id quo referendum esset non ultra quaererent. Unde illi, qui dicuntur addidisse tertium genus bonorum, quod appellatur extrinsecus, sicuti est honor gloria pecunia et si quid huiusmodi, non sic addiderunt ut finale esset, id est propter se ipsum adpetendum, sed propter aliud, bonumque esse hoc genus bonis, malum autem malis. *Cf. quae similia disputat* Hipp. l. l. cap. 23 *de Aristotele eiusque morali doctrina.*

C. D. VIII 9 p. 334, 9—17:

... philosophi sive Ionici generis, qui in eis (sc. philosophis) praecipui fuerunt, ... sive etiam Italici propter Pythagoram et Pythagoreos et si qui forte alii... sive aliarum quoque gentium qui sapientes vel philosophi habiti sunt: Atlantici Libyes, Aegyptii, Indi, Persae, Chaldaei, Scythae, Galli, Hispani aliique reperiuntur.[1]) *Cf.* Hipp. l. l. cap. 24: Ἔστι δὲ καὶ παρὰ Ἰνδοῖς αἵρεσις φιλοσοφουμένων ἐν τοῖς Βραχμάναις. cap. 25: Δρυΐδαι οἱ ἐν Κελτοῖς τῇ Πυθαγορείῳ φιλοσοφίᾳ κατ' ἄκρον ἐγκύψαντες. *Cf. etiam* Hipp. prooem. *sub. fin.*

C. D. VIII 12 p. 339, 5—14:

... cum Aristoteles Platonis discipulus, vir excellentis ingenii at eloquio Platoni quidem impar sed multos facile superans, sectam Peripateticam condidisset, quod deambulans disputare consueverat, plurimosque discipulos praeclara fama excellens vivo adhuc praeceptore in suam haeresim congregasset, post mortem vero Platonis Speusippus, sororis eius filius, et Xenocrates, dilectus eius discipulus, in scholam eius quae Academia vocabatur, eidem successissent atque ob hoc et ipsi et eorum successores Academici appellarentur ...

C. D. XVIII 37 p. 312, 1—32:

(Post eos [sc. prophetas] fuerunt) philosophi gentium, qui hoc etiam nomine vocarentur, quod coepit a Samio Pythagora (cf. C. D. VIII 2) ... Socrates Atheniensis, magister omnium,

---

sectarum Marcus Varro in libro de philosophia tam multam dogmatum varietatem diligenter et subtiliter scrutatus advertit eqs.', tamen ipsius eius verba, quibus brevi post Varroniani huius operis argumentum praebet, impedimento sunt, ne Varro haec scripsisse credatur. Qualem enim revera hic praebuerit tripertitionem, ex his verbis apparet l. l. p. 347, 19 sqq.: 'Haec igitur quattuor, voluptas, quies, utrumque, prima naturae, ita sunt in nobis, ut vel virtus propter haec appetenda sit, aut ista propter virtutem, aut utraque propter se ipsa; ac per hoc fiunt hinc duodecim sectae; per hanc enim rationem singulae triplicantur'.

1) Cf. Cyr. adv. Iul. p. 133; Diog. Laert. I 1. Locos exscripsi infra p. 106.

qui tunc maxime claruerunt, tenens in ea parte, quae moralis vel activa dicitur, principatum ... (cf. VIII 3 sup. p. 97). Non multo post etiam Plato natus est, qui longe ceteros Socratis discipulos anteiret (cf. VIII 4 sup. p. 98). Quibus si addamus etiam superiores, qui nondum philosophi vocabantur septem scilicet sapientes ac deinde physicos, qui Thaleti successerunt in perscrutanda natura rerum studium eius imitati, Anaximandrum scilicet et Anaximenem et Anaxagoram aliosque nonnullos, antequam Pythagoras philosophum primus profiteretur .... (cf. VIII 2 sup. p. 94 sqq.). Soli igitur theologi poetae[1]) Orpheus Linus Musaeus et si quis alius apud Graecos fuit [cf. Hipp. prooem: Ἡσίοδος] (his prophetis annis reperiuntur priores.) ... Verum quod fatendum est, non quidem in Graecia sed in barbaris gentibus, sicut in Aegypto (cf. VIII 9) (iam fuerat ante Moysen nonnulla doctrina).

C. D. XVIII 14 p. 274, 3 sqq.:

(Per idem temporis intervallum) extiterunt poetae, qui etiam theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant ... Orpheus Musaeus Linus. Cf. XVIII 37.

ib. cap. 24 p. 288, 14 sqq.:

Romulo regnante Thales Milesius fuisse perhibetur, unus e septem sapientibus, qui post theologos poetas, in quibus Orpheus maxime omnium nobilitatus est, σοφοὶ appellati sunt, quod est Latine sapientes (cf. VIII 2).

cap. 25 p. 290, 3 sqq.:

Omnes hi septem appellati sapientes post poetas theologos claruerunt, quia genere vitae quodam laudabili praestabant hominibus ceteris et morum nonnulla praecepta sententiarum brevitate complexi sunt. Nihil autem monumentorum, quod ad litteras adtinet, posteris reliquerunt ...; Thales vero physicus fuit et suorum dogmatum libros reliquit. (Eo captivitatis Iudaicae tempore) et Anaximander et Anaximenes et Xenophanes physici claruerunt. Tunc et Pythagoras, ex quo coeperunt appellari philosophi (cf. VIII 2).

C. D. XVIII 41 p. 318, 1—32:

Nonne apud Athenas et Epicurei clarebant adserentes res humanas ad deorum curam non pertinere et Stoici, qui contraria sentientes eas regi atque muniri diis adiutoribus et tutoribus disputabant? Unde miror cur Anaxagoras reus factus sit, quia solem dixit esse lapidem ardentem, negans utique Deum[2]) cum in eadem civi-

---

1) Cf. Cyr. adv. Iul. p. 25.
2) Eadem narrat Porphyrius ap. Cyr. adv. Iul. p. 189 E.

tate gloria floruerit Epicurus vixeritque securus, non solum solem vel ullum siderum deum esse non credens, sed nec Iovem nec ullum deorum omnino in mundo habitare contendens ad quem preces hominum supplicationesque perveniant. Nonne ibi Aristippus in voluptate corporis summum bonum ponens, ibi Antisthenes virtute animi potius hominem fieri beatum adseverans, duo philosophi nobiles et ambo Socratici (cf. VIII 3)..., quorum etiam ille fugiendam, iste administrandam sapienti dicebat esse rempublicam...? Nempe palam... catervatim pro sua quisque opinione certabant, alii adserentes unum, alii innumerabiles mundos; ipsum autem unum alii ortum esse, alii vero initium non habere; alii interiturum alii semper futurum; alii mente divina, alii fortuito et casibus agi[1]); alii immortales esse animas, alii mortales; et qui immortales, alii revolvi in bestias, alii nequaquam; qui vero mortales, alii mox interire post corpus, alii vivere etiam postea vel paullulum vel diutius, non tamen semper; alii in corpore constituentes finem boni, alii in animo, alii in utroque, alii extrinsecus posita etiam bona ad animum et corpus addentes (cf. VIII 8); alii sensibus corporis semper, alii non semper, alii numquam putantes esse credendum (cf. VIII 7).

Augustinus in libro XVIII eundem, quem in libro VIII compilavit auctorem. Nam quae leguntur XVIII 37 (14. 24. 25), iam occurrunt VIII 2. 3. 9, exceptis theologis poetis. Item XVIII 41 de Aristippo et Antisthene Socraticis repetit, quod iam dixerat VIII 3, in enumerandis philosophorum opinionibus accurate distinguit naturales, morales, rationales, quam eandem rationem secutus etiam VIII 5. 7. 8 singulas philosophiae partes tractat, denique cum morales illae et rationales opiniones, quae utrisque locis leguntur, inter se congruant, non dubium est, quin ex eodem auctore etiam naturales de mundo et anima opiniones hoc in capite 41 prolatae profectae sint, quippe quas ab illis separare non liceat. Quae cum ita sint, ne cetera quidem huiusmodi, quae hoc capite 41 leguntur, praecipue Epicureorum et Stoicorum de dis sententias[2]) eodem referre dubito.

Quodsi haec Augustinus ex uno eodemque fonte accepit, de Varronis R. D. libro I non cogitandum est, quippe in quo libro sententiae logicae et ethicae certe locum non tenuerint. Verum fieri posse dixeris, ut Augustini auctor physicas illas de mundo et anima sententias e R. D. libro I hauserit. Cuius opinionis, quod ad placita de anima attinet, argumenta protulisse videtur Schmekelius dissert. p. 47 sqq. Comparat enim quae Lucani commentator adnotat ad Phars. IX 1: 'Alii existimant animas statim elisas corpore solvi ac dissipari in principia sua, inter quos Epicurus. Alii solidas qui-

1) Eadem leguntur ap. Cyr. adv. Iul. p. 46, quem locum exscriptum invenies infra p. 103 sq.

2) De Anaxagorae accusatione adhuc dubitandum est, sed vd. p. 106, 2.

dem, postquam exierint de corpore, permanere, deinde tractu temporum dissipari. Alii integras decedere, sicuti venerint in corpora, et semper manere; haec auctoritas in duas opiniones scinditur: Alii enim dicunt liberatas a vinculo corporis in coelum reverti ...; alii ire per corpora multorum animalium CCCCLXVII° anno rursus in corpora reverti humana: huius opinionis conditor Pythagoras.'

Leguntur hic profecto similia, neque hoc mirum, cum de eadem re agatur. Sed praeterquam quod verba inter se non respondent, sententiae prorsus diverse sese excipiunt ita ut minime perspiciatur, qua forma fuerit ille, quem Schmekelius vult, fons communis? Immo quia diverso ordine similes (non easdem) sententias proferunt, Augustinus vel potius Augustini auctor et commentator diversos sequuntur auctores. At vir ille doctus contendit commentatoris locum iam ab Usenero ad Varronem relatum esse. Sed quid dicit hic vir eximius? Adnotat ad hunc locum: 'De ratione huius partitionis cf. Varro apud Aug. de civ. dei XVIIII 1—3 et satur. fr. p. 191, 3 Riesei.' De ratione igitur partitionis, non de philosophorum sententiis loquitur; atque profecto tales, quae comm. Luc. praebet, sententias apud Varronem in Aug. C. D. XIX 1—3 nullas legimus. Denique si ex satura illa elucet Varronem novisse, quid philosophi quidam de animarum post mortem statu docuerint, minime de Varronis R. D. libro I commentatoris fonte inde quidquam certi colligendum est.

Praemissae sunt his de anima doctrinis apud Augustinum (p. 318, 18 sqq.) nonnulla de mundo similia eis, quae e Varrone refert Tert. ap. 47: 'Sic et de ipso mundo natus innatusve sit, decessurus mansurusve sit, variant', ad nat. II 3 p. 98, 9 sqq.: 'Mundus aut ab aliquo institutus sit necesse est, qua Platonis humanitas, aut a nullo, qua Epicuri duritia.' Sed multo accuratius concinunt cum Augustino Ambrosius Hexaem. I 1, 3 sqq. et Cyrillus adv. Iul. p. 46. Videas enim:

Ambr. Hex. I 1, 3 sqq.:	Aug. C.D. XVIII 41 p. 318, 18—24:	Cyr. adv. Iul. p. 46:
(*Stoicis commemoratis pergit*): De ipso mundo non mediocris inter eos quaestio est.	Nempe palam ... pro sua quisque opinione certabant;	
Nam Pythagoras unum mundum asserit, alii innumerabiles dicunt esse mundos, ut scripsit Democritus ...	alii asserentes unum, alii innumerabiles mundos.	οἱ μὲν ἕνα τὸν κόϲμον, οἱ δὲ πολλούϲ,
Ipsumque mundum semper fuisse et fore Aristoteles usurpat dicere,	Ipsum autem mundum alii ortum esse alii initium non habere, alii interiturum	ἕτεροι δὲ γενετόν, εἰϲὶ δὲ οἳ τούτοιϲ ἀνθεϲτηκότεϲ ... ἄφθαρτόν τε καὶ ἀγένητον εἶναι λέγουϲιν αὐτόν,

Ambr. Hex. I 1, 3 sqq.:	Aug. C.D. XVIII 41 p. 318, 18—24:	Cyr. adv. Iul. p. 46:
contra autem Plato non semper fuisse sed semper fore praesumat astruere. Plurimi vero nec fuisse semper nec semper fore scriptis suis testantur...	alii sempiternum futurum,	καὶ οἱ μὲν προνοίᾳ θεοῦ διοικούμενον,
Alii mundum ipsum deum esse dicunt, quod ei mens divina, ut putant, inesse videatur ...,	alii menta divina,	οἱ δὲ καὶ προνοίαϲ δίχα καὶ τὴν τῶν ϲτοιχείων εὔτακτον κίνηϲιν αὐτοματιϲμοῖϲ καὶ ϲυμβεβηκόϲιν ἐκνενεμήκαϲιν·
quibusdam incitatum motibus sine sensu mundum[1]) conveniat intellegi, qui alieno, non suo motu feratur.	alii fortuito et casibus agi.	καὶ οἱ μὲν ἐμψυχῶϲθαί φαϲιν αὐτόν, οἱ δὲ οὔτε ἔμψυχον οὔτε νοερόν.

Cf. etiam Aug. l. l. p. 318, 2—5: 'Epicurei clarebant asseverantes ad deorum curam res humanas non pertinere, et Stoici, qui contraria sentientes eas regi atque muniri diis adiutoribus disputant'; Ambr. de off. min. I 13, 47 sqq.: '(47) Nihil deum curare de nobis Epicurei dicunt... (48) Aristoteles asserit usque ad lunam eius descendere providentiam ... (49) Per omnia deum ire Stoici asserunt et omnia in virtute eius consistere.'

Profluxerunt haec quae proposuimus patrum ecclesiasticorum verba nescio qua ratione ex eodem fonte, quem Varronis librum credi vetant Ambrosius et Cyrillus. Quis Ambrosio in manibus fuerit auctor, incertum est, certe non Varro; Cyrillus inde a pag. 46 B compilavit Plutarchum personatum, de qua re vd. Diels. doxogr. p. 327 sqq.

Iam revertamur, unde egressi sumus, quaeramusque, qualem librum Augustinus adhibuerit, cum universas illas philosophorum rationes supra exscriptas conscriberet. Nam quamquam in disponendo et rerum et temporum ordinem coniungit, tamen unum fontem statuendum esse credo, cum eadem disponendi ratio iam apud Hippolytum occurrat[2]), Hippolytum autem et Augustinum ad eundem fontem redire manifestum sit[3]), quamvis eodem libro eos usos esse non contenderim. Iam vero Dielsius dox. p. 144 sqq. ostendit in Hippolyti excerptis duorum auctorum vestigia latere, Theophrasti

1) Ita enim pro 'Deum', quod Migneus praebet, legendum est.
2) Imprimis ab utroque philosophorum successiones et tres philosophiae partes eadem ratione iunctas praeberi moneo.
3) De Aug. C. D. VIII 2 ostendit hoc Dielsius dox. p. 173 sq.

scilicet et Sotionis vel Heraclidis Lembi, Sotionis epitomatoris, quod idem ad nostrum pertinet. De Sotione et Heraclide quae vir eximius docet, breviter referre liceat. Sotion scripsit διαδοχῶν libros XIII, quorum hoc erat argumentum:

I	Thales. VII sapientes. Physici	VII	Cynici
II	Socrates. Aristippus	VIII	Stoici
III	Socratici	IX	Pythagoras
IV	Plato	X	Eleatici Democritus
V	Academici	XI	Pyrrhonii
VI	Aristoteles et discipuli	XII	Epicurus

XIII Barbari.

Sotionis copiosissimum opus in VI libros contraxit Heraclides Lembus, cuius operis indiculus extat. 'Epitomes enim indicem', ita scribit Dielsius l. l. p. 148, 'nuper accepimus, quem Useneri curiositas e Ioseppi hypomnestico [ed. I. A. Fabricius cod. pseudepigr. vet. test. Hamb. 1723 vol. II p. 325] vulgavit [Mus. Rhen. XXVIII 431]. Superscriptum est: τίνες αἱρέσεις παρ' Ἕλλησι γεγόνασι; en Ioseppi tabula:

1	ἡ περὶ τῶν φυσικῶν	11	Ἐμπεδόκλειος
2	ἡ περὶ θεολογίας[1])	12	Ἡρακλείτειος
3	ἡ περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν[2])	13	Ἐλεατική
4	ἡ Σωκρατική	14	Δημοκρίτειος
5	ἡ Κυρηναϊκή	15	Πρωταγόρειος
6	ἡ Κυνική	16	Πυρρωνεία
7	ἡ Ἠλειακή	17	Ἀκαδημαϊκή
8	ἡ Ἐρετριακή	18	Περιπατητική
9	Μεγαρική	19	Στωική
10	Πυθαγόρειος	20	Ἐπικούρειος.'

Iam cognoscitur, unde profecta sint quae apud Augustinum leguntur de VII sapientibus et de theologis poetis, necnon largiora illa, quibus Hippolytum superat, de Socraticis Stoicis Epicureis Barbaris: e Sotione vel Heraclide. Atque hoc ultimum de Barbaris etiam aliunde certissime evincitur. Scribit enim Diog. Laert. I 1: Τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἔνιοί φασιν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι· γεγενῆσθαι γὰρ παρὰ μὲν Πέρσαις Μάγους, παρὰ δὲ Βαβυλωνίοις ἢ Ἀσσυρίοις Χαλδαίους, καὶ γυμνοσοφιστὰς παρ'

---

1) Id est de poetis theologis (cf. adn. 3).

2) De trium primarum partium ordine docet idem vir doctissimus p. 152: 'VII sapientes post physicos primo capite absolutos tractari non poterant; at in prooemio libri primi poterat sermo incidere de physicis a Thalete repetendis, cum quo theologorum id est Homeri Hesiodi Pherecydis' (necnon Orphei Lini Musaei) 'et VII sapientium memoria, ut fieri solet, coniuncta erat'.

Ἰνδοῖς, παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους Δρυΐδας καὶ Σεμνοθέους, καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Μαγικῷ καὶ Σωτίων ἐν τῷ ιγ' τῆς Διαδοχῆς, Φοίνικά τε γενέσθαι Μῶχον καὶ Θρᾷκα Ζάμολξιν καὶ Λίβυν Ἄτλαντα. Αἰγύπτιον μὲν γὰρ Νείλου γενέσθαι παῖδα Ἥφαιστον, ὃν ἄρξαι φιλοσοφίας, ἧς τοὺς προεστῶτας ἱερέας εἶναι καὶ προφήτας. Cf. Aug. C. D. VIII 9 p. 334, 14 sqq.: '... sive aliarum quoque gentium, qui sapientes vel philosophi habiti sunt, Atlantici Libyes (sic!), Aegyptii, Indi, Persae, Chaldaei, Scythae, Galli, Hispani aliique reperiuntur ...'[1])

Quae cum ita sint, illos Augustini locos omnes inter se recte a nobis coniunctos esse apparet; apparet vero etiam collatis scriptoribus Graecis Augustini auctorem e Varrone non pendere.[2])

Deinde videndum est de 'revolutione animarum', de qua Augustinus eadem plerumque ratione agit amplius his locis: C. D. X 30. XIII 19. XXI 13. XXII 26. 27. Sermon. 240. 242. de trin. XII, brevius: Ep. 104, 1, 3. de gen. ad litt. VII 9, 13. 10, 15. enarr. in Ps. 146, 9. Eandem materiam magna patrum ecclesiasticorum turba tractat, ut Tertullianus, Arnobius (de quibus infra videas), Minucius Felix Oct. 33, 6 sqq., Lactantius I. D. VII 13. 20, Ambrosius de exc. fratr. II 65. 127. de bon. mort. X 45. Tractabant eam etiam ludi magistri Vergilium Lucanumve interpretantes, itemque philosophi, imprimis qui ea aetate maxime ac paene soli clarescebant, Neoplatonici: hae igitur sententiae omnibus, qui etiam modice se eruditos volebant esse, tam notae erant, ut Augustino, docto homini, ultro multa se obtulisse necesse sit, quae ad certum fontem referre vix ipse potuit. Adductus etiam ad haec agenda et adiutus videtur esse Ambrosii, magistri sui, verbis et disputationibus; scribit enim contr. Iul. Pelag. II 7, 19: 'Audi ergo, quid episcopus Ambrosius dicat in libro de philosophia contra Platonem philosophum, qui ho-

---

1) Cf. etiam Cyr. adv. Iul. p. 133 D sq.: Ἱστορεῖ γοῦν Ἀλέξανδρος ὁ ἐπικληθεὶς Πολυΐστωρ ἐν τῷ περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων Ἀσσυρίῳ τὸ γένος ὄντι τῷ Ζάρᾳ φοιτῆσαι τὸν Πυθαγόραν. Ἐφιλοσόφησαν δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοις οἱ κεκλημένοι προφῆται καὶ μὴν καὶ Ἀσσυρίων Χαλδαῖοι καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδαι καὶ ἐκ Βάκτρων τῶν Περσικῶν Σαμαναῖοι καὶ Κελτῶν οὐκ ὀλίγοι καὶ παρὰ Πέρσαις οἱ Μάγοι καὶ παρ' Ἰνδοῖς οἱ γυμνοσοφισταὶ καὶ αὐτὸς Ἀνάχαρσις παρὰ Σκύθαις, Ζάμολξις ἐν Θράκῃ, φασὶ δέ τινας καὶ τῶν Ὑπερβοραίων eqs.

2) Quemnam pater exscripserit quamquam quaerere non meum est, tamen propriam coniecturam proferre liceat. Cogito enim de auctore quodam Latino Platonicorum sectae addicto, qui Porphyrium vel in Latinum vertit, vel in vertendo partim contraxit partim amplificavit. Vd. Cyrill. adv. Iul. p. 25 E sqq., imprimis p. 28 A de VII sapientibus, 28 E de Stoicis, p. 133 D de Barbaris, 180 de Socrate, 189 E de Anaxagora, 190 de Socratis damnatione; Apul. de Plat. et eius dogm. I 1—4 de Platonis vita et doctrina (cf. Aug. C. D. VIII 4). De Cyrillo eiusque cum Plutarcho personato et Porphyrio ratione vd. Diels. l. l. p. 10 sq. 47 sqq.

minum animas revolvi in bestias asseverat et animarum tantummodo deum opinatur auctorem, corpora autem diis minoribus facienda decernit[1]): Miror, inquit, tantum philosophum, quomodo animam, cui potestatem conferendae immortalitatis attribuit, in noctuis includat aut ramulis, feritate quoque induat bestiarum, cum in Timaeo eam dei opus esse memoravit inter immortalia a deo facta eqs.' Ubi ipsis verbis indicatur Augustinum id, quod de revolutione animarum a Platone asseverata praemittit, ex Ambrosio sumpsisse. Alia autem apud Porphyrium vel in latina Porphyrii versione legit, quo cum philosopho totis his capitibus: C. D. X 29 sqq. XIII 19. XXII 26. 27. Serm. 240. 242 proprie rem habet. Denique commentatorem quendam Vergilii saepissime adiit; nam omnibus paene locis, quibus animas revolvi dicit Vergilii versus laudat atque eosdem, ad quos Lucani commentator (ad Phars. IX 9) lectores allegat. Itaque praeterea eum hac in re in Varronis vestigiis ingressum esse non modo veri non simile, sed etiam plane incredibile est.

Verum Schmekelius (Phil. d. mittl. Stoa p. 104 sqq.) Augustinum C. D. XXI 13 p. 515, 4—516, 1 et commentatorem Lucani ad Phars. IX 9 p. 291, 3 sqq. Us. et inter se et cum continuis Servii adnotationibus ad Verg. Aen. VI 703—750 comparat.[2]) Qui loci quoniam, ut similes eorundem auctorum, omnes ad unum fontem redirent (ita enim concludit vir ille doctus), Servius autem bis Varronem nominaret: in Varrone huius doctrinae originem reperiri, ex quo Augustinus et alibi haurire soleret. Testes denique vocat Tertullianum (ap. 47 p. 290, 4 sqq., ad nat. I 19 p. 91, 16 sqq.; adiungit etiam in diss. pag. 53 sqq. Tertullianum de an. 28. 23. 32) atque Arnobium (adv. nat. II 14. 27. 30. 13. 33. 16. 28).

At si loci illi Aug. C. D. XXI 13, comm. Luc. IX 9 accuratius recensentur, similitudinem illam inde tantum natam esse apparet, quod uterque eosdem Vergilii versus easdemque horum versuum explicationes profert. Augustinus enim ipse confitetur Vergiliani loci (Aen. VI 736—742), quem paullo ante citaverat, explicationem se dare inde a verbis 'Qui hoc opinantur eqs.'; his verbis accurate respondent commentatoris verba: 'Aliae ventis, aliae igne, aliae aqua purgantur. hoc est aliae ventis per aerem traducuntur, ut purgatae aeris tractu in naturam suam possint', quae ipse commentator versibus Aen. VI 736—40 ab ipso citatis postponit; iam vero si legeris, quae Vergilius dicit l. l. 740—742: 'Aliae (sc. animae) panduntur inanes Suspensae ad ventos, aliis sub gurgite vasto Infectum eluitur scelus aut exuritur igni': concedes nullo dubio etiam commentatoris verbis nihil contineri nisi eorundem Vergilii versuum interpretationem, quos Augustinus ipsos exscripsit. Neque minus commen-

1) Et de hac re copiose agit C. D. XIII 16. 17.

2) Quod dicit p. 106: 'Diese Erklärungen Augustins und des Lucankommentators entsprechen denen des Servius in Aen. VI 703—750 und stehen ihnen vollkommen parallel' nimium contendit.

tator poetae sententiam respicit, cum ineunte loco dicit: 'Animas philosophi eqs. — quo etiam dissolutae non carent, ut et Vergilius ait' (sequuntur vers. Aen. VI 736—740). Denique Augustini verba initio loci dicta[1]), quibus apud commentatorem nihil respondet, huc omnino non pertinent, cum pater ibi contra philosophos Neoplatonicos (perspicuitatis causa hac voce uti liceat pro Platonicis) pugnat. Ergo Augustinus et commentator quoad comparari possunt nihil ferunt nisi Vergilii sententias, quas ut darent, Vergilii quendam commentarium inspexerunt, si modo certum fontem adire opus habebant.

Ex his igitur scriptoribus de hac Varronis doctrina nihil comperitur, neque magis ex Arnobio, qui num Varronem propria lectione noverit incertum esse denuo monere me iam piget. Atque profecto cum Servio nisi in tritissimis rebus non consentit, rerum serie utitur plane diversa, ut ipse Schmekelius hos inter se confert locos p. 110 sqq.:

Serv. ad Aen. VI:	Arnob. adv. nat. II:
v. 724. 746. 724	c. 14. 27.
v. 703. 295. 741. 739	c. 14. 30.
v. 745	c. 13.
v. 719	c. 33.
v. 741	c. 16.
v. 714. 439	c. 28. 16. 26 in. 27 in.

Itaque misso Arnobio de altero Schmekelii teste videamus, Tertulliano. Nititur vir doctus maxime in his verbis ap. 47 p. 290, 4 sqq. ad nat. I 19 p. 91, 16 sqq.[2]): 'Vobis traditum est hominis spiritum in cane vel mulo aut pavone rediturum ... Iudicium vos Minoi et Rhadamantho adscribitis ... (Eo iudicio iniquos aeterno igni, pios et insontes amoeno in loco dicimus perpetuitatem transacturos). Apud vos quoque Pyriphlegethontis et Elysii non alias condicio disponitur. Nec mythici ac poetici talia canunt, sed et philosophi de animarum reciprocatione et iudicii distributione confirmant.' Ultima (inde a verbis 'iudicium vos Minoi eqs.') notiora sunt, quam quae certo fonti tribui possint; insuper ipse Schmekelius (Phil. d. Stoa p. 109 adn. 2) dicit: 'Dies kann natürlich nicht die uneingeschränkte Meinung Varros gewesen sein.' Priora autem verba quamquam similia sunt eis, quae Varro in sat. Men. Eumen. (fr. 18 Ries. p. 128) praebuit, tamen ad R. D. libri I rationem intellegendam eo minus valent, quod Tertullianus neque in apologetico neque in libro ad nat. I Varronis R. D. libros compilare solet, de qua re videas quaest. II § 1. Immo si auctorem illum, quem nominavimus 'communem', cui plurima in his libris debet, Varronis saturas Me-

1) 'Platonici quidem, quamvis impunita nulla velint esse peccata, tamen omnes poenas emendationi adhiberi putant vel humanis inflictas legibus vel divinis in hac vita sive post mortem.'

2) Utroque loco eadem eisdem verbis commemorat.

nippeas recensuisse meminerimus (cf. ad nat. I 10, ap. 14; quaest. II p. 58 sq.), multo verisimilius est hunc Tertulliano ex ipsa satura paucissima illa de 'hominis spiritu in cane vel mulo vel pavone redituro' dedisse. Atque quod Tertullianus ap. 48 in. e Laberio mimographo sententiam quandam Pythagorae commemorat, ne hoc quidem e Varrone sumpsit[1]), sed ex 'auctore communi', quippe qui ap. Tert. ad nat. I 10 post Varronis saturas Menippeas nullis intermissis mimos vituperet.

Quodsi iam ex his Tertulliani operibus de Varrone certi nihil evincitur, multo incertior res est in eiusdem Tertulliani de anima libro, de cuius origine Varroniona ne coniectura quidem adhuc quidquam repertum est. Nam quod Schmekelius hos locos cap. 28 p. 346, 22 sqq.; cap. 23 p. 336, 22 sqq.; cap. 32 p. 352, 18 sqq. e conexu evulsos cum Augustini et Lucaniani commentatoris locis magis specie quam re similibus comparat, hoc nihili esse iam non opus est fusius ostendere. Interrogo tantum, unde cetera Tertulliani verba originem ducant, quae cum his ita cohaerent, ut segregari nequeant. Ad Varronem certe non redeunt. Denique ipse Schmekelius scribit (diss. p. 54 adn.): 'Idem (sc. quod Aug. C. D. XIII 19 p. 582, 13 sqq. et comm. Luc. IX 9 referunt) legimus apud Tertullianum de an. 54, quod tamen ex altero huius libri fonte, Sorano, petitum esse videtur.' Quibus verbis confitetur duos auctores de eadem re in eundem modum disputare posse neque ex sola sententiarum similitudine certi quidquam concludendum esse.

Denique pauca dicenda sunt de eis, quae de quattuor perturbationibus animi refert Augustinus C. D. IX 3. 4. 5. XIV 3. 5. 8. 15. 19. 22. XXI 3. Epist. 104, 16.

Atque primum quidem haec in universum tum temporis nota fuisse moneo; praecipue autem Augustinus de omni animae natura permulta non modo rettulit sed ipse quaesivit, atque optime accidit, quod ipse hoc profitetur Conf. X 14, 22: 'Ecce de memoria profero, cum dico quattuor esse perturbationes animi cupiditatem laetitiam, metum tristitiam; et quidquid de his disputare potuero . . ., ibi (sc. in memoria) invenio'. Deinde inspexit Vergilium et Vergilii commentarios; nam omnibus locis enumeratis, excepto uno Ep. 104, ad huius poetae versus 'ad Platonicum dogma conscriptos' lectorem adlegat. Tum copiose compilat Ciceronem (Tusc. IV 6 sqq.). Denique, ubi Cicerone plenior est vel ab eo in singularum perturbationum partibus enumerandis et in 'constantiis' explicandis differt, auctorem Platonicum contra Stoicos pugnantem sequitur; cf. e. g. C. D. IX 4: 'Duae sunt sententiae philosophorum de his animi motibus, quae Graeci πάθη, nostri autem quidam, sicut Cicero perturbationes, quidam affectiones vel affectus, quidam vero, sicut iste

1) Et hunc locum Schmekelius in suis Varronis fragmentis posuit p. 129.

(sc. Apuleius) de Graeco expressius passiones putant eqs. (sequentibus verbis Platonicorum et Stoicorum sententiae comparantur)'; ib. XIV 19: 'Illi philosophi, qui veritati propius accesserunt (i. e. Platonici, cf. C. D. VIII 6 sqq.) iram atque libidinem eqs.' Quae cum ita sint, his Augustini locis Varroniana inesse nego, nisi forte nonnulla casu quodam per Vergilii commentarios eo perfluxerunt. —

Quid Varro docuerit, ex uno Platone agnoscitur. Exponit hic in Phaedone — etsi nota refero, referenda puto — p. 76 animam vivere atque intellegentiam habere, antequam in hoc corpus transiret; quae vero anima in corpore inclusa intellegeret, haec eam non denuo discere sed recordari tantum ea, quae aliquando oblita esset; animam igitur esse immortalem. Idem etiam inde colligit p. 80[b], quod anima 'divinae, simplicis, indissolubilis naturae esset', cum corpus esset 'mortali multiformi dissolubili simillimum'. Animam autem ex corporis coniunctione pollutam voluptatibus et cupiditatibus, doloribus et timoribus affici et improbam fieri (p. 81[b]. 83[b]). Atqui si mors totius dissolutio esset, improbos lucraturos esse, si corpore et pravitate una cum anima simul liberarentur. Quod cum fieri non posset, animae salutem cuique esse curandam, et vero philosopho id agendum esse, ut iam in hac vita animam a corpore et affectibus solveret (p. 80[de]. 81[a]. 107[c]). Eiusmodi animas post mortem reliquum tempus vitam cum diis agere (p. 81[a]), vel, ut accuratius exponit p. 114[bc], 'eos qui pie prae ceteris vixissent ad altiora transscendere puramque supra terram habitare regionem; ex his autem quicunque per philosophiam satis sese purgassent, sine corporibus omnino totum per tempus vivere, habitationesque illis etiam pulchriores nancisci'. Animas vero improborum contagione corporea infectas et involutas et gravatas rursus ad visibilem et corpoream materiem cupidinibus suis trahi (81 d); itaque postquam singulae a suo daemone ad inferos deductae (p. 113 d) peccatorum poenas solvissent (p. 113 d—114 b), rursus ad generationem animalium eas remitti (p. 113 a) et pro affectibus suis nova corpora inire vel bestiarum vel etiam hominum (81 e—82 b). Hoc ultimum quomodo fiat, Plato accuratius docet Republ. X p. 617 d sqq.; ibidem p. 621 a mythice exponit animas novam vitam novumque daemonem ut vitae ducem sortitas in campum Lethaeum deduci, ut huius fluminis aquam oblivionis causa biberent.

Similia igitur Varro docuit, cum 'in primo divinarum de Platonis dogmate, quod in Phaedone positum est περὶ ψυχῆς, plenissime tractaret'. Unde apparet, quare de animi perturbationibus egerit; non disputavit quae universa esset animi natura, sed quae post mortem animae condicio. Neque tamen ipso Platone eum usum esse credendum est; sed quoniam aliis locis Platonis doctrinam e Posidonio eum hausisse vidimus, idem hac in re statuendum est, praesertim cum Posidonium de anima secundum Platonem docuisse e

Galeno (de plac. Hipp. et Plat. I 1, 4) sciamus[1]. Verum Posidonius auctoris sui doctrinam aliquantum commutavit, cum ex eius sententia anima humana aetheris vel animi mundani pars esset[2]) cumque non modo philosophorum sed etiam virorum fortium ac bene meritorum animis immortalitatem et quodam modo divinitatem attribueret[3]), qua in re Varro eum secutus est.[4]) Puto autem hunc de anima egisse cum deos ex hominibus assumptos recte credi demonstraret.

Iam vero Vergilius (Aen. VI 724—751[5])) Platonis et Stoicorum rationes coniunctas praebet, quem locum ex parte (724—731. 733. 735) cum Varronis doctrina, quae legitur ap. Aug. C. D. IV 12. VII 6. 23. Tert. ad nat. II, 2. 3, consentientem num inter Varronis fragmenta referrem diu haesitavi; sed Vergilius, poeta doctissimus, haec ex ipsa Posidonii lectione collegisse potest.[6])

Quoniam igitur in universum vidimus, quae Varronem de anima scripsisse credendum sit, singulae Servii commentatorisque Lucaniani adnotationes examinare licet, ubi imprimis cavendum est, ne talia, quibus scholiastae poetarum suorum verba tantum circumscribunt, Varroni tribuantur, e. g. ad Aen. VI 703 p. 97, 2 sqq., v. 724 p. 100, 10 sqq.

Atque Servius scribit ad Aen. VI 713: 'Sciendum non omnes animas ad corpora reverti: aliquae enim propter vitae merita non redeunt.' Hominibus quibusdam propter vitae merita divinitatem tribui docet, ut modo diximus, Varro cum Posidonio; Varroniana igitur hic latere possunt.

Quod ad v. 724 p. 99, 23—100, 9 accipimus deum esse quintum elementum neque apud Vergilium extat (cf. v. 724. 730. 747) et a Varronis sententia plane abhorret (cf. Tert. ad nat. II 2).

Ad v. 727 p. 102, 23 sqq. leguntur: 'Magno se corpore miscet] secundum eos locutus est, qui dicunt deum corporalem esse et eum ita definiunt πῦρ νοερόν, id est ignem sensualem'; ad v. 747: 'Aetherium sensum] id est πῦρ νοερόν, id est ignem sensualem, id est deum.' Cf. comm. Luc. IX 578: 'Ait Posidonius Stoicus: θεός ἐστι πνεῦμα νοερὸν διῆκον δι' ἁπάσης οὐσίας, deus est spiritus

1) Vd. Hirzel, Unters. z. Cic. phil. Schrift. p. 220 sqq. — Platoni simillimum locum legimus Tusc. I 30, 72 apud Ciceronem, quem in hac operis sui parte Posidonio usum esse Schmekelius mihi persuasit (Phil. d. Stoa p. 136. 138 sqq.

2) Cf. e. g. Cic. N. D. II § 33 sq. Varro ap. Aug. C. D. VII 23. IV 12 al.

3) Cf. Cic. Tusc. I 12, 27 (cf. adn. 1). 4) Vd. R. D. I fr. 22; quaest. II p. 72 sqq. 5) Similia praebet ge IV 219 sqq.

6) De huius loci fonte disputat Hirzelius, Unters. z. Cic. phil. Schr. II 1 p. 25—31 ita, ut e Lact. I. D. VII 13 evincere conetur Vergilium Zenonis scripta compilasse. Quem Schmekelius diss. p. 59 adn. luculente refutat ostendens Lactantium capp. 13. 20 Vergilio uti atque Zenonis memoriam false tradidisse. Idem vir doctus hic apud Vergilium Platonem cum Stoicis coniunctum praebere vidit in Phil. d. Stoa p. 451 adn.

rationalis per omnem diffusus materiam. Hunc spiritum summum Deum Plato vocat artificem permixtum mundo omnibusque quae in eo sint.'[1]) Cum Lucani commentator, ut supra demontratum est p. 107 sq. in huius libri IX adnotationibus pleniorem Vergilii commentatorem adhibere soleat, hoc loco eundem auctorem secutus esse videtur, unde eius cum Servio similitudo nata est.[2]) Hunc vero auctorem hic inde Varrone usum esse e Servio constat; itaque Posidonii doctrinam per Varronem, Posidonii asseclam, ad eum perfluxisse veri non est dissimile.

Ad v. 733 adnotat Servius: 'Varro et omnes philosophi dicunt quattuor esse passiones, duas a bonis opinatis eqs.'[3]) Ipsa verba Ciceroni (Tusc. IV 6, 11) ita similia sunt, ut ea non e Varrone sed e Cicerone arcessita esse mihi persuasum sit; quare equidem ex his verbis tantum colligo Servio vel eius auctori notum fuisse, Varronem de animi passionibus scripsisse.

Ad v. 741 copiose de purgationis generibus agitur secundum 'Statium, ubi de auguriis tractat.' Hic videtur fuisse ille Statius Tullianus, e cuius de vocabulis rerum libro I ipse Servius nonnulla praebet Aen. XI 543.[4]) Atque hoc ultimo loco Statius Varronem (L. L. VII 34) exscipsit, ut etiam priore loco Varroni similis (vd. Aug. C. D. VII 30 p. 313, 22 sqq. VII 16 p. 294, 20 sqq.) terrenum ignem a caelesti discernit. Sed cum animas ita purgari doceat, ut in corpora terrena marina aeria transire debeant, qua in re a Platone et, quod maius est, ab ipso Varrone distat (vd. Aug. C. D. VII 6 p. 282, 10 sqq. e. R. D. libro XVI): nihil ex huius verbis ad Varronem referre audeo.

Item differunt a Varrone, quae de duobus cuiusque hominis geniis leguntur ad v. 743 (vd. Aug. C. D. VII 23 p. 301, 33 sq. VII 13 p. 291, 7 sqq.); neque magis quod ad v. 745 disseritur 'neminem posse mereri perpetuam corporis vacationem', Varronis est, cum et Plato et Posidonius contrarium doceant. Denique hos Servii de animarum migratione locos ad vv. 127. 134. 340. 426. 439. 466. 532 (= comm. Luc. I 455—714) ne quis ad Varronem referat, a Platone eos prorsus abhorrere commemoraverim.

Iam ad Lucani commentatorem transeamus; cuius ad Phars. IX 578 adnotatio si recte supra ad Varronem relata est, iusto audacius non agamus, cum idem iudicamus de hoc loco Phars. IX 6: 'Stoici virorum fortium animas existimant in modum siderum

---

1) Haec ultima verba 'Hunc spiritum — in eo sint' ad Posidonium redire etiam inde apparet, quod genuina Platonis sententia ita non exhibetur, ut Stoicorum illud 'artifex' vel potius 'τεχνικός' ei tribuatur; cf. Diog. Laert. VII 156: Δοκεῖ δὲ αὐτοῖς (sc. Stoicis) τὴν φύσιν εἶναι πῦρ τεχνικόν.

2) Cf. Stob. ecl. I 1 (= Aet. plac. I 1 Diels. p. 302[b] 11): Ποσειδώνιος πνεῦμα νοερὸν (cf. comm. Luc.) καὶ πυρῶδες (cf. Serv.).

3) Servium exscripsit Don. ad Ter. Andr. V 4, 34.

4) E Servio pendet Macr. Sat. III 8, 5.

vagari in aere et esse sic immortales, ut non moriantur, sed resolvantur, secundum Platonem ne resolvantur quidem. [[Quos semideos manes dixit (sc. Lucanus), quoniam graece ἥρωες ἡμίθεοι vocantur.'] Quibuscum conferas Varr. R. D. XV ap. Arnob. III 41: 'Varro nunc Lares Manes esse, nunc aerios rursus deos et heroas nuntiat appellari, nunc antiquorum sententias sequens Larvas esse dicit Lares, quasi quosdam genios et defunctorum animas'; R. D. XVI ap. Aug. C. D. VII 6: 'in aethere vero et aere immortalium esse animas . . .; ab summo autem circuitu caeli ad circulum lunae aetherias animas esse astra ac stellas . . .; inter lunae vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aerias esse animas . . . et vocari heroas et lares et genios'; conferas etiam, quae Tertullianus ad Varronis de vatibus in deorum numero receptis expositionem respiciens scribit ad nat. II 7 in.: 'Ceterum ut ad mythicum transeamus eqs. Interim hos certe homines fuisse vel eo palam est, quod non constanter deos illos sed heroas appellatis'. Hae igitur Stoicorum et Platonis de animae statu sententiae Varroni tribuendae videntur esse; quodsi recte creditur, etiam Pythagorae de eadem re sententia, quae ap. Luc. comm. ad Phars. IX 9 legitur (Pythagoras — virorum fortium), fortasse eodem referenda est.[1]) Utrum vero illae variorum philosophorum de animae statu sententiae ad Phars. IX 1[2]) adnotatae e Varrone profectae sint necne diiudicari nequit, cum certa argumenta non extent.

Quaestio IV.

Quae Varronis R. D. librorum I XIV XV XVI relliquiae per Cornelii Labeonis scripta ad posteros perfluxerint.

Labeonis quae supersunt maxime inveniuntur apud Macrobium, Arnobium, Laurentium Lydum, Augustinum, Servium, Servii interpolatorem, Marcianum Capellam; quaesierunt de eo inter recentiores[3]) GKettner (Cornel. Lab., ein Beitrag z. Quellenkritik des Arnob. Numburg. 1877), GWissowa (de Macr. Sat. fontt. Vratisl. 1880), HLinke (quaest. de Macr. Sat. fontt. Vratisl. 1880), JMülleneisen (de Cornel. Lab. fragmentis studiis adsectatoribus Marp. Chatt. 1889) et is, quem in primis sequor auctorem, WKahl (Cornel. Lab. Philol.

1) Quae plura ad v. 9, item quae ad v. 7 adnotantur, ex ipso Vergilio desumpta novi nihil continent. 2) Vd. supra p. 108.

3) Quae Carolus Buresch in libro cui Klaros inscribitur p. 54 et 128 protulit, cum nullis fulciantur argumentis, sciens praetereo.

Suppl. V p. 719 sqq.). Ceterum equidem ultro profiteor in hac quaestione paene omnia a me in dubio relicta esse; nam si iam quid ipse Labeo scripserit haud raro incertum sit, multo res incertior est, ubi de fontibus eius agitur. Varronem enim certe adhibuit, sed praeter illum Nigidium Figulum Granium Flaccum alios atque insuper proprias sententias admiscuit eis, quae apud auctores suos invenerat. Itaque quoniam etiam hic ex mera sententiarum similitudine certi nihil sequitur, alia vero probandi argumenta raro occurrunt, certa Varronis fragmenta e scriptoribus, quos supra enumeravimus, paucissima enucleantur.

De Terra.

Scribit Arnobius III 32[1]): 'Terram quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantium victum, Matrem esse dixerunt Magnam, eandem hanc alii quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant, nonnulli autem Vestam, quod in mundo stet sola ceteris eius partibus mobiltiate in perpetuo constitutis.'

Haec Labeoni tribuenda esse Kahlius l. l. p. 764 sqq. probavit, idemque Labeonem Varronis vestigia pressisse censuit his collatis locis: L. L. V 64: 'Terra quod gerit fruges Ceres; antiquis enim C quod nunc G'; Aug. C. D. VII 24 p. 304, 28 sqq.: 'Tellurem, inquit (sc. Varro), putant esse Opem, quod opere fiat melior; Matrem, quod plurima pariat; Magnam, quod cibum pariat.' Quibus locis hi addendi sunt: Aug. C. D. VII 16 p. 294, 12 sqq.: 'Matrem Magnam eandem Cererem volunt (sc. Varro, vd. quaest. I p. 29), quam nihil aliud dicunt esse quam terram'; ib. VII 30 p. 313, 15, ubi pater ad Varronis Cererem spectans (vd. quaest. I p. 27. 32) dicit: 'Fructus terrae animalibus hominibusque largitur.' Varr. R. R. I 1, 5: 'Invocabo primum, qui omnis fructus agriculturae coelo et terra continent, Iovem et Tellurem: itaque quod ii parentes magni dicuntur, Iuppiter pater, Tellus mater.' Ad eundem igitur, quae de Vesta dea apud Arnobium leguntur, redire possunt, etsi Kahlius inconsiderate agit, quod ex Isidoro (or. VIII 11, 59 sqq.) hoc probare conatus est, quem permulta e Varrone hausisse nullo iure contendit; alia circumspicienda sunt argumenta. Perlegas enim velim hos locos: Serv. interp. ad Aen. II 296: 'Vesta terra, quod in medio mundo vi sua stet et ignem intra se habeat'; Serv. gen. ad Aen. I 292: 'Vesta, ... vel quod variis vestita sit rebus, ipsa enim esse dicitur terra, quam ignem habere non dubium est, ut ex Aetna Vulcanoque datur intellegi'; Serv. gen. Aen. II 296: 'Vestam deam ignis, quae ut supra diximus terra est.' Ad eundem hos locos fontem redire manifestum erit. Vestae autem nomen a vestitu derivat Varro apud

1) Hunc locum Swoboda (P. Nigidii Figuli opp. rell. Vind. 1889) p. 26 sq. Nigidio nullo iure adscripsit; cf. G Wissowa, Zeitschr. f. österr. Gymnasialw. XL 1889 p. 995.

Aug. C. D. VII 24 p. 304, 31: 'Tellurem putant esse ... Vestam, quod vestiatur herbis'; necnon eis, quae de terra ignem in se continente Servius tradit, aptissime explanatur, cur Varro et terram esse hanc deam docuerit et ignem leviorem id est mitiorem et coercitum eidem tribuerit apud Aug. C. D. VII 16 p. 294, 20 sqq. IV 10 p. 159, 7 sqq. VII 30 p. 313, 22 sqq. Eundem in explicanda Terrae deae natura etiam ad astronomorum rationes descendisse apparet ex Aug. C. D. VII 24 p. 304, 14 sqq.: '... quod sedens fingatur (sc. Mater Magna sive Tellus), significari: circa eam cum omnia moveantur, ipsam non moveri'; eidem igitur alteram illam etymologian, quae extat apud personatum Servium non sine probabilitate tribuemus: 'Vesta terra, quod in medio mundo vi sua stet.'

Omnes igitur illas 'variorum hominum' opiniones ab Arnobio enumeratas Labeo fortasse apud Varronem invenit, sed in Varronis fragmentis eas eo minus collocare ausim, quod Varro quae comparavimus tribus diversis locis docuit de Tellure Cerere Vesta agens.

Varroniana inesse videntur etiam Macrobii loco Sat. I 10, 20 de Saturno et Ope, cui similia e Varronis R. D. libro XVI Tertullianus transscripsit ad nat. II 12 p. 118, 10 sqq. (vd. quaest. II p. 82 sq.). Compares enim velim:

Macr.	Tert.
Saturnum et Opem etiam nonnullis caelum ac terram esse persuasum esse, Saturnumque a satu dictum, cuius causa de caelo est, et terram Opem, cuius ope humanae vitae alimenta quaeruntur vel ab opere, per quod fructus frugesque nascuntur.	Latini vocabuli a sationibus rationem deducunt, qui Saturnum procreatorem coniectantur, per eum seminalia caeli in terram deferri. Opem adiungunt, quod opem vivendi semina conferant, tum et quod opere semina evadant.

Cf. Varr. L. L. V 63 sq.: 'Poetae de caelo quod semen igneum cecidisse dicunt in mare *cett.* Quare quod caelum principium, ab satu est dictus Saturnus ... Terra Ops, quod hic omne opus et hac opus ad vivendum.'

Puto revera Cornelium Varronis illum locum, quem Tertullianus inspexit, novisse; demutavit vero eum ita, ut de Varroniano colore nihil, de verbis pauca tantum supersint.

De Bona Dea, Fauna, Maia.

De his deabus vel potius de hac dea diversas opiniones profert Macrobius Sat. I 12, 20—29, quas, ut recte monuit Mülleneisen l. l. p. 6 sqq., duobus e fontibus aperte repetiit: nam §§ 20—22 ipso teste Macrobio ad Labeonem redeunt, §§ 23—29 cui debeantur, dissentiunt viri docti neque mihi compertum est; hoc unum

monere satis habeo eo facilius quae utroque loco feruntur Varroniana diversis Rer. Div. partibus adscribi, quod diversis e fontibus ad Macrobium perfluxerunt.[1])

Legimus vero de Bona Dea vel Fauna, Fauni filia, § 27: 'Haec apud Graecos ἡ θεὸς γυναικεία dicitur, quam Varro Fauni filiam tradit adeo pudicam, ut extra γυναικωνῖτιν nunquam sit egressa nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit vel a viro visa sit, propter quod nec vir templum eius ingreditur.' Haec si conferuntur cum eis, quae Tertullianus ad R. D. librum XV spectans (vd. quaest. II p. 81) dicit ad nat. II 9 p. 113, 3 sqq.: '*Si* Fauni filia pudicitia praecellebat, ut ne conservaretur quidem inter viros .... aut rubore insaniae paternae, quanto dignior Bona Dea Penelopa ...', quin indidem, hoc est e R. D. libro XV, petita sint, mihi quidem non dubium est.[2]) Atqui cum e Tertulliano constet Varronem mentionem fecisse 'patris insaniae', incautius agere mihi non videor, cum hunc similia exposuisse statuo atque quae Macrobius § 24. 25 de eadem re et de sacris inde institutis copiose refert.[3])

Transeo ad paragraphos 20—22: 'Adfirmant quidam, quibus Cornelius Labeo consentit, hanc Maiam, cui mense Maio res divina celebratur, terram esse hoc adeptam nomen a magnitudine, sicut et Mater Magna in sacris vocatur, adsertionemque aestimationis *suae* etiam hinc colligunt, quod sus praegnans ei mactatur, quae hostia propria est terrae. Et Mercurium ideo illi in sacris adiungi dicunt, quia vox nascenti homini terrae contactu datur, scimus autem Mercurium vocis et sermonis potentem. 21. Auctor est Cornelius Labeo huic Maiae id est terrae aedem Kalendis Maiis dedicatam sub nomine Bonae deae et eandem esse Bonam Deam et terram ex ipso ritu occultiore sacrorum doceri posse confirmat. Hanc eandem Bonam Deam Faunamque[4]) et Opem et Fatuam pontificum libris indigitari: 22. Bonam, quod omnium nobis ad victum bonorum causa est, Faunam, quod omni usui animantium favet, Opem quod ipsius

1) Quae Arnobius I 36 p. 23, 12 sq. V 18 p. 190, Lactantius I 22, 11 e Sexto Clodio de hac dea referunt, Cornelio Labeoni vix debent.

2) Quae apud Macrobium (§ 28) de feminis ad Herculis sacra *non* admissis et de ipsis Herculis sacris sequuntur, Varro in hoc quidem libro R. D. XV vix exposuit; Mirschius (de Varr. Ant. rer. hum. libr. Lips. 1882 p. 126) reposuit ea in R. H. libro XVII; verum quod eodem ea refert quae § 27 de Fauna leguntur, Tertulliani locum non respexit. Macrobii auctor duos Varronis locos in unum contraxit.

3) Glaesserus (De Varr. doctr. ap. Plut. vest. Stud. Lips. IV p. 169) nihil esse contendit, cur has paragraphos a Varrone profectas esse credamus. At similia quidem Varro, ut diximus, scripsisse videtur.

4) Quae quominus ad Varronem referamus, non eo prohibemur, quod hic alia Faunae explicatio praebetur atque in R. D. libro XV. Nam in hoc libro se 'dubias de diis sententias posuisse', nec 'omnia ad aliquam summam direxisse' Varro ipse confitetur ap. Aug. C. D. VII 17. Deinde ut distinxit inter Quirinum, Sabinum deum, et Quirinum — Romulum, ita etiam distinxisse potest inter eam Faunam, quae fuisset Fauni filia, et eam, quae ex 'ritu occultiore sacrorum Terra et Maia' esset.

auxilio vita constat, Fatuam a Fando, quod, ut supra diximus, infantes partu editi non prius vocem edunt, quam attigerint terram.'[1])

In R. D. libro XVI dicit Varro ap. Aug. C. D. VII 24 p. 305, 1: 'Alias deas non absurde ad hanc (sc. Tellurem) revocant': hic Maia ad terram revocatur. Ibi cum de Tellure ageret pontificum libros inspexit: horum librorum testimonium etiam hic affertur. In R. D. libro XIV Ops dea vel terra cum Vaticano, vagiendi tutore, coniuncta inter deos ad infantiam pertinentes commemoratur: simili munere hic funguntur coniunctae inter se Ops et Fatua. Idem munus, quod Fatuae, paullo ante attribuitur Mercurio ut deo 'vocis et sermonis potenti'; deum autem sermocinandi vel ipsum sermonem Mercurium esse declaravit Varro in R. D. libro XVI ap. Aug. C. D. VII, 14. Tum Opis interpretatio, quae hic extat, ex parte similis est ei, quam e Varronis R. D. libro XVI ad Macrobium (Sat. I 10, 20) pervenisse modo coniecimus. Denique quod ad haec verba attinet: 'Sus praegnans ei (sc. Maiae) mactatur, quae hostia propria est terrae', quae verba Kahlio p. 765 Labeonis propria esse videntur, cum apud Varronem in R. R. libro II 4, 21 legatur: 'e verribus dicuntur maiales', Samterus (quaest. Varr. p. 18 sqq.) Varronem in R. D. libro XI porcam terrae propriam esse hostiam docuisse satis validis argumentis probavit. His igitur in paragraphis Labeo e Varrone non pauca transscripsisse videtur, etsi quae transscripserit ex argumentis modo propositis ita concludi non posse concedo, ut omnia extra dubitationem posita sint. Neque magis quem vel quos Varronis libros inspexerit, certum est. Forsitan hae rationes physicae, si modo ad Varronem redeunt, in R. D. libro XVI locum tenuerunt, ubi de Tellure agebatur.[2])

De Iano.

Quae de Iano Cornelius Labeo memoriae prodiderit[3]), extat apud Macrobium Sat. I 9, 9 sqq., Laurentium Lydum de mens. 4 p. 50, 12 sqq., Arnobium III 29, Serv. interpolatorem Aen. VII 610[4]), quorum locorum singulae partes ita sese excipiunt:

1) Cf. Kahl. l. l. p. 764 sqq.

2) Extant apud Serv. gen. Aen. IV 167, interp. Aen. IV 59. 166 nonnulla de nuptiarum ritu a Varrone prolata; interpolator autem ad v. 166 praeterea 'quorundam' doctrinam praebet his verbis: 'Quidam sane et Tellurem praeesse nuptiis tradunt, nam et in auspiciis nuptiarum invocatur; cui etiam virgines vel cum ire ad domum mariti coeperint vel iam ibi positae diversis nominibus vel ritu sacrificant', quae verba nescio an eidem Varroni tribuenda sint. Ceterum si coniecturis uti licet, ad nuptiarum ritum diversa illa nomina a Macrobio in § 22 ex pontificum libris commemorata pertinere mihi non incredibile videtur, quippe quae ad vitam in matrimonio agendam et liberos procreandos educandosque nullo negotio referri possint.

3) Cf. Kahl. l. l. p. 742 sqq.

4) 'Quidam Ianum Eanum dicunt ab eundo eumque esse Martem; et quod apud Romanos plurimum potest, ideo primum in veneratione

Iani cognomina: Lyd. p. 50, 15—51, 5. Macr. § 15. 16. Serv. p. 172, 17—20.
Ianus, temporis vel anni deus eiusque simulacrum: Lyd. p. 51, 5—10; 22—25 (secundum Fonteium). Macr. § 10. Arnob.
Iani nominis interpretationes Graecae: Lyd. p. 51, 10—15 (e Messala?)
Messalae de Iano doctrina: Lyd. p. 51, 15—17. Macr. § 14.
I. a Saliis carminibus honoratur: Lyd. p. 51, 17—19; Macr. § 14 in.
I. a Varrone in R. D. l. XIV commemoratur: Lyd. p. 51, 19 sqq.
I. sec. Gav. Bass. deus aërius: Lyd. p. 51, 24 sqq. Macr. § 13. (nomine omisso) Serv. p. 172, 11 sq.
I. idem qui Sol: Lyd. p. 51, 29 (sec. Lutat.)[1]). Macr. § 9. Arnob.
I. in precibus primus invocatur: Macr. § 9. Serv. 10 sq. Arnob.
I. patronus virorum in bellum proficiscentium: Lyd. p. 51, 30 sqq.: idem qui Mars Serv. 9; cf. 14 sq.
I. est mundus: Macr. § 11. Serv. 13—17. Arnob.
I. proprie est Eanus: Macr. § 11. Serv. 10.

Tres illi auctores quamquam nonnihil inter se congruunt, tamen et verbis et serie sententiarum dissentiunt, ut ne unus quidem ipsum Labeonem inspexisse videatur, quare etiam quid Labeo scripserit, incertum est. Quo difficilius est ex tanta farragine Varroni atque R. D. libro XVI quidquam restituere, etsi R. D. librum V Macrobius, librum XIV Lydus collaudant Labeonemque R. D. libro XVI, in quo proprie de Iano res erat, usum esse per se verisimile est. Atque ad certa huius libri fragmenta, quae apud Aug. C. D. VII 28 p. 310, 31 sq.[2]), VII 8 p. 284, 15 sqq.[3]) extant, proxime accedunt, quae Servius personatus vv. 13—17 tradit, nisi quod apud Augustinum illa de Iani caulis in pace clausis in bello patefactis desiderantur; sed haec cum ceteris tam arte cohaerent, ut ex alio fonte vix

nominari. — Alii Ianum aerem credunt; et quia vocis genitor habeatur, idcirco mandari ei preces nostras ad deos perferendas. — Alii Ianum mundum accipiunt, cuius caulae ideo in pace clausae sunt, quod mundus undique clausus est, belli tempore aperiuntur, ad auxilium petendum ut pateant. Nam quasi mundo ei duas facies dederunt, orientis et occidentis, alii quattuor secundum quattuor partes mundi. — Alii Clusivium dicunt, alii Patulcium, quod patendarum portarum habeat potestatem. Idem Iunonius; idem Quirinus, unde trabeatum consulem aperire portas dicunt, eo habitu, quo Quirinus fuit.' Hunc locum cum Macrobio consentire iam Mülleneisen vidit p. 24.

1) Labeo ipse, quippe qui omnes deos ad Solem referat, Lutatii sententiam secutus esse videtur; praeterea Ianum cum Marte (vd. Serv. interp. in.) aequavisse potest, cf. Serv. int. Aen. III 35: Nonnulli eundem (sc. Martem) Solem et Vulcanum dicunt eqs.

2) 'Diximus (sc. Varro) de Iano, quem alii caelum alii dixerunt esse mundum.'

3) 'Cum eum faciunt quadrifrontem et Ianum geminum appellant, ad quattuor mundi partes hoc interpretantur . . . aut si propterea verum est (sc. simulacrum Iani bifrontis), quia etiam nomine Orientis et Occidentis totus solet mundus intellegi . . .'

arcessita sint. Hic igitur totus locus (vv. 13—17) ad Varronem redire videtur. Eodem fortasse pertinere opinaberis Macrobii verba (§ 11): 'Alii mundum id est caelum esse voluerunt' priori Augustini loco simillima, sed haec Labeo etiam apud eum legisse potest, quem procul dubio adhibuit in eis quae sequuntur: 'Ianumque ab eundo dictum, quod mundus semper eat eqs.', sc. Cornificium, cf. Kahl. p. 749. Iam cognominum illas interpretationes, quas Macrobius (§ 16) et Servii interpolator ferunt, ad Varronem redire posse extant argumenta quaedam quamvis leviora. Nam etsi Ianum Geminum ille in R. D. libro XVI (apud Aug. C. D. VII 8 p. 284, 15 sqq.) aliter interpretatus est, quam Macrobius (§ 9. 16), tamen cum hoc Macrobii loco § 14 in.: 'Saliorum quoque antiquissimis carminibus deorum deus canitur' (cf. § 16: 'Patrem quasi deorum deum') non inepte comparari videtur Varr. L. L. VII 27: 'In Saliari versu scriptum est 'cante' hoc versu: divum emta cante, divum deo supplicante', ubi nescio an verbis 'divum deo' Ianus significatur; sed inde certi de Varronis R. D. libris nihil sequi confiteor. Iam haec quae apud Macrobium leguntur § 16: 'Consivium a conserendo id est a propagine generis humani, quae Iano auctore conseritur' similia sunt eis, quae de Iano et Deo Consevio e R. D. libro XIV commemorant Aug. C. D. VII 2 p. 274, 20 sqq.[1]: 'Ianus ... aditum aperit recipiendo semini' et Tert. ad nat. II 11 p. 115, 1 sq.: 'Deus Consevius quidam, qui con<satio>nibus concubitalibus praesit.' Ianum Quirinum Varro in R. H. libro XXII apud Festum p. 189, 17 commemoravit. Denique cum hac Macrobii interpretatione: 'Patultium et Clusivium, quia bello caulae eius patent, pace clauduntur' consentiunt quidem ea Servii personati verba, quae ad R. D. librum XVI redire modo coniecimus: 'cuius caulae ideo in pace clausae sunt eqs.'; sed interpolator, ubi ipse cognomina illa explicat, longe aliter dicit 'quod patendarum portarum habeat potestatem'. Itaque quamquam Labeonem Varronis R. D. libris usum esse equidem credo, tamen quid Varroni ex Macrobio Servioque dandum sit nescio. Multo vero etiam incertior est res apud Graecum Lydum, qui in explicando a Macrobio plerumque differens omnia susque deque turbavit et quae in fonte suo invenit saepissime aut male intellexit aut doctrina sua commenticia complevit, de qua re Kahl. l. l. fusius egit. Neque tamen cum Iordano (in Prell. R. Myth. I³ 172, 1) omnem fidem denegandam esse censeo his Lydi verbis p. 51, 19 sqq.: "Ὁ δὲ Βάρρων ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῶν θείων πραγμάτων φησὶν αὐτὸν (sc. Ianum) παρὰ Θούσκοις οὐρανὸν λέγεσθαι καὶ ἔφορον πάσης πράξεως, καὶ Ποπά-

1) Varro etsi in libro XIV inter Ianum et Consevium distinxit, tamen in libro XVI Consevium inter Iani cognomina enumeravisse potest, cf. deam Lucinam in R. D. libro XIV ap. Aug. C. D. IV 11, 21. 34 et Iunonem Lucinam e R. D. libro XVI ib. VII 2 p. 274, 29 sqq.; deam Domiducam ap. Tert. ad nat. II 11, Iunonem Domiducam ap. Aug. C. D. VII 2 p. 276, 34.

νωνα διὰ τὸ ἐν ταῖς καλάνδαις ἀναφέρεσθει πόπανα.' Haec Merkelius contra Lydi testimonium in R. D. libro XVI posuit, ad cuius libri argumentum, ut confiteor, praesertim priora verba optime quadrant, cf. Aug. C. D. VII 8 in. et med. Verum fieri potest, ut Lydus recte rettulerit. 'Πόπανα' enim est 'ianual' illud, de quo Paulus ex Festo refert p. 104, 18: 'Ianual libi genus, quod Iano tantummodo libatur' (cf. Ov. fast. I 127 sq. et Muelleri ad Pauli locum adn.), et 'Ποπάνων' 'Ianualis' vertendum videtur esse. Varronem igitur, si modo Lydus librum XIV recte rettulit, 'Iani Ianualis' inter deos ad victum pertinentes mentionem fecisse conicio, qui pani vel libo coquendo praesideret; quod disciplina Etruscorum probavit, qui Ianum, ut caelum, uniuscuiusque actionis patronum esse docerent.

De Mercurio.

De Mercurio simillima inter se docent Arnobius III 32, Serv. int. Aen. VIII 138. IV 239, Serv. gen. Aen. IV 242, quibuscum ex parte consentit Macrobius Sat. I 17, 5.[1]) Quae vero apud hos leguntur, similia sunt eis, quae Augustinus C. D. VII 14 p. 292, 2 sqq. de eodem deo e Varrone exscripsit. Hanc similitudinem inde natam esse conicio, quod illi scriptores ad Labeonem, Labeo autem ad Varronem redeat.[2]) Haec coniectura aliquantum inde firmatur, quod de caduceo et fetialibus, de quibus apud Augustinum nihil restat, similia atque quae apud Servios leguntur, Varro scripsit in libro de vita P. R. II (ap. Non. 528, 16. 529, 18 Kettn. fr. 14. 13). Eadem etiam apud Ann. Cornutum (de deor. nat. 65 sq. 66. 73 sq.) leguntur, quem ex eodem fonte Graeco atque Varronem pendere veri non dissimile est, sc. ex Apollodoro. Sed cum personatus Servius hic illic ab Augustino dissentiat[3]), quid apud eum ad Varronem, quid ad alium auctorem redeat, quidve ipse demutaverit, non liquet, quare Varroniana apud eum aliqua extare satis sit statuere. Arnobius ad Augustinum propius accedit, ita ut fere omnia, quae fert, Varroni tribui possint exceptis tamen eis, quae ipse illudendi causa addidit.

De Apolline, Minerva, Neptuno.

Ex Macr. Sat. I 18, 1—4 (cf. Arnob. III 33) constat Labeonem de Apolline Aristotelis[4]) theologumena Varronisque et Granii scripta

1) Hos locos exscripsi in R. D. l. XVI. fr. 31 adn.

2) Macrobii verbis: 'Virtus solis, quae sermonis auctor est, Mercurii nomen accepit' mera continetur doctrina Labeonis, quippe qui omnes deos ad solem referre soleat.

3) Serv.: 'Medicurrius, quod inter caelum et inferos semper intercurrit'; Aug.: 'medius currens, quod sermo currat inter homines medius'. Serv.: 'Quidam hunc in petaso et et in pedibus pinnas habere volunt propter orationis velocitatem'; Aug.: 'alas eius in capite et pedibus significare volucrem ferri per aera sermonem'.

4) Hunc 'Aristotelem' revera esse Aristoclem, Varronis aequalem, conicit Kahl. l. l. p. 760.

commemorasse; quid vero Varroni vel cui eius operi tribuendum sit, omnino incertum est. Ut de Apolline Macrobius, ita de Minerva Arnobius (III 31) Granium testem facit, qui Aristotelis compilet theologumena. Unde si respicis ad Macr. I 18, 1—4, totum hunc locum e Granio petitum apparet; Varronem utrum Granius exscripserit an Labeo addiderit, nescitur.[1]) Iam si ad Arnobium redis, quem Labeone usum esse iam patet, similia eum tradere vides, quam quae de Minerva Augustinus C. D. VII 16 p. 294, 17 sqq. IV 10 p. 158, 12 sqq. e Varronis R. D. libro XVI (vd. fr. 61 sq.); C. D. VII 28 p. 311, 10 sqq. e R. D. libro XV (vd. fr. 3 a. 4); C. D. VII 3 p. 277, 3 sqq. e R. D. libro XIV (vd. fr. 43); itaque etiam hoc loco aut Varronem Granius exscripsit aut, quod mihi quidem videtur esse veri similius, Varroniana Granio intermiscuit Labeo.

Neptuni veriloquium quod legitur apud Arnob. III 31 (vd. R. D. XVI fr. 36 adn.) Varronianum esse Kahl. p. 773 non sine probabilitate coniecit comparato Varronis loco L. L. V 72. Num ad R. D. libros redeat incertum.[2])

De Iunonis cognominibus.

Iunonis cognomina magnam partem eadem enumerant Marc. Cap. II 149; Myth. Vat. III 4, 3; Arn. III 30.[3]) Sed priusquam de de eis dicamus, nonnulla de Marciani fonte dicenda sunt.

Eyssenhardt in praef. ed. suae compluribus locis Marcianum satis multa, quae pronuntiaret, apud ipsum Varronem legisse contendit levissimis ne dicam nullis usus argumentis. Immo mihi quidem persuasum est Marcianum ipsos Varronis libros ne semel quidem oculis vidisse, quoniam unum illum locum (II 149—167) quo Varroniana quaedam paullo clarius elucere videantur, certe ex ipso Varrone non petiit. Nam quod de §§ 150—167 Eyssenhardt scribit l. l. p. 48: 'De loco gravissimo rectissime iudicavit Krahnerus (de Varr. phil. p. 24): 'Quae omnia Varroniana esse contentione instituta cum Tertulliani et Augustini notationibus intelligentes facile perspicient'', equidem qui non nescire mihi videor, quas philosophiae doctrinas Augustinus et Tertullianus e Varrone repetierint,

1) A Varrone Granium non exscriptum esse constat.

2) Arnobius quae de Volcano profert III 23. 33 e certo auctore sumpsisse non videtur, neque magis Varroni haec eius verba dare audeo III 33: 'quod ad cunctos veniat, Venerem, et quod sata in lucem proserpant, cognominatam esse Proserpinam', quia ille L. L. V 62 Veneris nomen a vinciendo derivat. — Num interpretationes illae physicae, quas de Volcano et Venere commemorat Serv. gen. Aen. VIII 414. 454. 389 (cf. R. D. XVI fr. 35 adn.) V 801 (cf. R. D. XVI fr. 63 adn.), et Veneris cognominum collectio quam praebet Serv. int. Aen. I 720 sive per Labeonem sive alia via ad Varronem ex parte quidem redeant, dubium est, praesertim cum ex eis, quae de his diis Varro scripserit, paucissima ab Augustino servata sint. Ceterum Volcani etymologiam hic aliam e Varrone profert VII 16. 30 (vd. R. D. XVI fr. 35), quam Serv. Aen. VIII 414.

3) Hos locos exscripsi in R. D. XVI fr. 57 adn.

Marciani opiniones cum illis non modo non congruere, sed etiam plane dissentire sentio. An credat quisquam Varronem daemonas cum angelis comparavisse posse (vd. Marc. II 153), vel inter κακοὺς et ἀγαθοὺς δαίμονας distinxisse (vd. Marc. II 163), cum Augustino teste omnes deos non nisi bonos existimandos esse docuerit (C. D. VI 9, IV 18, vd. R. D. I fr. 29), vel de summis deis et de Iove pronuntiasse: 'Sunt puriores nec admodum eos mortalium curarum vota sollicitant ἀπαθεῖςque perhibentur', cum Stoicos secutus omnibus deis rerum humanarum curationem sescenties attribuerit? Neque magis Varro permulta illa deorum minorum genera accurate inter se distincta et diversis muneribus instructa inter deos superiores interposuit, quae Marc. II 151 sqq. commemorat, neque Lunam esse Proserpinam (vd. § 161) docuit. At haec omnia docuisse scimus Labeonem utpote philosophum Platonicum, cuius rei testes afferre satis habeo Aug. C. D. IX 9; III 25; II 14; Arnob. III 33; Fulg. expos. ant. s. v. manalis lapis; atque quoniam haec arte cohaereant cum § 149, ubi cognomina Iunonis paene eadem leguntur, quae Arnobius (III 30 p. 132, 11 sqq.) nullo dubio e Labeone sumpsit[1]): his omnibus in paragraphis Marcianum in Labeone niti veri est simillimum.

Iam ut de ipsis cognominibus agam, collectionem simillimam praebet mythographus Vaticanus III, mutatis tamen interdum singulis nominum interpretationibus. Quem auctorem hic exscripserit nescio[2]), redit vero, si modo recte nobis adhuc conclusum est, ad Labeonem. Sed quem auctorem secutus est Labeo? Cum Varrone intercedit ei similitudo quaedam, quamquam eum a Varronis doctrina, quae quidem apud Aug. C. D. VII 2. 3 extet, nonnunquam abhorrere confiteor; similis etiam est interdum aliis Varronis locis ut L. L. V 64. 67. 69. VI 18. 34. R. H. XVII ap. Cens. d. d. n. 22, 15: sed ad Varronem omnia illa referre eo magis dubito, quod proxime accedunt eis, quae Paulus servat ex Festo p. 49, 12; 63, 9; 85, 13; 92, 15; 104, 13; 200, 7[3]). Itaque Labeo etsi Varronem hic illic secutus videtur esse, tamen pro proprio fonte eum vix habuit; immo aut ad Verrium aut Verrii fontem eum rediisse credo, de quo videas quae scribit RReitzenstein Verr. Forsch. (Bresl. phil. Abh. I 4): 'Die Quelle des Verrius ging von einer Scheidung der verschiedenen Arten der feriae zu der Darstellung der Hochzeitsgebräuche über. Sie besprach eingehend die Tracht der Braut, ihre Begleitung, die Namen der Gottheiten, welche angerufen wurden, die Lage der Heiligtümer, in welchen dies geschah, und schloſs hieran die Rechte der Matronen ... Derselben Quelle mögen auch die beiden Bemerkungen über die Bestattung der Toten und die Ausdehnung der Trauerzeit ... entnommen sein.'

---

1) Labeonem etiam Bonae Deae et Iani cognomina collegisse moneo; vd. supra p. 115. 117. 2) Plerumque Augustinum et personatum genuinumque Servium sequi solet. 3) Vd. R. D. XVI fr. 57 adn.

De dis minutis.

Arnobium deos illos minutos, quos enumerat III 23. 25. IV 1. 3. 4. 7. 9 Labeoni debere consentiunt viri docti, de Labeonis fontibus dissentiunt; de Granio Kettner, de Varrone Peter (Rosch. myth. Lex. s. v. Indigitamenta), de neutro Kahl cogitat, qui opus secundum litterarum ordinem digestum subesse sibi persuasit, litterarum enim ordinem sequi Arnobium. Atque iste litterarum ordo, quem iam Kettner detexit, hic illic profecto extare videtur, ita tamen ut rerum ordo non plane neglegatur, velut numina nuptialia Arnobius IV 7 tria enumerat continuo: Perficam Pertundam Tutunum, e quibus posteriora duo eodem ordine Augustinus (C. D. VI 9, vd. R. D. XIV fr. 57. 59) vel Varro inter se coniunxit; III 25 coniunctae praebentur aliae deae nuptiales Unxia Cinxia Victa Potua, IV 7 dii agrestes Nemestrinus Patellana Patella Nodutis Noduterensis. Sed quocunque modo hoc factum est, argumentum inde vix duci potest, unde colligatur, cui vel quibus fontibus Labeo sua debeat. Fac Labeonem ipsum quae in fontibus suis invenit secundum litterarum ordinem disposuisse.

Iam quid Varronem Labeoni tribuisse credendum est? De Pertunda — ut a diis nuptialibus sumam exordium — et Tutuno Augustinus C. D. VI 2 simillima similibus verbis attulit atque Arnobius IV 7; sed Perficam, quae eodem Arnobii loco legitur, Augustinus vix, credo, omisisset, si eam apud Varronem vidisset; atqui tria illa numina Labeonem indidem sumpsisse per se credibile est: itaque veri similius mihi quidem videtur eum Varrone hic non usum esse, quamquam aliter rem se habere posse concedo.

Cum Unxia Cinxia Victa Potua (Arnob. III 25), quibus adicienda est Ossipago ex Arn. IV 7 p. 147, 7 sq., aptissime comparantur, quae de Iunone Unxia Cinxia Ossipagina in eandem sententiam secundum Labeonem narrant Marcianus Capella (II 149), myth. Vat. III 4, 3, Arnobius III 30, quae Labeonem non e Varrone sed alio ex auctore, Verrio vel Verri fonte, petiisse modo probare studuimus. Quare ne haec quidem numina ad Varronem referre licet.

Ex tribus illis deabus, quas IV 3 commemorat, primam, Lupercam, Arnobius secundum Varronem cum Romulo infante coniungit, alteram, Praestanam, ad Romulum regem, tertiam Pandam vel Panticam ad Tatium refert. Illa fortasse in R. D. libro XV locum tenuit, has indidem arcessitas esse veri non dissimile est. Ceterum quod Kahl p. 724 Varronem de Panda exscriptum esse negat, qui Nonio teste (44, 2) in libro de vita P. R. III alia doceret, minime me prohibet de Varrone cogitare, cum illo de vita P. R. loco Varro non suam, sed Aelii proferat sententiam.

De dea Pellonia idem docent Arnobius IV 4 et (secundum Varronem) Augustinus C. D. IV 21.

Ea numina, quae praeter Perficam Pertundam Tutunum Ossipaginem leguntur apud Arnob. IV 7, hac ratione se excipiunt: Puta Peta Nemestrinus Patellana Patella Nodutis Noduterensis †Upibilia Orbona Nenia Mellonia. E dis agrestibus hic enumeratis in Varronis relliquiis tres tantum extant apud Aug. IV 8. 34; differunt vero patres et ordine et nominum forma, cum Augustinus praebeat Nodotum Patelanam Mellonam; quod utrum Labeonis fonti an ipsi Labeoni an Arnobio an librariis crimini dandum sit nescio. Differunt etiam ipsa interpretatione; Nodotus enim apud Augustinum geniculis nodisque culmorum praeest, hoc igitur numen eo demum temporis momento munere fungi incipit, quo nodiculi fieri incipiunt, apud Arnobium autem Nodutis res satas ad nodos perducit, atque Augustinus Patelanam folliculis patescentibus, Arnobius Patellanam 'rebus' patefactis praeficit.[1]) Arnobiusne inaccurate auctorem suum excerpserit, an auctor eius in fonte suo interpretationem invenerit a Varroniana diversam, ego non discepto; certe hic nihil extare vides, quo Varronis doctrina suppleatur.

Idem dicendum est de ceteris, quae cum Varrone iam conferri possunt. De Orbona enim docet Arnobius: 'In tutela sunt Orbonae orbati liberis parentes', Tertullianus scribit ad nat. II 15 (R. D. XIV fr. 63): 'Orbana, quae in orbitatem semina extinguat'; quae verba etsi significare videntur: 'Orbana extinguit liberos ita ut parentes orbi fiant', tamen parentes orbati in tutela Orbonae fuisse Varro vix docuit. Prorsus autem diversa leguntur de Nenia, de qua Augustinus refert VI 9 (R. D. XIV fr. 64): 'Nenia in funeribus senum cantatur', Arnobius: 'In tutela sunt Neniae, quibus extrema sunt tempora.' Quae cum ita sint, nimis temerarie ageremus, si reliquos huius capitis deos, de quibus in Varronis relliquiis nihil restat, ad Varronem referremus.

IV 10 ab Arnobio secundum litterarum, ut videtur, non rerum ordinem dispositi enumerantur hi dii: Lucrii Libentina †Burnus Limentinus Lima Limi Saturnus Montinus Murcida Pecunia, quibus apud Varronem, quantum superest, similes extant Lubentina (Aug. C. D. IV 8, R. D. XIV fr. 35), Limentinus (Aug. C. D. VI 7. IV 8. Tert. ad nat. II 15 al., R. D. XIV fr. 104) Murcia (Aug. C. D. IV 16, R. D. XIV fr. 39) Pecunia (Aug. C. D. IV 21 al. R. D. XIV fr. 98). Atque quod de Lubentina Limentino Pecunia in universum consentiunt patres ecclesiastici, non mirum est, de Murcida vel Murcia iam aliquantum differunt (vd. R. D. XIV fr. 39 adn.) et Limam inter deos ad limina pertinentes Varro omisisse videtur; certe et Augustinus et Tertullianus sex diversis locis cum Limentino non coniungunt nisi Forculum et Cardeam.[2]) Ergo ne ex hoc quidem capite quidquam pro certo ad Varronem referri potest.

1) Item 'rebus' petendis et 'rebus' patefaciendis praeficit Petam et Patellam, de quibus veteres Romani certo alia crediderunt.

2) Montinus, cui Arnobius montium tutelam tribuit, nescio an com-

Nonnullos deos propter similem naturam collectos compositosque esse patet hoc loco Arn. IV 1: 'Interrogare vos libet ipsosque ante omnia Romanos . . ., utrumne existimetis Pietatem Concordiam Salutem Honorem Virtutem Felicitatem ceteraque huiusmodi numina, quibus aras videmus a vobis cum magnificis exaedificatas delubris, vim habere divinis.' Paullo infra legitur: 'Victoria Pax Aequitas et cetera, quae in superioribus dicta sunt.' Hoc loco quamquam Arnobium res notissimas referre facile opinaberis atque eas, quas ipse quotidie ipsius suis oculis observare potuerit, tamen si Varronem de talibus diis singulari expositione fuse egisse atque ibi praecipue aras et templa commemorasse mimineris (vd. quaest. I p. 22 sq.), eum ne in his quidem fontem suum, sc. Labeonem reliquisse, Labeonem vero hic Varronis vestigia pressisse non incredibile esse putabis. Quod quo melius perspiciatur, unum afferre liceat Varronis locum ab Augustino traditum C. D. IV 24: '. . . ita Virtus, quae dat virtutem, Honor, qui honorem, Concordia, quae concordiam, Victoria, quae dat victoriam, ita, cum Felicitas dea dicitur non ipsa, quae datur, sed numen illud adtenditur, a quo felicitas datur'. Praeterea cf. C. D. IV 18. 19. 20. 21. 23; Varr. L. L. V 73: Virtus . . . Honos . . . Concordia; 74: Salutem Fortunam Fortem Fidem.

Denique videndum est de hoc Arnobii loco IV 11: 'Atquin videte, perspicite, ne dum talia confingitis monstra [i. e. deos, qui praesident ossibus, mellibus, liminibus, similes; cf. IV 10] talia atque molimini, deos offenderitis certissimos, si modo sunt illi, qui istius nominis [i. e. deorum nominis] mercantur sustinere atque habere fastigium.' Ubi pater cum deos minores aliis opponat diis maioribus, quos certissimos nominat, diis minoribus etiam nomen deorum certorum fuisse indicare videtur; quare Labeonem cum deos minutos tractaret rettulisse conicio, talia numina a Varrone in eo R. D. libro, qui esset de dis certis, enumerata esse. Iam respicias quid scribat Serv. gen. ge. I 21: 'Studium, quibus arva tueri] nomina haec numinum in Indigitamentis inveniuntur, i. e. in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationes ipsorum nominum continent: quae etiam Varro dicit. Nam ut supra diximus nomina numinibus ex officiis constat imposita. Verbi causa ut ab occatione deus Occator dicatur: a Sarritione deus Sarritor: a stercoratione Sterculinius, a satione Sator.' Verbis 'ut supra diximus' ablegamur ad ea, quae ad vers. 5 adnotantur: 'Stoici dicunt non esse nisi unum deum et unam eandemque potestatem, qua pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur. Unde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant.' Ultimis verbis propria et genuina Labeonis doctrina continetur, cf. Macr. I 18, 1—4. Quam ob rem equidem non dubito, quin Servius ut alibi etiam hoc utroque loco Labeonem

---

parari possit cum eo, quem Tert. ad nat. II 15 p. 128, 2 (vd. R. D. XIV fr. 101) loco corrupto (cod A praebet: 'montium septemontium') nominat, qui septem montes urbis tuebatur; cf. Preller Röm. Myth. II³ p. 221.

secutus sit: Labeo igitur Varronem eiusque de Indigitamentis doctrinam commemoravit; verum de dis ab eo enumeratis idem valet, quod supra de Arnobii dis dixi. Quamquam Varroniani esse possunt, tamen Varroni eos adscribere iusto audacius est. —

De dis Penatibus et Novensilibus non est, quod post Wissowam denuo agam; de Laribus et Manibus quae dicenda sunt, in fragmentorum adnotationibus dicam.

Quaestio V.

De dis certis incertis selectis.

Quid deorum certorum et incertorum notionibus significetur, primus intellexit G Wissowa, qui sententiam suam quamvis argumentis non firmatam protulit in Marquardtii Handb. III² p. 9, 4; Hunc sequitur Peter in Roscheri Myth. Lex. s. v. Indigitamenta p. 132. Sed quia viri illi doctissimi sententiam suam profiteri quam aliorum refutare maluerunt, id quod illi omiserunt mihi quidem supplendum esse videbatur. Nam qui ante eos de hac re quaesierunt locis ad rem nihil facientibus usi, eam obscuraverunt magis quam illustraverunt. Ut praeter ceteros peccavit Prellerus (Röm. Myth. I³ p. 71 sqq.), qui, ut rem leviorem prius absolvam, deos certos cum diis propriis confudit Servii interpol. verbis fretus, qui adnotat ad Aen. II 141: 'Pontifices dicunt singulis actibus proprios deos praeesse; hos Varro deos certos appellat.' Verum 'dii proprii' hoc loco omnino non nominantur, ubi secundum pontificum doctrinam singulos quosque actus a singulis diis regi refertur. Revera autem Varro cum in R. D. libro I theologian civilem tractaret, propriorum deorum nomen eis indidit, qui a solis Romanis colerentur, quibus opposuit eos, quos cum aliis communes haberent (vd. Aug. C. D. II 14. III 12. Min. Oct. 25, 7. Lact. I. D. I 20, 1; quaest. II p. 68 sq.). Haec igitur dispositio nihil ad rem.

Deinde Prellerus (l. l.) et Merkelius (Ov. fast. prol. p. CLXXXV) huc ea rettulerunt, quae exhibet Serv. interp. Aen. VIII 275: 'Varro dicit deos alios esse, qui ab initio c e r t i et sempiterni sunt, alii, qui immortales ex hominibus facti sunt.' Attamen ne his quidem verbis de diis 'certis' agitur, id quod ex ipsa verborum forma primo obtutu intellegitur, sed de iis diis, qui neque initium neque finem divinitatis habeant, de diis 'nativis' quos vocat Dionysius Stoicus eodem loco Varroniano (vd. quaest. II p 72 sqq.), id est de diis, qui φύϲει dii sunt; his opponit eos deos, qui divinitatis initium aliquod habeant, i. e. deos ex hominibus factos vel homines post mortem in divinitatem receptos.

Inter deos illos 'nativos' Varro imprimis terram ignem caelum aera solem lunam astra collocavit, quos omnes in R. D. libro XVI tractavit, non in libro XIV, quod expectandum erat, si illi hunc locum recte huc attulissent. Quae quamquam satis superque monita sunt, tamen paullulum adicere libet de eis, quae viri docti ex hoc loco concluserunt. Scribit enim Prellerus: 'Die dii certi waren also 'eigentliche und ausgemachte Götter' ... 'dii incerti' müssen also dem entsprechend solche Götter gewesen sein, welche nicht von Anfang an, sondern erst zu einer gewissen Zeit, d. h. durch Konsekration zu Göttern geworden waren, also im engeren Sinne des Worts nicht für Götter gehalten werden konnten. ... Auch glaube ich, dafs nicht allein solche Götter, die man nach der tief eingefressenen euhemeristischen Anschauung der Zeit, welcher auch Varro ganz ergeben war, für konsekrierte Menschen hielt, in diesem Abschnitte behandelt wurden, sondern auch die Personifikationen der Tugenden und Fehler.' Verum virtutes et vitia consecrata Varro in R. D. libro XIV posuit (vd. quaest. I p. 22); deinde in his R. D. libris non Euhemeri sed Stoicorum sententias secutus est (vd. quaest. III); denique divinitatem eorum deorum, qui immortales ex hominibus facti sunt, Stoicos secutus non modo non negavit, sed copiose demonstravit (vd. R. D. I fr. 23. 25 sqq. XVI fr. 3 sq.).

Merkelius autem Varronem haec non de diis certis et incertis, sed de solis diis certis scripsisse atque duos certorum ordines docuisse ratus deos certos putat eos, quorum 'simplicissima fuisset ratio' et 'qui antiquissimum deorum genus effecissent', et 'quorum condicio, ex qua consecrati essent, non esset mutata'; hos deos digestos esse in deos certos sempiternos, quorum 'praesertim ex indigitamentis simplex esset notio ipso nomine inclusa' (vd. p. CCXXVII), et numina certa ex hominibus consecrata, quorum 'proprium esset fabulam habere, sed simplicem nec ambigue traditam, tum numina aliusmodi, quam deos indigitamentorum' (vd. p. CXCV). At hac ratione vix intellegitur, quare dii illi nomen illud deorum certorum acceperint; deinde haec sententia in falsa indigitamentorum notione vertitur (vd. Excursum). Denique Merkelius hoc modo deos illos ex hominibus factos duobus diversis R. D. libris tribuere coactus est, id quod Varro certe non fecit.

Neque magis cum Marquardtio (Handb. III² p. 9, 4) in usum vocare licet, quae scribit Arnobius II 65: 'Ut enim dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates, neque eorum ab aliquo id, quod eius non sit potestatis ac licentiae, postulatis ...' Arnobium enim ne tantulum quidem de Varronis diis certis cogitasse docent ipsi dii, quos sententiae suae demonstrandae causa subinde enumerat: Liber Ceres Aesculapius Neptunus Iuno Fortuna Mercurius Volcanus 'rerum singuli certarum ac singularum datores'; immo de universis diis Romanis agens exponit singulos deos singulas vel proprias habere potestates, vel, ut denuo Arnobii ultima verba

repetam, singulos esse rerum certarum ac singularum datores. Neque haec sententia a vero abhorret[1]; nam tale aliquid ipse Varro agnoscit, cum sibi proponit explicare, 'quam quisque deus vim et facultatem ac potestatem cuiusque rei haberet (vd. R. D. I fr. 5).

Ceterum his, quae modo diximus, alia sententia refellitur, secundum quam Varro diis illis ideo nomen certorum indidit, quia certam haberent potestatem. Nam, ut notionibus a logica philosophiae parte profectis uti liceat, nota 'generalis', quae ad universum genus spectat, singularis speciei nota 'specifica' esse non potest. Profecto ad unam certamque rationem vel summam Varro etiam unumquemque deorum selectorum redegit, et cum ineunte R. D. libro XV dicit sibi non contigisse, ut deos incertos ad aliquam dirigeret summam, ipse confitetur etiam horum deorum naturam certa ratione contineri.

Denique videamus, quid ad nostram rem faciat hic locus Serv. interp. Aen. II 141: 'Pontifices dicunt singulis actibus proprios deos praeesse; hos Varro deos certos appellat.' His verbis is sensus subesse videtur, quasi Varro deos illos, qui secundum pontificum doctrinam singulis actibus proprii praeessent, certos appellasset, atque id propterea, quod ea potestas, quae uno actu vel uno officio contineretur, revera esset 'certa' potestas. Hanc opinionem Krahnerus (in Ersch. et Grub. Encyclopaed. s. v. Penates) pronuntiavit dicens: 'Der Kreis der Wirksamkeit ist bei den dii certi auf ein bestimmtes, durch ihren Namen angedeutetes[2]) officium beschränkt.' Atenim haec opinio neque ad eos deos certos, qui etiam inter selectos locum tenuerunt, quadrat, neque ad unumquemque ex ceteris diis certis; ut exemplo utar, Fortuna non modo ei uni singularique actui praeest, quod a parturientibus fortuita arceat (R. D. XIV fr. 18), sed generatim omnium fortuitorum dominatrix est (fr. 92). Quae cum ita sint, ex his verbis non colligitur, quam ob causam Varro his diis 'certorum' nomen dederit, sed quales illi dii fuerint. Utique hic fere idem accipimus, quod Augustinus scribit C. D. IV 8: 'Omnia nomina deorum et dearum, quae illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt, singulis rebus propria dispertientes officia numinum', sive de ipso R. D. libro XIV sive de Indigitamentis, Varronis fonte, Augustinus cogitavit.

Quid vero sint dii certi et incerti, non nisi ex ipsius Varronis verbis discitur, quae libro XV praemisit. Refert enim Augustinus C. D. VII 17: 'Trium extremorum primum de diis certis cum absolvisset (sc. Varro) librum, in altero de diis incertis dicere ingressus ait: 'Cum in hoc libello dubias de diis opiniones posuero, reprehendi non debeo. Qui enim putabit iudicari oportere et posse, cum audierit,

1) Similia exponit Aug. de cons. ev. I 25, 38; c. Faust. Man. XX 10.
2) Uniuscuiusque dei certi officium nomine inclusum non fuisse docet Iuturna (R. D. XIV. fr. 88).

faciet ípse. Ego citius perduci possum, ut in primo libro quae dixi in dubitationem revocem, quam in hoc quae praescribam omnia ut ad aliquam dirigam summam.' Varro igitur dicit se in hoc libro tales enumeraturum esse deos, de quorum natura[1]) certi aliquid evincere non potuisset. Immo illud certum, quod de prioris libri diis statuisset, se in dubium revocare malle quam ea varia, quae de unoquoque huius libri deo undecunque explorata scripturus esset, ad unam et simplicem rationem referre i. e. ad eam rationem, qua, ut interiore vinculo, varia illa inter se ita coniungerentur, ut unum aliquod efficerent.

Apparet his verbis Varronem exposuisse, quam ob causam deos in libro XV tractandos 'incertos' nominaret, nempe quia quae de eorum natura invenisset aut ad nullam aut ad incertam tantum summam dirigere posset, i. e. quia pro certo eruere non potuisset, quae esset eorum potestas. Ergo dii certi sunt ei, de quorum natura Varro certi aliquid invenisse sibi videbatur. Atque profecto ista ratio, secundum quam deorum ordines disposuit, maxime accommodata erat ad id, propter quod R. D. libros conscripsit, sc. ut doceret, 'quid ad quemque Romanorum deum pertineret et propter quid cuique deberet supplicari' (vd. R. D. I fr. 5).

Dii certi et incerti universum deorum P. R. publicorum numerum amplectuntur. Iam vero in R. D. libro XIV[2]) Varro eam rationem secutus erat, ut de diversis actionibus diceret, quibus singuli dii praeessent, non de singulis diis exponeret, quas actiones regerent, unde factum est, ut maiores deos compluribus locis commemoraret. Hoc autem modo neque totam eorum potestatem neque universam naturam illustravit, qua in re neque theologus civilis neque naturalis acquiescere potuit. Itaque hos deos praecipue tractandos selegit, unde nomen acceperunt deorum selectorum.[3])

Denique de R. D. libri XV argumento nonnulla adicere liceat, nam de XIV et XVI ex ipsis relliquiis satis edocemur. Siquidem Varro in hoc libro eos deos posuit, de quibus certi quidquam evicisse sibi non videbatur, primum huc referendi sunt, de quorum na-

---

1) Non 'de quarum divinitate', ut false interpretatur Prellerus l. l. p. 72 (cf. supra p. 127).

2) In libro XV certe nullum selectorum tractavit.

3) Levissima illa, quae de hac re Schmekelius profert, tantum commemorare satis est; scribit enim Phil. d. mittl. Stoa p. 120 adn. sub fin.: 'Buch I enthielt eine Übersicht über die philosophische Religion, Buch XIV bis XV die über die dei publici und privati (!), Buch XVI die über die dei selecti. Um die dei publici und privati kümmerte sich Varro nicht weiter, wohl aber suchte er eine Vereinigung der dei selecti mit der Gottheit bezw. den Göttern, die die Philosophie lehrte'. Quae maximam partem perverse dicta esse non habeo, quod certis ostendam argumentis.

tura veteres Romanos inter se dissentire notum est, dico Penates[1]) Consentes Lares Manes Indigetes Novensides similes; tum dii illi de hominibus assumpti, de quorum natura nisi ex incertissimis fabulis nihil colligi poterat; ceterum etiam de his, velut de Hercule (vd. Ael. ap. Varr. L. L. V 66; Varr. ap. Macr. Sat. III 12, 1 sqq.), alios auctores alia docuisse constat. Ita ipsa horum deorum natura firmatur, quod in quaest. I p. 11 sq. de Penatibus, in quaest. II p. 81 de Aenea Romulo Pico Fauno Fauna Acca Sancto huic libro tribuendis ex Augustini et Tertulliani verbis collegimus.

Excursus.

De Indigitamentis.

Quae ratio inter deos certos Varronis deosque indigitamentorum intercederet nuperrime exponere conatus est RPeter in Roscheri Myth. Lex. II p. 129 sqq. Qui etsi multa recte statuit (velut haud ita paucos a Varrone deos in certorum numerum relatos esse, qui in indigitamentis desiderabantur), saepius tamen ab eis, quae ipse, antequam illius cognovi dissertatiunculam, mecum statui, ita recedit, ut reiecta eius de tota indigitamentorum indole sententia ipse quid sentiam paucis adumbrare malim.

Peter postquam Varronis deos certos p. 151 sqq. examinavit priorumque qui de indigitamentis scripserunt opiniones p. 154 ff.

1) Quod Krahnerus (in Ersch. et Gruber. Encycl. s. v. 'Penates') Penates in R. D. libris locum tenuisse negat, perversum est. Nam ut vir doctus eos ad librum XIV aut XVI non pertinere recte vidit, ita de libro XV egregie fallitur. Nam Varronem non modo deos selectos, sed omnes Romanorum deos ad Stoicorum disciplinam accommodavisse ratus iudicat totum R. D. libri XV argumentum eum praebere his verbis in praefatione R. D. libri XVI positis (ap. Aug. C. D. VII 6): 'Inter lunae vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aërias esse animas ... et vocari heroas et lares et genios'. Atqui Arnobio teste (III 40) Varronem Penates in imis penetralibus caeli collocasse: ergo Penates in libro XV positos esse non posse. Atenim etiamsi heroas et Lares Varro in libro XV commemoravit, tamen non modo non potest demonstrari Varronem istis verbis totum libri XV argumentum praebere voluisse, sed etiam veri plane est absimile eum omnino ad huius libri XV argumentum illo libri XVI praefationis physicae loco spectasse, id quod perspiciet quicunque totum illum locum leget, ex quo Krahnerus nonnulla verba exscripsit, in quibus coniecturam suam exaedificaret. Prorsus vero Krahneri sententia eo destruitur, quod Wissowa (Überlief. der Penaten Herm. XXII p. 58 sq.) Varronem illo loco, quem Arnobius servat, non de Romanorum, sed de Tuscorum Penatibus egisse probavit.

refutavit, hunc fere in modum concludit: Si indigetes[1]) illi, qui Varronis ordinibus continentur, accurate observantur, indigetis munus certis finibus circumscriptum etiam ipso nomine[2]) exprimi patet; atqui indigitamentis teste Servio gen. ge. I 21 nomina deorum et rationes nominum, h. e. interpretationes praebentur, in indigitando autem nihil magis intererat, quam ut rectum dei nomen inveniretur et enuntiaretur, ita ut 'indigitare' i. e. 'indigetem facere'[3]) idem esset, quod 'rectum nomen facere' eius dei, cui supplicaretur: ergo indigitamenta erant indices nominum, quae Indigetibus a pontificibus indebantur vel, ut ipsius eius verba afferam 'Verzeichnisse von den Pontifices festgesetzter Indigetennamen, welche in den diesen beigegebenen rationes nominum eine Anweisung gaben, wie die Namen zu gebrauchen, d. h. welcher Indiges im gegebenen Falle anzurufen war.'

Quae contra dicendum est inter indigetes et indigitamenta rationem illam, quam vir doctus putat, minime interesse indigetesque revera esse genuinos populi Romani deos publicos, quod certissime probavit G Wissowa in luculentissima illa expositione, quae inscribitur 'de dis Romanorum Indigetibus et Novensidibus' (Ind. Lect. Marp. 1892). Verum dixerit quis Peterum, quamvis in verbis erraverit, tamen rem ipsam recte perspexisse recteque demonstrasse indigitamentis non contineri nisi numina specialia.[4]) Sed ex virorum doctorum qui antiquis temporibus vixerunt sententia res aliter se habebat; acutissime enim scribit G Wissowa l. l. p. V: 'Inde quod doctorum litterae ab Arnobio (II 73) adlegatae Apollinis nomen ab indigitamentis Numae regis abesse adnotabant, pro certo sequitur ex virorum doctorum sententia indigitamenta omnes deos, qui quidem tum colebantur comprehendisse.' Quamquam Peter, cum

1) Quid 'Indigetem' esse putet, p. 137 ita describit: 'Indiges bezeichnet einen in einer bestimmten menschlichen Handlung, Thätigkeit, in einer bestimmten Sache, Örtlichkeit u. s. w. und zwar nur in dieser einen und in keiner anderen Handlung u. s. w. wirkenden Gott'.

2) Talia nomina dii certi maximam partem revera habuerunt; sed quod Peter Augustinum (C. D. IV 24 inde a verbis 'quorum deorum non inveniebant eqs.') hoc expressis verbis confirmavisse opinatur, false iudicat. Neque enim hoc loco Augustinus, sed ipse Varro loquitur (vd. qu. I p. 22), neque ibi de diis certis vel de 'indigetibus' agitur, sed de certo quodam genere deorum certorum, sc. de eis, qui ipsum nomen habebant earum rerum, quarum datores esse putabantur.

3) Cf. Pet. p. 132: Indigito und indigitamentum bilden zweifellos mit Indiges eine Gruppe von etymologisch wie sachlich zusammengehörigen Wörtern. Indigito bedeutet nach Reifferscheids Erklärung 'ich mache, ich schaffe einen Indiges', indigitamentum ist hiernach die Gebetsformel, durch welche in den einzelnen Fällen dieses Schaffen eines Indiges zu geschehen hat; die dii Indigetes sind also die Gottheiten der Indigitamenta.

4) Hac voce cum Wissowa illa numina appello, quorum munus certis finibus circumscriptum ipsoque nomine expressum erat.

inter indigitamenta Pompiliana et indigitamenta universa non discernat, ex hoc Arnobii loco false colligit Apollinis nomen in indigitamentis omnino non fuisse atque Cornelium Labeonem proprias praebere hariolationes, cum referret apud Macr. Sat. I 17. 15 Apollinem a Vestalibus indigitari Medicum et Paeanem: quod idem statuendum esse de altero Macrobii loco (I 12, 21), ubi idem Labeo Maiam indigitari scriberet. Sed Labeoni cur diffidamus nulla extat causa. Legimus enim etiam apud Servii interpolatorem (Aen. VIII 330) Tiberinum a pontificibus indigitari solere, quo loco commentatorem ideo voce indigitandi uti Peter conicit, quia deus ille 'Indiges' cognominatus sit; quae sententia quo argumento nitatur nescio, immo cum apud Serv. gen. (Aen. VIII 31) in sacris Tiberinum vocari legatur, cumque idem ad Aen. VIII 72 ipsam precationis formulam praebeat 'adesto Tiberine cum tuis undis', pro certo patet etiam hic ut ubique (vd. adn. ad *R. D.* XIV fr. 2) 'indigitare' idem esse quod 'imprecari'. Praeterea Indigitamentis etiam Iovis imprecationem tribuo, quam refert *Serv.* int. Aen. II 351: 'Pontifices ita precabantur: Iuppiter optime maxime sive quo alio nomine te appellari volueris.', cf. eund. *Aen.* IV 577. Denique Aug. C. D. VII 23 p. 303, 18 sqq. pontifices una cum Tellure Tellumoni Altori Rusori 'rem divinam' facere secundum Varronem (R. D. XVI) refert et cum de eadem re alibi (C. D. IV 10 p. 158, 33 sqq.) ita dicat ut 'poeticos' cum 'sacrorum libris' conferat, his 'libris' non Varronis R. D. librum XVI, sed ipsos pontificum libros sacros significari atque hoc Varronis loco Indigitamentorum reliquias extare mihi quidem persuasum est.

Quoniam igitur Indigitamenta cum deos universales tum speciales amplectebantur, actum iam est de Peteri sententia; restat ut propria exponamus: 'Indigitare', ut omnes una voce testantur auctores, idem valet quod imprecari; 'comprecationes' deorum immortalium, quae ritu Romano fierent, expositas esse in libris sacerdotum populi Romani docet Gellius N. A. XIII 23, quibus libris Indigitamenta significari Wissowa intellexit l. l. p. V; invocari etiam a flamine, cum sacrum faceret Telluri et Cereri, Vervactorem Reparatorem Imporcitorem ceteros commemorat Serv. int. ge. I 21, quem locum Indigitamentis mecum vindicabis collatis similibus illis diis agrestibus, quos Varro inde sine dubio hausit; denique ipsae extant comprecationum formulae, quibus Apollo Tiberinus Iuppiter indigitabantur. Talia vero in meris indicibus vel nominum collectionibus conscripta fuisse non credes. Immo equidem Indigitamenta quosdam pontificum libros fuisse opinor, quibus praeciperent, qui dii quibus nominibus formulisque a quibus hominibus quo tempore imprecandi essent. Ceterum non casu factum esse mihi videtur, ut omnia paene indigitamentorum frustula quae extant non ad rem publicam sed (ut Augustini vel Varronis verbis utar) 'ad ipsum ho-

inem et ea quae sunt hominis ut victum atque vestitum et quae-
umque alia huic vitae sunt necessaria (Aug. C. D. VI 9)' aut per-
ineant aut nulla difficultate referri possint; ubi non tam de illis
iis cogito, quos Varro proprium secutus consilium in R. D. libro XIV
nt in logistorico de lib. educ. ap. Non. p. 352. 532 enumeravit,
uam de diis agrestibus, quos in sacro Cereali flamen invocat (vd.
erv. int. ge. I 21), de Tellumone Altore Rusore, quibus pontifices
acrum cum Tellure faciunt (vd. Aug. C. D. VII 23 sub fin.), de Apol-
ne Medico, quem virgines Vestales teste Macrobio Sat. I 17, 15, de
'iberino, quem pontifices teste Serv. int. VIII 330 indigitant. Quare
quidem eas comprecationes et sacra, quae de salute rei publicae
ebant, Indigitamentis abrogaverim ibique non nisi eas collocaverim,
uae ad salutem ipsorum civium et ad hominum vitam recte
uteque agendam pertinerent. Neque tamen pontifices his in libris
ominibus privatis praecepta aut precationum formulas dare voluisse
udico, quibus ipsi per se privatim deos imprecarentur, sed ex
ndigitamentorum praeceptis publica sacra instituebantur, id quod
lucet ex omnibus quos modo collaudavi locis. Huiusmodi libros
secundum diversas vitae condiciones hominumque opera et actiones
lispositos fuisse consentaneum est[1]); et quia singulis illis com-
precationibus id ipsum praepositum fuisse credendum est, propter
quod concipiendae essent, aut quia hoc ex ipsis formulis vel nomi-
nibus plerumque sua sponte elucebat: Varro 'indigitamentis nomina
et rationes ipsorum nominum contineri' (Serv. gen. ge. I 21) iure
contendit.

Ut in universum antiquissimi 'sacrorum' libri Numae et aliis
regibus ascribebantur (vd. Liv. I 31, 8. 32, 2. Varr. de cult. deor.
ap. Aug. C. D. VII 35), ita etiam Indigitamentis vetustissimis nomen
erat Pompilianorum, quod nomen ad universa Indigitamenta non
pertinere inde elucet, quod ibi deus Argentinus certe locum tenuit

1) Cum hac sententia non pugnat hic Gellii locus N. A. XIII 23
(ubi de Indigitamentis agi Wissowa vidit l. l. p. V): 'Compreca-
tiones deum immortalium, quae ritu Romano fiunt expositae sunt in
libris sacerdotum populi Romani et in plerisque antiquis orationibus.
In his scriptum est Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Horam Quirini,
Virites Quirini, Maiam Volcani, Heriem Iunonis, Moles Martis Nerienem-
que Martis'. Neque enim hae comprecationes una invocatione coniunctae
fuerunt. Qualem enim illam fingamus, absonam et diversam ab omnibus
quae aetatem tulerunt, aut qua in oratione haec ita enumerata fuisse
numina credamus? Conferas quaeso Ennium (ann. 114 Luc. Müller): 'teque
Quirine veneror bene Horamque Quirini', conferas sacrificia fratrum
Arvalium sescenta alia: collegisse antiquarium quendam et ex libris ponti-
ficum et ex orationibus antiquis minora quaedam numina mecum
statues, quae plerumque maiori alicui adiuncta invocabantur, nam de
coniugiis quidem deorum non agi apparet (vd. Heriem Iunonis, cf. Fest. 100
Herem Marteam cum Ennio ann. 113 Nerienem Mavortis et Herem, vd.
Moles Martis), etsi recentiore aetate haec credita sunt. Gellium ipsum
locum parum perspexisse non miramur ('in his scriptum est'), modo ne
illius stuporem exosculentur viri docti.

(vd. Varro R. D. XIV fr. 98), quem deum pontifices inde ab anno Chr. 269 invocare coeperunt. Necnon recentiorem resipiunt aetatem ipsae imprecationes: 'Adesto Tiberine cum tuis undis' et 'Apollo Medice Apollo Paean (hoc est Ἰήιε Παιάν, ut patet ex ipsa medici voce). Quibus vero temporibus pontifices novos deos novasve imprecationes indigitamentis inserere desierint, incertum est. Eodem tempore hoc fortasse factum est, quo Argei Graecorum ritu inducerentur, inter primum et secundum bellum Punicum, de qua re videas G Wissowa in Pauly Real-Encycl. s. v. Argei sub. fin.

De ceteris scriptoribus.

Restat, ut de ceteris qui huc pertinent auctoribus, de quibus in quaestionibus aut parum aut omnino non dictum est, pauca adiciam.

Atque Verrius quidem Varronis R. D. libris usum esse haud improbabile est, quoniam eiusdem Res Humanas plus semel commemorat. Quid vero e R. D. libris I XIV XV XVI hauserit, vix uno quidem loco constat, praesertim cum praeter Varronem ipsum etiam fontes eius adierit. Accedit quod de ipsa deorum natura nusquam agit, sed ubique de deorum diebus festis sacris simulacris signis; haud raro etiam nomina deorum et cognomina explicat, ita tamen, ut a Varrone plerumque abhorreat. Ceterum satis multa de diis e libro quodam hausit, quem Reitzensteinius, acutissimus Verrianorum fontium indagator, ita describit (Verr. Forsch. Bresl. phil. Abh. 1887): 'Die Quelle des Verrius ging von einer Scheidung der verschiedenen Arten der feriae zu der Darstellung der Hochzeitsgebräuche über. Sie besprach eingehend die Tracht der Braut, ihre Begleitung, die Namen der Gottheiten, welche angerufen wurden, die Lage der Heiligtümer, in welchen dies geschah, und schloſs hieran die Rechte der Matronen.' Haec vero in nostris quidem libris Varro non docuit. Verri igitur verbis Varro, etsi hic illic aptissime illustratur, tamen paene nunquam suppletur[1]).

De Ovidio dissensio adhuc inter viros doctos interest, utrum Varronem magis an Verrium secutus sit; illud Christiano Huelsen (Varron. doctr. quaenam in Ov. fastis vestigia extent Berol. 1880), hoc Hermanno Winther (de Fast. Verr. Flacc. ab Ov. adhibitis. Berol. 1885) placet[2]), atque mihi quidem huius viri sententia magis placet, qui recte eam quaerendi rationem vituperat, qua viri docti 'collatis omnibus, quae apud grammaticos historicos astrologos et Latinos et Graecos ad locum aliquem Ovidii pertinere videbantur, singulas virorum doctorum sententias cum singulis poetae

1) De Val. Max. vd. p. 28 sq. 67 adn. 1.
2) Qui praeter hos de Ovidio docuerint, invenies apud Wintherum p. 2.

versibus comparaverunt atque eos auctores, quibuscum saepissime consentiebat, ab Ovidio inspectos esse concluserunt' (p. 3). Itaque cum iusto audacius sit in Varronis fragmentis Ovidii verba collocare, equidem satis habui in fragmentis monere, quae poeta doceat similia.

E Propertii carminibus duo tantum loci huc pertinent: IV 9 de Bona Dea; IV 2 de Vertumno. Atque de illa dea similia refert Tertullianus ad nat. II 9 secundum Varronis R. D. librum XV (vd. quaest. II p. 81; cf. quaest. IV p. 116); Propertium igitur ad eundem fontem redire posse Tuerkio (de Prop. carm., quae pertinent ad antiquitatem Rom., auct. Hal. Sax. 1885) concedendum est; sed quod e Varronis loco L. L. V 46 poetam de Vertumno e Varroniano aliquo opere hausisse concludit, hoc eum nullo iure contendisse iam alii viderunt, ut Cauerus (Berl. phil. Wochenschr. V 1578 sqq.) et Heydenreichius (Phil. Rundschau V 1157 sq.; cf. Burs. Jahresber. 1888 p. 128 sqq.). Ceterum utcunque res se habet, ad Res Divinas haec referre ne tum quidem liceret, si recte Varroni vindicarentur.

Quae ratio inter Plutarchum et Varronem intercederet, nuper atque plerumque recte exposuit Paulus Glaesser (de Varr. doctr. ap. Plut. vestigiis, Leipz. Stud. IV p. 157 sqq.), qui reiecta illa sententia, qua viri docti Plutarchum ex ipso Varrone pendere putaverunt (ut G. Thilo, de Varr. Plut. quaest. Rom. auctore praecipuo. Hal. Sax. 1864, H. Kettner Varr. de vita P. R. Hal. Sax. 1863), ne eam quidem opinionem plane integram reliquit, quae ab Heerenio (de fontt. et auct. vit. Parall. comm. IV. Gotting. 1820) primum prolata, deinde a Guilelmo Soltau (de fontt. Plut. Bonn. 1870) et Alberto Barth (de Jubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis Gotting. 1876) confirmata est, secundum quam Varronis doctrinam per Jubae scripta ad Plutarchum perfluxisse iudicatur. Hic igitur omnia incerta sunt, quare Plutarchi doctrinas, quantum huc attinent, in adnotationibus, non in fragmentis invenies.

Servius genuinus eiusque interpolator, qui dicitur, nullo dubio haud pauca praebent, quae ad Varronem redeunt; quae eruere quam difficile sit, ex quaestione IV elucebit. Intermissi enim sunt inter eos et Varronem saepissime vel unus vel plures auctores, qui praeter illum alios fontes vel exhausisse possunt, vel exhauserunt, id quod de Labeone quidem ipsi supra probavimus. De Serviis igitur idem valet, quod modo de Ovidio dictum est ex mera similitudine de fontibus nihil concludendum esse; quare ne ille quidem, qui nuper de hac re quaesivit, Ernestus Samter (Quaest. Varron. Berol. 1891) Varronis causam multum adiuvit, quamquam eum haud raro verum si non probavisse at vidisse concedendum est.

Iam ut ad scriptores ecclesiasticos transeam, de Tertulliani libris ad nat. et apol. in quaest. II actum est; item de his locis de an. 37. 39 dixi: p. 79, de id. 3, praescr. haer. 40: p. 69, de id. 15, cor. 13. scorp. 10: p. 83. Alibi mihi quidem nihil occurrit, quod huc pertinet.

Augustinus Varroniana quaedam praebet in his operibus. De civ. dei (vd. quaest. I. III), cons. ev., doctr. Christ., ver. rel., gen. ad litt., c. Faust. Man., de trin., enarr. Psalm., epist. XVII class. II, cuius rei argumenta partim in quaestionibus supra propositis, partim in ipsis fragmentis invenies. Neque tamen ubique Varronem a patre denuo inspectum esse contenderim, nonnulla certo ille multifaria Varronis lectione servata e memoria sua prompsit. Perlegi praeterea haec eius scripta: Soliloquia, contr. Academicos, de vit. beat., ord., immort. an., quant. an., locut. in Heptat., quaest. in Heptat., Iob, sermon., confessiones, quibus omnibus, quod quidem sciam, nihil inest, quo Varro suppleatur.

Hieronymus, Augustini aequalis, quamquam Varronianorum operum titulos eum novisse constat, tamen Varronem num unquam legerit, mihi quidem dubium videtur; de dis certe aut tritissima memoriae prodit aut ea, quae ad gentium religiones tunc florentes pertineant.

Post Augustinum nullus invenitur scriptor ecclesiasticus, qui suis oculis Varronis Res Divinas inspexit. Cogito de Maximo Taurinensi, Prudentio, Isidoro, qui cum ex patribus ecclesiasticis prioribus tum ex poetis Romanis et commentariis poetarum pendent; quod de Isidoro quidem docuit Kettnerus Varr. Stud. 1 sqq. Ex Isidoro magnam partem posteriores pendent, ut Hrabanus Maurus. Augustinum expilat Boethius.

Denique glossarum scriptores unde hauserint, aut non perspicitur, aut, si perspicitur, fontes novissimi apparent, ut patres ecclesiastici, inter quos praecipue Isidorus (cf. e. g. de Iano Plac. lib. Rom. C. Gl. V 26, 15 sqq. cum Is. or. V 33, 3 sqq. VIII 11, 37. 76), et Vergilii commentatores.

M. TERENTI VARRONIS
ANTIQUITATUM RERUM DIVINARUM
LIBRI I XIV XV XVI.

Praefatio.

Varroniana fragmenta in superioribus paginis collocata partim ea sunt, quae quin ad Varronem redeant, non dubium sit, partim ea, quae num redeant, non extra ullam dubitationem positum sit. Atque nulla quidem dubitatione Varroni tribui non modo quae auctores locupletes fideque digni ei expressis verbis assignant, sed etiam quae ad eum redire ipse ex certis argumentis collegi; ut deos illos minutos, qui ab Augustino et Tertulliano compluribus locis pari ordine enumerati eadem ratione explicantur, e Varrone profectos esse manifeste apparet. Ceterum ne hac in re viri docti me nonnunquam erravisse vituperent, satis timeo. Ea autem fragmenta vel particulas fragmentorum, quae dubio obnoxia sunt, his asteriscis* significavi. Crucis signum† numeris anteposui, cum incertum erat, utrum Varronis quaedam verba ad hunc an ad alium locum referenda essent.

Ubi eadem Varronis doctrina compluribus locis servatur, uberrimum tantum et clarissimum locum exscriptum praebui, ceteros laudavisse satis habui, si modo novi nihil eis continetur; sin vero loci illi in vicem se illustrant aut supplent, omnes eos, etsi eadem vel similia praebent, uno numero signatos exscripsi. Simili modo sub uno numero diversa eiusdem loci Varroniani excerpta posui, ita tamen ut litteras a b c ... adderem. Denique quoniam satis saepe Varronis verba ex auctorum verbis ita enucleari nequeunt, ut mera doctrina Varroniana legentibus praebeatur, integra auctorum verba his uncinis ⟦ ⟧ inclusa in fragmentis proposui.

In adnotationibus primum eas quaestionum mearum paginas enotavi, quibus de singulis rebus egi. Deinde descripsi, quae ex ceteris Varronis scriptis ad rem pertinerent, vitans de industria Schwarzii ubertatem atque id solum spectans, ut Res Divinae additamentis illis explicarentur. Tum eos locos adiunxi, quibus similitudo quaedam cum fragmentis ipsis intercedit; quorum locorum duo genera statuuntur, alterum quo Varronianae doctrinae vestigia latere vel possunt vel videntur, alterum, quo similitudo illa casu quodam ex ipsis rebus profecta est. Addidi autem non nisi ea, quae ad Varronem intellegendum aliquid valere viderentur.

In mediis paginis varias lectiones descripsi eorum locorum, qui ex Augustini C. D. libris, e Tertulliani ad nat., de an., apol., de idol., cor., scorp. libris, e Minucio, Lactantio, Arnobio, Macrobio, Servio genuino Serviique interpolatore (ad Aen.), commentis Bernensibus, Nonio profluxerunt.

Atque de Augustino quidem contigit mihi, ut haud ita paucas lectiones primus ego publici iuris faciam, quas liberalissimae benigni-

tati et voluntati erga me ultra modum propensae debeo viri illustrissimi, E Hoffmann, Vindobonensis litterarum universitatis professoris; cui hoc loco gratiam diu debitam tandem aliquando referre admodum me iuvat. Rogatus enim a Ricardo Reitzenstein, praeceptore meo doctissimo, vir ille egregius meum in usum Dombarti lectiones eorum Augustini locorum, qui ex libris C. D. IV—VII ad Varronem pertinent, et cum duobus antiquissimis praestantissimisque codicibus (*L l*) adhuc nondum collatis et cum codice Corbeiensi contulit, e quo inde a Duebneri temporibus horum Augustini librorum editiones pendent. Describit vero codices illos vir doctissimus hunc fere in modum:

L cod. bibl. urb. Lugud. n. 523 bis, saec. VI, libros I—V continens, haud raro mutilatus (deest in his libris quaternio XVI = pag. 163, 31 ['officiis et operibus'] — pag. 174, 29 Domb. ['Terminus et Iuventas']); foliorum orae humore corrosae sunt, ita ut exteriorum columnarum initia finesve perierint.

l cod. bibl. urb. Lugud. 523, saec. IX, libros I—XIV continens, in libris I—V e codice *L* iam mutilato accuratissime exaratus.

De tertio codice *C* Dombartus in praefatione editionis suae alterius refert: *C*, Corbeiensis, nunc Germanensis n. 766, saec. VII, uncialibus litteris scriptus, qui libros novem priores et decem librorum argumenta continet.

Quoniam vero eas horum librorum proprietates, quae ad orthographiam pertinent, plerumque in adnotationibus praetermisi, hoc loco quae gravioris momenti sunt notanda videntur esse. Saepissime 'ae' pro 'e' scriptum est in *C*, ubi e. g. semper legitur 'interpraetatio, interpraetari', minus saepe in *L*, raro in *l*; 'e' pro 'ae' uno tantum codicis *l* loco equidem vidi, ubi ante 'sculano' 'e' supra lineam additum est p. 171, 17 Domb. — Litteras 'i' et 'e' non raro prior codicis *C* scriptor, raro posterior inter se commutavit, ita ut 'i' pro 'e' saepius occurrat, quam 'e' pro 'i'; cod. *l* semel, quod videam, 'distructor' praebet p. 248, 3 D. — In scribendis litteris 'o' et 'u' libri non constant, varietates ipsae in apparatu descriptae sunt. — In Graecis verbis 'y' pro 'i' false exhibet *L*: hystoriam p. 185, 27; *l*: hystoriam *ib.*, polyticen p. 271, 7. — Frequentissima est permutatio consonantis 'u' cum 'b' in *L* et *l*, ubi non minus 'u' pro 'b', quam 'b' pro 'u' legitur; in codice *C*, quod ex meis quidem excerptis intellegam, 'b' pro 'u' nusquam, 'u' pro 'b' semel occurrit p. 277, 27. Littera 'b' in verbi 'scribere' formis et derivatis ante 's' et 't' in codicibus *C* et *l* plerumque servatur, verum in *C* saepius, quam in *l*; similiter nonnunquam 'nubta, nubtialis' in *C* legitur atque in compositis 'b' syllabae praefixae 'ob' ante 'p' interdum servatur in *C* et *l*. — Litteram 'c' pro 'qu' codices *C* (prima manu) et *l* in hac forma: 'secuntur' p. 249, 22. 27 usurpant; contra 'qu' pro 'c' saepius legitur, ut codex *L* 'quum' et 'quur' semper, 'loquus'

semel exhibet; cod. *l* semper 'quur', saepe 'quum' praebet. 'Pulcer' p. 181, 31, 'pulcritudo' p. 180, 14 inveni in *C*. Litteram 'c' superfluam addit *l* in 'distincxit p. 246, 32, 'fincxisse' p. 280, 10. — 'D' cum 't' saepe commutatum est, sicut omnes codices 'adque' et plerumque 'inquid' scribunt, cum *L l* non raro 'aput' praebeant. Litteram 'd' praepositionis 'ad' in compositis omnes modo servant, modo assimilant, nisi quod in cod. *l* semper 'adpellare, adpellantes' scriptum esse videtur. — Litteram 'h' omiserunt tres codices *L l C* in 'ostire, ostilina' p. 156, 3, unus codex *l* nonnunquam in compositis verborum 'habere, horrere'; contra idem codex *l* 'h' perperam hic illic adiunxit, ut in 'exhorsus' p. 266, 10, 'exhortam' p. 298, 29; p. 299, 2. — Litteram 'n' syllabae praefixae 'con' ante 'p' omnes nonnunquam retinent. — 'P' post 'm' ante 's' et 't' codex *C* raro, ut videtur, elidit, saepius *L* et *l*, ut in 'demserunt' p. 157, 12, 'contemtui' p. 185, 19, 'demsisse' p. 186, 27, 'sumserunt' p. 189, 9. — Denique formas monosyllabas 'di, dis' prior codicis *L* scriptor semper adhibuit, saepe etiam scriptor codicis *l*; in *C* hae formae rarissimo occurrunt.

Atque haec quidem de Augustino. De ceteris non habeo, quod dicam, cum in universum eas lectiones et varietates transscripserim, quae in optimis editionibus praebentur.

Index siglorum.

Augustini de civitate dei libri (vd. Dombarti ed. alt.):

LlC vd. supra.
A Monacensis lat. 3831, quondam Augustanus, saec. X.
F Monacensis lat. 6267, quondam Frisingensis, saec. IX.
K Colonienis 75 saec. VIII.
Ed. Par. Duebn. editio Parisina a. 1838.

Tertulliani ad nat., de spect., de id., scorp., de an. libri (vd. ed. Vind. ex rec. Augusti Reifferscheid et Georgii Wissowa):

A Paris. 1622 saec. IX sive Agobardinus.
Goth, Bal*, Hild** eiusdem libri variae lectiones a Gothofredo, Baluzio, Hildebrando enotatae.
B editio Ioannis Gagnei Parisina a. 1545.
C lectiones codicis Ioannis Clementis Angli a Iacobo Pamelio usurpati.
Gel editio Sigismundi Gelenii a. 1550.
Pam editio Iacobi Pamelii a. 1579.
Iun editio Francisci Iunii a. 1597.
Goth Iacobi Gothofredi librorum ad nat. editio princ. a. 1625.

Tertulliani apol. lib. (vd. Oehleri editionem maiorem):

ABD cod. Paris. 1623. 1656. 2616.
E „ Gothanus n. M. 50.
F „ Erlangensis, olim Heilsbronnensis.
G „ Leidensis (n. 315), Mss. Lat. Bibl. Publ. n. 2.
Fuld „ Fuldensis.
Vind. „ Vindobonensis 294.
Erf „ Erfurtanus.
Ox „ Oxoniensis.

Minucii Octavius (vd. ed. Vindob. ex rec. Caroli Halm), Arnobii adv. nat. libri (vd. ed. Vindob. ex rec. Augusti Reifferscheid):

P cod. Par. 1661, olim Romanus saec. IX.
r vir quidam doctus, qui codicem post Sabaei editionem ante Scaligeri collationem correxit.
Sab ed. princ. Fausti Sabaei Rom. 1543 (Min. et Arnob.).
Urs ed. Fulvi Ursini Rom. 1583 (Min. et Arnob.).
Rig ed. Nicolai Rigaltii Par. 1643 (Min. et Arnob.).
Gel ed. Sigismundi Gelenii Basil. 1546 (Arn.).
Salm ed. Claudii Salmasii Leid. 1651 (Arn.).

Lactantii inst. div. libri (vd. ed. Vindob. ex rec. Samuelis Brandt):

B cod. Bonon. 701 saec. VI—VII.
H „ Pal.-Val. 161 saec. X.
P „ Paris. Puteani 1662 saec. IX.
R „ Par. Reg. 1663 saec. IX.
S „ Par. 1664 saec. XII.
V „ Valentin. 140 saec. X—XI.
C consensus codicum.

Macrobii Sat. libri:

P cod. Parisinus 6371.
B „ Bamberg. M. L. V. 5 n. 9.
(*P*) (*B*) lectio codicum, de qua ex ipsius silentio tantum Eyssenhardtio constat.

Serviorum comm. ad Aen. libri (vd. ed. ex rec. G Thilo et H Hagen):

I plenioris commentarii codices:

C cod. olim Fuldensis, nunc Cassellanus ms. poet. fol. 6 (Aen. I. II).
F „ olim Floriacensis, nunc Bernensis 172 (Aen. III—V) et Paris. bibl. nat. 7929 (Aen. VI—XII).
G cod. olim Autissiodorensis, nunc Bernensis 167.
T „ olim Turonensis, nunc Bernensis 165.

II Serviani commentarii codices:

A cod. Caroliruhensis 116.
C „ Cassellani ea pars, quae ad Aen. III—VI pertinet.
H „ Hamburgensis 52.
M „ Monacensis 6394, olim Frisingensis 194.
R „ Reginensis 1674.
S codd. Sangallenses 861. 862.

Novissimam Serviorum ad ecl. et ge. adnotationum editionem Teubnerianam ut usurpem, mihi non contigit.

Commentorum Bernensium ad Luc. Phars. libri (ex ed. Useneriana):

C cod. Bernensis litt. 370 saec. X.
D correctiones Petri Danielis codici *C* adhibitae.

Nonii de comp. doctr. libri (ex rec. Luciani Mueller):

G cod. Guelferbytanus.
H „ Harleianus.
L „ Lugdunensis prior.

M. TERENTI VARRONIS
ANTIQUITATUM RERUM DIVINARUM
AD
C. CAESAREM PONTIFICEM MAXIMUM
LIBRORUM I XIV XV XVI.
FRAGMENTA.

M. Terenti Varronis Antiquitatum Rer. Div. Liber I.

1 Acr. Hor. ep. I 10, 49: Vacunam Varro in primo Rerum divinarum Victoriam ait, quod ea maxime hi gaudent, qui sapientiae vacent.

2a Aug. C. D. VI 2 p. 248, 7 sqq.: . . . ut in eo ipso opere littera-5rum suarum (sc. in R. D. libris) dicat (sc. Varro) se timere ne

Acr. 2 ait; quod *cod. Guelferbyt 81* 2 sq. sapientia vincunt *cod. Guelf.* *Aug.* 5 temere C^1

Titulus. Lact. I. D. I 6, 7: M. Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Graecos quidem vixit, in libris Rerum Divinarum, quos ad C. Caesarem pontificem maximum scripsit. — Aug. C. D. VII 35 p. 318, 27 sqq.: istos Varronis ad Caesarem pontificem scriptos (sc. Rerum Divinarum libros). Cf. Aug. C. D. VI 2 in.: Quis Marco Varrone curiosius ista (sc. de deis et deorum sacris) quaesivit? quis invenit doctius? quis consideravit adtentius, quis distinxit acutius? quis diligentius pleniusque conscripsit? Ib. p. 248, 1 sqq.: Iste vir (sc. Varro) tantus ingenio tantusque doctrina, si rerum velut divinarum, de quibus scribit, oppugnator esset atque destructor easque non ad religionem, sed ad superstitionem diceret pertinere . . . Tert. ad nat. II 1 p. 94, 15 sq.: Varro, qui rerum divinarum ex omnibus retro digestis commentatus idoneum se nobis scopum exposuit. — Cic. Ac. I 3, 9: Tu (sc. Varro) omnium divinarum humanarumque rerum nomina genera officia aperuisti; cf. Brut. 60. 56. Serv. gen. Aen. XI 787: Varro ubique expugnator religionis. Id. Aen. X 175: Licet Varro praecellat in theologia. Quintil. I. O. X 1, 95.

1 *Haec in prooemio ad Caesarem scripto locum tenuisse conicit Merkelius prol. Ov. fast. p. CX. Fortasse de imprecatione quadam cogitandum est simili ei, quam Varro libro Rer. Rust. I praemisit.* — Acr. l. l.: Vacunam apud Sabinos plurimum cultam Quidam Minervam Alii Dianam putaverunt, nonnulli etiam Venerem esse dixerunt, sed Varro eqs. Comm. Cruqu. ad eund. loc.: Vacuna apud Sabinos plurimum colitur; quidam Dianam nonnulli et Cererem esse dixerunt, alii Venerem, alii Victoriam, deam vacationis, quod faciat vacare a curis, sed Varro primo rerum divinarum Minervam dicit, quod ea maxime hi gaudent, qui sapientiae vacant. *Cf.* Porph. ad eund. loc. Acr. cod. γ (= Par. 7), cod. Barc., Ovid. fast. VI 301 sq. *Ultima comm. Cruq. verba in fragmentis non collocavi, quia cum Acrone pugnant. Item num in ceteris, quae commentatores afferunt, Varronianae doctrinae frustula extent, dubium est, quamvis Sabini quidem Varronem redoleant. Vd. Iordan-Preller. R. M. I³ p. 409, 2.*

2 *Vd. quaest. I p. 15. De Metello cf.* Cic. p. Scaur. II 48; Dion.

pereant (sc. dii), non incursu hostili, sed civium neglegentia, de qua illos velut ruina liberari a se dicit et in memoria bonorum per eiusmodi libros recondi atque servari utiliore cura, quam Metellus de incendio sacra Vestalia et Aeneas de Troiano excidio penates liberasse praedicatur. 5

2b Aug. C. D. VII 3 p. 277, 25 sqq.: Dicit ipse Varro, quod diis quibusdam patribus et deabus matribus, sicut hominibus, ignobilitas accidisset.

3a Aug. C. D. VI 3: Quadraginta unum libros scripsit (sc. Varro) antiquitatum; hos in res humanas divinasque divisit, rebus humanis 10 viginti quinque, divinis sedecim tribuit, istam secutus in ea partitione rationem, ut rerum humanarum libros senos quattuor partibus daret. Intendit enim qui agant, ubi agant, quando agant, quid agant. In sex itaque primis de hominibus scripsit, in secundis sex de locis, sex tertios de temporibus, sex quartos eosdemque postremos de rebus 15 absolvit. Quater autem seni viginti et quattuor fiunt. Sed unum singularem, qui communiter prius de omnibus loqueretur in capite posuit. In divinis identidem rebus eadem ab illo divisionis forma servata est, quantum adtinet ad ea, quae diis exhibenda sunt. Exhibentur enim ab hominibus in locis et temporibus sacra. Haec 20 quattuor, quae dixi, libris complexus est ternis: nam tres priores de hominibus scripsit, sequentes de locis, tertios de temporibus, quartos de sacris; etiam hic, qui exhibeant, ubi exhibeant, quando exhibeant, quid exhibeant, subtilissima distinctione commendans. Sed quia oportebat dicere et maxime id exspectabatur, quibus exhibeant, de 25 ipsis quoque diis tres conscripsit extremos, ut quinquies terni quindecim fierent. Sunt autem omnes, ut diximus, sedecim, quia et isto-

---

1 neglegentia *l Domb*: negligentia *C* 4 ae, as (NE) *C* 5 praedicatur *codd. et Dombartus* 9 et unum *C* 10 humanis *man. 2 sup. lin. C* 13 qui] quid *C* quid] qui, d *eras., C* 18 idem | tidem, *i (?) eras., l*: idem *F Aug.* 25 et maxime *lAKF*: maximeque *C* *post* quibus exhi-

---

Hal. A. R. II 66; Ov. fast. VI 435 sqq.; Val. Max. I 4, 4; Plin. N. H. VII 141; Plut. Parall. 17; Aug. C. D. III 18, *quibus locis modo de Palladio modo de sacris Vestae igni ereptis dicitur. De Aenea penatium servatore testimonia collegit Wissowa, Ueberlief. d. Pen. Herm. XXII p. 40. De dis 'ignobilibus' cf.* Varr. R. D. I fr. 46; L. L. VI 19. VII 45; *Marqu.-Wissow. Röm. Staatsverw. III² p. 68.*

3 *Vd. quaest. I p. 15 sq.* Hieron. ep. 29 ad Paulam *false XLV libros refert, cf. Ritschl. op. III 419 sqq.; Chappuis. Sent. de Varr. p. 120. Miror quod Prellerus R. M. I³ p. 32, 1 scribit: Die Zahl XLII scheint die richtige zu sein, 41 Bücher der Antiquitates und ein eignes Buch allgemeiner Einleitung, quod hominem doctum vix scripturum fuisse credo, si Augustinum respexisset. — Quos libros Varro secundum hanc eandem quadripertitam rationem disposuerit, invenies in quaest. I l. l. — Totum Augustini caput exscripsit* Boëthius de dis et praesensionibus *in* Cic. *ed. Or.* V 1 p. 392, 13 sqq.

rum exordio unum singularem, qui prius de omnibus loqueretur, apposuit; quo absoluto consequenter ex illa quinquepertita distributione tres praecedentes, qui ad homines pertinent, ita subdivisit, ut primus sit de pontificibus, secundus de auguribus, tertius de quindecimviris sacrorum; secundos tres ad loca pertinentes, ita ut in uno eorum de sacellis, altero de sacris aedibus diceret, tertio de locis religiosis; tres porro, qui istos sequuntur et ad tempora pertinent, id est ad dies festos, ut unum eorum faceret de feriis, alterum de ludis circensibus, de scaenicis tertium. Quartorum trium ad sacra pertinentium uni dedit consecrationes, alteri sacra privata, ultima publica. [[Hanc velut pompam obsequiorum]] in tribus, qui restant, dii ipsi sequuntur extremi, quibus iste universus cultus inpensus est: in primo dii certi, in secundo incerti, in tertio cunctorum novissi modii praecipui atque selecti.

Aug. C. D. VII 1 p. 273, 7 sqq.: Civilis theologia a Marco Varrone sedecim voluminibus explicata est. Cf. ib. p. 273, 15 sq. C. D. VI 4 p. 251, 1 sqq. Tert. ad nat. II 9 p. 111, 3 sq.: Romanorum deos Varro trifariam disposuit in certos, incertos et electos. 3b

Aug. C. D. VI 4 p. 250, 17 sqq.: Iste ipse Varro propterea se prius de rebus humanis, de divinis autem postea scripsisse testatur, quod prius extiterint civitates, deinde ab eis haec instituta sint... Varronis igitur confitentis ideo se prius de rebus humanis scripsisse postea de divinis, quia divinae istae ab hominibus institutae sunt, haec ratio est: 'Sicut prior est, inquit, pictor quam tabula picta, prior faber quam aedificium: ita priores sunt civitates quam ea, quae a civitatibus instituta sunt.' Dicit autem prius se scripturum fuisse de diis, postea de hominibus, si de omni natura deorum scriberet... [[Quid est ergo, quod]] ait: 'Si de omni natura deorum et hominum scriberemus, prius divina absolvissemus, quam humana adtigissemus.' Ibid. p. 251, 13—19: Rerum humanarum libros non quantum ad orbem terrarum, sed quantum ad solam Romam pertinet, scripsit *eqs.* Id. C. D. VI 5 p. 254, 11—13. C. D. IV 1 p. 146, 20—23. 4

Aug. C. D. IV 22 p. 172, 12 sqq.: Varro iactat praestare se civibus suis, quia non solum commemorat deos, quos coli oporteat 5 a Romanis, verum etiam dicit, quid ad quemque pertineat. Quoniam 5

---

beant *C² in marg. addit* quid exhibeant 1 prius *C¹*: primus, m *supra* in *add.*, *C²* 5 sq. ut unus *l* 6 altero *l* tertio *l* 14 selecti, s *in ras. ex* r *(?) corr.*, *C*: electi *l* 15 M. *C*
Tert. nat. 18 trifariam *Goth*: bifariam *A* in certos *add. Goth.*
Aug. 21 constituta *A* 24 superior *l* 27 scriberet *lF*: scribat *CK*, scribit *A* 31 pertinent *A* 35 quemquam *l*: quem *A*[1]

---

4 *Vd. quaest. I p. 16. Similia docent* Cic. p. Flacc. 28, 69; de rep. I 2, 2; de leg. II 8, 19; Liv. X^XXIX 15, 2. *Vd. Marquardt-Wissow. l. l. p. 3.*
5 *Vd. quaest. I p. 16.*

nihil prodest, inquit, hominis alicuius medici nomen formamque nosse et quod sit medicus ignorare: ita dicit nihil prodesse scire deum esse Aesculapium, si nescias eum valetudini opitulari atque ita ignores, cur ei debeas supplicare. Hoc etiam alia similitudine adfirmat dicens, non modo bene vivere, sed vivere omnino neminem posse, si ignoret, quisnam sit faber, quis pistor, quis tector, a quo quid utensile petere possit, quem adiutorem adsumere, quem ducem, quem doctorem, eo modo nulli dubium esse asserens, ita esse utilem cognitionem deorum, si sciatur quam quisque deus vim et facultatem ac potestatem cuiusque rei habeat. 'Ex eo enim poterimus, inquit, scire quem cuiusque causa deum invocare atque advocare debeamus, ne faciamus, ut mimi solent, et optemus a Libero aquam, a Lymphis vinum.' Id. C. D. VI I p. 244, 2—7; 25—28.

6 Aug. C. D. VI 5 p. 252, 17 sqq.: Tria genera theologiae dicit (sc. Varro) esse, id est rationis, quae de diis explicatur, eorumque unum mythicon appellatur, alterum physicon, tertium civile. ⟦Latine si usus admitteret, genus quod primum posuit, fabulare appellaremus, sed fabulosum dicamus; a fabulis enim mythicon dictum est, quoniam μῦθος Graece fabula dicitur. Secundum autem ut naturale dicatur, iam et consuetudo locutionis admittit. Tertium etiam ipse Latine enuntiavit, quod civile appellatur. Deinde ait:⟧ 'Mythicon appellant, quo maxime utuntur poetae; physicon, quo philosophi; civile quo populi.' Id. C. D. VI 12 p. 271, 5—7. Tert. ad nat. II 1 p. 94, 17 sqq.: Varronem ⟦si interrogem, qui insinua⟨to⟩res deorum⟧, aut philosophos designat aut populos aut poet⟨as⟩. ⟦Triplici enim genere deorum censum distinxit:⟧ unum esse physi⟨cum⟩, quod philosophi retractant, aliud mythicum, quod inter po⟨etas⟩ volutetur, tertium ⟦gentile⟧, quod populi sibi quique adoptave⟨runt⟩. ⟦Igitur cum philosophi physicum coniecturis concinnarint, ⟨poetae⟩ mythicum de fabulis traxerint, populi ⟦gentile⟧ ultro prae⟨sumpse⟩rint . . .⟧

---

3 scola.phium *C* 7 adsumere adiutorem *l* 10 sq. inquit poterimus *l* 11 *ut editur C*: aduocare et inuocare *l*, advocare atque invocare *AKF* 13 lymfis *l*

Aug. 17 adpellatur *l.*, *om. C*

Tert. nat. 31 poëtae *Goth* 32 praesumpserint *Goth*

---

6) *Vd. quaest. I p. 16; II p. 71.* Lact. de ira dei 11 s. fin: (Summum deum cum et) philosophi et poetae et ipsi denique, qui deos colunt, (saepe fateantur), *quae nescio an ad Varronem redeant. Cf.* Plut. plac. I 6, 9 (= Aet. plac. I 6, 9, Diels dox. p. 295ᵃ, 6 sqq.): Διόπερ οἱ περὶ τῶν θεῶν παραδόντες σεβασμὸν διὰ τριῶν ἐξέθηκαν ἡμῖν εἰδῶν, πρῶτον μὲν τοῦ φυσικοῦ, δεύτερον μὲν τοῦ μυθικοῦ, τρίτον δὲ τοῦ τὴν μαρτυρίαν ἐκ τῶν νόμων εἰληφότος ... *Zeller Philos. d. Griech. III 1³ p. 566. 674.*

*Aug. C. D. IV 27 p. 179, 21 sqq.: Relatum est in litteras, 7
doctissimum pontificem Scaevolam disputasse tria genera tradita
deorum, unum a poetis, alterum a philosophis, tertium a principibus
civitatis. Primum genus nugatorium dicit esse, quod multa de diis
fingantur indigna; secundum non congruere civitatibus, quod habeat
aliqua supervacua, aliqua etiam quae obsit populis nosse. ⟦De
supervacuis non magna causa est; solet enim a iuris peritis dici:
Superflua non nocent. Quae sunt autem illa quae prolata in multitudinem
nocent?⟧ 'Haec, inquit, non esse deos Herculem, Aesculapium,
Castorem, Pollucem; proditur enim a doctis, quod homines
fuerint et humana condicione defecerint.' ⟦Quid aliud?⟧ 'Quod
eorum qui sint dii non habeant civitates vera simulacra, quod verus
deus nec sexum habeat nec aetatem nec definita corporis membra.

Aug. C. D. VI 5 p. 252, 27 sqq.: 'Primum (sc. theologiae 8
5 genus), inquit (sc. Varro), quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem
et naturam immortalium ficta. In hoc enim est, ut deus alius
ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus; in
hoc ut dii furati sint, ut adulterarint, ut servierint homini; denique
in hoc omnia diis adtribuuntur, quae non modo in hominem, sed
10 etiam quae in contemptissimum hominem cadere possunt.' Hic certe
ubi potuit, ubi ausus est, ubi inpunitum putavit, quanta mendacissimis
fabulis naturae deorum fieret iniuria, sine caligine ullius
ambiguitatis expressit. Loquebatur enim de ... theologia ... fabulosa,
quam libere a se putavit esse culpandam. Ib. p. 253, 25—29.
15 VI 10 p. 267, 11 sq. 269, 11 sq. VI 12 p. 271, 7—9. Tert. ad
nat. II 1 p. 94, 28: Apud poetas omnia indigna, quia turpia.
Id. II 7 p. 107, 5 sq.: ⟦Riden⟨dum an i⟩rascendum sit⟧, tales deos
credi quales homines esse non debant.

*Aug. C. D. IV 27 p. 180, 9 sqq.: Poeticum sane deorum genus 9
20 cur Scaevola respuat, eisdem litteris (sc. in libris Rerum Divinarum)
non tacetur: 'quia sic videlicet deos deformant, ut nec bonis hominibus
comparentur, cum alium faciant furari, alium adulterare, sic

Aug. 1 litteris *l*[2] 4 dis *L*[1] 5 habet *C*[1] 9 aescolapius *C* 10 a *om L*[1], ab *l* 12 di *L*[1]

Aug. 18 di *C*[1] 19 in hoc *man. rec. in marg. C* diis *man.* 1 *(?) supra lin. C*

Tert. nat. 27 ridendum an irascendum *Goth:* riden ..... irascendum *Bal*, Hild**

Aug. 31 deforma^n^t *L* 32 faciant *Ll:* faciunt *C* 32 adulterari *C*[1]

---

7 *Vd. quaest. I p. 17. De Scaevola vd. Zeller. Phil. III 1*[3] *p. 566; Relig. u. Philos. b. d. Röm. (Berol. 1866) p. 32 sqq. Cf.* R. D. I fr. 10b. 24. 54.

8 *Vd. quaest. I p. 16, quaest. II p. 75. Cf.* Cic. N. D. I 16, 42 *et apud* Lact. Inst. Div. II 3, 2. *Augustinum exscripsit* Boethius l. l. p. 392, 21 sqq.

9 *Vd. quaest. I p. 17.*

item aliquid aliter turpiter atque inepte dicere ac facere; tres inter se deas certasse de praemio pulchritudinis, victas duas a Venere Troiam evertisse; Iovem ipsum converti in bovem aut cygnum, ut cum aliqua concumbat; deam homini nubere, Saturnum liberos devorare: nihil denique posse confingi miraculorum atque vitiorum, 5 quod non ibi reperiatur atque a deorum natura longe absit.'

10a Aug. C. D. VI 5 p. 253, 10 sqq.: 'Secundum genus (sc. theologiae) est', inquit (sc. Varro), 'quod demonstravi, de quo multos libros philosophi reliquerunt; in quibus est, dii qui sint, ubi, quod genus, quale est: a quodam tempore an a sempiterno fuerint dii; ex 10 igni sint, ut credit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut ait Epicurus. Sic alia, quae facilius intra parietes in schola quam extra in foro ferre possunt aures.' Nihil in hoc genere culpavit, quod physicon vocant et ad philosophos pertinet, tantum quod eorum inter se controversias commemoravit, per quos facta 15 est dissidentium multitudo sectarum. Removit tamen hoc genus a foro, id est a populis; scholis vero et parietibus clausit. Tert. ad nat. II 1 p. 94, 27: ⟦Apud philosophos ⟨incerta⟩, quia varia⟧.

10b Aug. C. D. IV 31 p. 186, 1 sqq.: Evidenter ipse (sc. Varro) dicit de religionibus loquens multa esse versa, quae non modo 20 vulgo scire non sit utile, sed etiam tametsi falsa sunt, aliter existimare populum expediat, et ideo Graecos teletas ac mysteria taciturnitate parietibusque clausisse. Id. C. D. IV 27 p. 180, 5 sqq.: Quod (sc. expedire falli in religione civitates) dicere etiam in libris rerum divinarum Varro ipse non dubitat. Id. C. D. IV 32 25 p. 187, 25 sq.

10c Tert. ap. 47 p. 287, 7 sqq.: ⟦Inventum . . . deum non ut invenerant disputaverunt (sc. philosophi), ut et⟧ de qualitate et de natura eius et de sede disceptent. (*De qualitate:*) Alii incorporalem adseverant, alii corporalem, ut tam Platonici, quam Stoici; alii ex 30 atomis, alii ex numeris, qua Epicurus et Pythagoras, alius ex igni,

---

2 pulcritudinis *C* 3 cycnum *C* 6 repperiatur *Cl:* ///periatur *L mutil.* 6 ab deorum *L:* abeorum *l*[1], adeorum *l*[2] 10 quale est *lAKF:* quale *ed. Par. Duebn.* 11 igni *C:* igne *l*
Tert. nat. 18 incerta *Goth:* . . . . . . *A,* ⟨omnia⟩ incerta *Wissowa*
Aug. 24 civitatis *C*
Tert. ap. 29 et de se *F*: et de *Vind 294* disceptent] disputent *G* 30 asseverant qua Platonici et Stoici *Fuld:* asseverant, alii corporalem qua Platonici et Stoici *Rig* 31 qua *ABEF Vind:* sicut *DG* alius *AF Fuld Vind:* alii *BDEG* ex igni *ABE Vind Erf:* ex igne

---

10 a) *Vd. quaest. I p. 16. Augustinum exscripsit* Boethius l. l. p. 392, 29 sqq. — b) *Vd. quaest. I p. 18. Cf.* Sent. Varr. 99: Dum vulgus colat iustitiam, nil interest, utrum vera praedices. 101: Multa scit sapiens, quae cum nemine contulit; *cf. etiam* ib. 2. 100. — c) *Vd. quaest. II p. 70. Tertullianum exscripsit* Isid. or. VIII 6. *De deo incorporali Platoni false ascripto vd. Diels. Dox. p. 128. 537 adn. Hic certe ipse Varro vel rectius Varronis auctor erravit, ut elucet e* Cic. N. D.

qua Heraclito visum est. (*De natura:*) Et Platonici quidem curantem rerum, contra Epicurei otiosum et inexercitum et, ut ita dixerim, neminem humanis rebus. (*De sede:*) Positum vero extra mundum [Stoici], qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc; intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo intra id maneat, quod regat. Id. ad nat. II 2 p. 96, 4 sqq.: Invento deo non ut invenerunt exposuerunt, ut et de qualitate eius et de natura, etiam de sede disceptent: Platonici quidem curantem rerum et arbitrum et iudicem, Epicurei otiosum et inexercitum et, ut ita dixerim, neminem; positum vero extra mundum [[Stoici]], intra mundum Platonici.

*Sen. de superst. ap. Aug. C. D. VI 10 p. 267, 22 sqq.: [Ego feram aut Platonem aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit deum sine corpore, alter sine animo?] 10d

*Tert. ap. 47 p. 287, 11 sqq.: Sic et de ipso mundo natus innatusve sit, decessurus mansurusve sit, variant (sc. philosophi). Sic et de animae statu, quam alii divinam et aeternam, alii dissolubilem contendunt, ut quis sensit, ita et intulit et reformavit. *Tert. ad nat. II 3 p. 98, 9 sqq.: Mundus aut ab aliquo institutus sit necesse est, qua Platonis [[humanitas]], aut a nullo, qua Epicuri [duritia]. 11

Aug. C. D. VIII 1 p. 321, 9 sqq.: Varro totam theologian naturalem usque ad mundum istum vel animam eius extendit. 12a

---

DFG, igni *Fuld* 1 qua *ABEF Fuld Erf Vind*: qualiter *DG* Heracleto *Fuld* 1 *sqq.* visum et Platoni: et quidem curantem rerum factorem et actorem rerum contra Epicuri otiosum et inexercitatum et, ut ita dixerim, neminem in rebus humanis *Fuld* 2 inexercitatum *G Fuld* 4 sq. Stoici — intra mundum *om. D* 5 id] illud *D et vett. edd.* quod] quos *ABEG Erf*

Tert. nat. 6 deo *Oehlerus:* eo *A, probavit Hartelius patr. Stud. II* p. 68 *adn. 4* 7 qualitate *Goth (vd. Hartel. l. l. p. 69 adn. 1) Rig:* qualitatis *A* 8 sede *Rig:* fide *A* 8 arbitrium *A* 10 intra *Rig:* extra *A*

Aug. 12 istratonem *C*

Tert. ap. 16 de animae statu] deam maiestatem *E Erf* 17 aut intulit quid aut *Fuld:* intulit aut *D* 24 qua] quae *fort.* quae *Goth*

I 12, 30, *sed Stoicos deum extra mundum posuisse vix docuit, nisi forte de Boetho cogitas, de quo vd. Zeller. Phil. III* 1^3 *p. 137, 1; nescio an Aristotelem vel Peripateticos pro Stoicis scripserit, cf.* Cic. N. D. I 13, 33. — d) *Vd. quaest. I p. 35. De Stratone vd.* Cic. Ac. II 38, 121. N. D. I 13, 35; *Windelband. Gesch. d. Phil. p. 140, alios.*

11 *Vd. quaest. II p. 70. 74.*

12b *Vd. quaest. II p. 71 sq. Cf. R. D. XVI fr. 3. 4. E Tertulliano pendet* Isid. or. VIII 6, 21; *cf. Kettner Varr. Stud. p. 4. Tert. vel Isid. inde a verbis 'Unde et Varro' exscribit* Rhab. Maur. de univ. XV p. 415[d] (Migne patr. lat. 111). *De Stoicorum doctrina vd. Villoison ad Ann. Corn. ed. Os. p. 406 sqq., Zeller l. l. p. 139 sqq. — Dionysius Stoicus (cf. fr. 22*[c]*) neque Heracleotes ille (vd. Zeller l. l. p. 38, 2) videtur fuisse neque Cyrenensis (vd. Zeller l. l. p. 569, 1), sed tertius quidam, quem Cicero commemorat* Tusc. II 11, 26 *(vd. Zeller l. l. p. 585, 1) auctor*

12b Tert. ad nat. II 2 p. 96, 22 sqq.: De mun⟨do deo di⟩dicimus. Hinc enim physicum theologiae genus cogunt, ⟨quando i⟩ta deos tradiderunt, ut Dionysius Stoicus trifariam eos d⟨ividat⟩. Unam vult speciem, quae in promptu sit, ut Solem, Lunam, ⟨aetherem⟩; aliam, quae non compareat, ut Neptunum; reliqua⟨m, quae de ho⟩minibus ad divinitatem transisse dicitur, ut Herculem, Amphiaraum. Aeque Arcesilaus trinam formam divinitatis ducit, Olympios, Astra, Titanios, de Caelo et Terra: ex his, Saturno et Ope. Neptunum Iovem et Orcum et ceteram successionem. Xenocrates Academicus bifariam facit, Olympios et Titanios, qui de Caelo et Terra. Aegyptiorum plerique quattuor deos credunt Solem et Lunam, Caelum ac Terram. Cum reliquo igni superno deos ortos Democritus suspicatur, cuius instar vult esse naturam Zenon. Unde et Varro ignem mundi animum facit, ut perinde ⟨in⟩ mundo ignis omnia gubernet, sicut animus in nobis. '⟨Qui⟩ cum est', inquit, 'in nobis, ipsi sumus; cum exivit, emorimur. Ergo et ig⟨nis⟩ cum de mundo per fulgura proficiscitur, mundus emoritur.'

13a *Serv. gen. Aen. VI 727: ⟦'Magno se corpore miscet' secundum eos locutus est, qui dicunt⟧ deum corporalem esse et eum ita definiunt πῦρ νοερόν, id est ignem sensualem.

Tert. nat. 1 mundo deo didicimus *Oehlerus*: mun *lac. 7 litt.* dicimus *A*, mundo *lac. 4* dicimus *Goth**, mundo isto (*aut* istud) dicimus *Goth*, mundano deo dicimus *Hartelius*, mundo deos esse dicimus *coni. Wissowa* 2 huc *Goth* quando ita *Oehlerus: lac. 7* ta *A*, quid? non ita *Goth* 3 eos *Oehlerus*: deos *A* dividat *Goth*: d *lac. 7 A*, div *lac. 4 Bal**, div *lac. 8 Hild**, diuiserit *Hartelius* 4 aetherem *Goth: lac. 8 A, lac. 5 Goth**, astra *Oehlerus* 5 *sq.* reliquam quae de hominibus *Goth*: reliqua *lac. 8* minibus *A*, reliquam *lac. 7* minibus *Bal*, Hild** 6 divinitatem *Goth*: diuitatem *A* dicitur ut herculem amph *in ras. A* 7 Arcesilaus *Goth*: actesilaus *A* 8 titaneos *A* 10 acadamicus *A* olymphios *A (vd. Hartel. patr. Stud. II p. 13)* 12 hortos *A* 13 cuius] ignis *coni. Wissowa* naturam deorum *coni. Wissowa*, animam *Hartelius* 15 qui *Isidorus Hisp. or. VIII 6, 21; Rhabanus Maurus de univers. XV p. 415 d (Mign. patr. lat. 111)*, nam *Goth* 16 ignis *Goth, Isid. Hisp.*
Serv. gen. 20 HOEPON *R*

Posidonii, e quo et Varro et Cicero pendent. — *De Arcesilao vd. Zeller l. l. p. 496, 4; de Xenocrate eund. II 1 p. 873*, Stob. ecl. I 1 (= Aet. plac. I 7, 30 *Diels p. 304*^{b} *1 sqq.* *Xenocratis doctrinam corruptam reddunt* Cic. N. D. I 13, 34 *et secundum Ciceronem* Clem. Al. Protr. V 66, *vd. Diels. Dox. p. 131.* — *De Democrito vd.* Stob. ecl. I 1 = Plut. plac. I 7 (= Aet. plac. I 7, 16 *Diels. p. 302*^{a} *3,* ^{b}*13), Diels. l. l. p. 10. 302.* — *De Aegyptiis cf.* Varr. L. L. V 57: Principes dei Caelum et Terra. Hi dei idem qui Aegypti Serapis et Isis. Idem principes in Latio Saturnus et Ops. — *De Zenone* vd. Varr. L. L. V 59: sive ut Zenon Citieus, animalium semen ignis is, qui anima ac mens; Cic. N. D. II 22, 57 sq.; Stob. ecl. I 25, 3; Diog. Laert. VII 156. — *De igne vd.* Varr. L. L. V 70: Ignis a nascendo, quod hinc nascitur et omne quod nascitur ignis gignit; ideo calet, ut qui denascitur eum amittit ac frigescit; Cic. N. D. II 9, 23 sqq.
13 *Vd. quaest. III p. 111 sq.* *Cf.* Stob. ecl. phys. I 1 (= Aet. plac.

*Id. Aen. VI 747: 'Aetherium sensum' id est πῦρ νοερόν, 13b
gnem sensualem, id est deum.

*Comm. Bern. Luc. IX 578: Ait Posidonius Stoicus: θεός 13c
ϲτι πνεῦμα νοερὸν διῆκον δι' ἁπάϲηϲ οὐϲίαϲ, deus est spiritus
ationalis per omnem diffusus materiam. Hunc spiritum summum
leum Plato vocat artificem permixtum mundo omnibusque quae in
o sint; [quod si ita est, omnes eum videmus].

*Aug. C. D. IV 12 p. 162, 28 sqq.: [Nonne debet movere acutos 14
homines vel qualescunque homines? ... Si] mundi animus deus est
iique animo mundus ut corpus est, ut sit unum animal constans ex
animo et corpore, atque iste deus est sinu quodam naturae in se
ipso continens omnia, ut ex ipsius anima, qua vivificatur tota ista
moles, vitae atque animae cunctorum viventium pro cuiusque nascendi
sorte sumantur.

*Aug. C. D. IV 11 p. 160, 4 sqq.: [Quodlibet igitur physicis 15a
rationibus et disputationibus adserant: modo sit] Iuppiter corporei
huius mundi animus, qui universam istam molem ex quattuor vel
[quot eis placet] elementis constructam atque compactam implet et
movet, [modo inde suas partes sorori et fratribus cedat].

*Ibid. p. 161, 26 sqq.: Omnes dii deaeque sit unus Iuppiter, 15b
sive sint, ut quidam volunt, omnia ista partes eius sive virtutes
eius, sicut eis videtur, quibus eum placet esse mundi animum, quae
sententia vel magnorum multumque doctorum est .... Unius animantis haec tota vita est, quae omnes continet deos quasi suas virtutes vel membra vel partes.

*Id. C. D. VII 13 p. 290, 21 sqq.: Ad Iovem ceteri referendi †15c
sunt... cum hic ipse sint omnes sive quando partes eius vel potestates existimantur, sive cum vis animae, quam putant per cuncta
diffusam, ex partibus molis huius, in quas visibilis mundus iste consurgit, et multiplici administratione naturae quasi plurium deorum
nomina accepit.

Comm. Bern. 3 post | sidonius *C* 3 theofē igneū aroenondinefondi apafe fuſſiaſ deuſ ē *C* 5 difisus *C*
Aug. 20 di *Ll* 27 ipsi *C*: ipse *AKF*

---

11 *Diels. Dox. p. 302*ᵇ *11*). *Haec Posidonius in libro XIII* περὶ θεῶν *docuit, vd.* Diog. Laert. VII 138.

14 *Vd. quaest. I p. 31 sq. Similia leguntur ap.* Arnob. III 35 *in. Cum fr. 13. 14 aptissime confertur* Verg. Aen. VI 724—731, ge. IV 219 sqq., *cf. quaest. III p. 111.*

15 *Vd. quaest. I p. 31 sq. Cf.* R. D. XVI *fr.* 14 sqq., Philod. π. εὐϲ. 11, 13. 15, 1 (p. 77. 82 *Gomp.*); Diog. Laert. VII 135; Ann. Corn. N. D. II *p. 7 sq. Os.* Cic. N. D. I 15, 39 sqq. — *Serv. gen. ge. I 5* (*e Cornelio Labeone? vd. quaest. IV p. 125*): Stoici dicunt non esse nisi unum deum et unam eandemque potestatem, quae pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur. *Id. Aen. IV 638*: Sciendum Stoicos dicere unum esse deum, cui nomina variantur pro actibus et officiis. *Qui loci fortasse ex Varrone profecti sunt. Cf.* Arnob. III 35 in.

16 Tert. ad nat. II 3 p. 98, 21 sqq.: Elementa ... caelum dico et terram et sidera et ignem deos ... credi proposuit Varro et qui Varroni indicaverunt animalia esse cae⟨lum⟩ et astra ... Et tamen unde animalia Varroni videntur elementa? Quoniam ⟨elementa mo⟩ventur ... Dicit eo animalia credita, quod per semet ipsa moverentur, nullo extrinsecus apparente motatore eorum aut incitatore, sicuti apparet qui rotam compellit et plaustra volvit et machinam temperat. Igitur nisi animalia, non mobilia per se.

17 *Aug. C. D. IV 11 p. 162, 10 sqq.: Dicunt omnia sidera partes Iovis esse et omnia vivere atque rationales animas habere et ideo sine controversia deos esse.

18 *Tert. ad nat. II 4 p. 100, 1 sqq.: Aiunt quidam propterea deos ⟨θεοὺς appella⟩tos, quod θέειν id est ἵεσθαι pro currere ac motari interpretatio est.

Tert. nat. 2 et qui] ut qui *Oehlerus*, atqui *Hauckius* 3 Varro *A*: Varroni *Wissowa et MKlussmannus* indicaverat *Goth Hauckius* 4 elementa moventur *Goth Wissowa Hartelius (l. l. p. 43 sq.): lac.* 7 uentur *A sec. lect. Reifferscheidii, lac. 12* uentur *A sec. lect. MKlussmanni*, per semet ipsa mouentur *MKlussmannus* 6 aut incitatore *Oehlerus*: ut initiatore *A*, et initiatore *Goth*, aut minatore *Rig* aut initiatore *fort.*

18 θεοὺς appellatos *Wissowa: lac. 7* tos *A*, . u *lac. 8* latos *Bal**, *lac. 10* atos *Goth* Hild**, fuisse appellatos *Goth* θέειν id est ἵεσθαι *Hartelius*: thin & siesta *A*, θέειν et ἐξίεσθαι *Goth*, θέειν et σείεσθαι *Rig* pro currere *Wissowa*: procurrere *A*

16 a) *Vd. quaest. II p. 72 sqq. Tert. exscripsit* Is. or. XIII 1, 2 *vd.* *Kettner Varr. Stud. p. 5. — De elementorum divinitate et mobilitate cf.* Alcmaeonem *ap.* Arist. de an. I 2 p. 405 a 30, Cic. N. D. I 11, 27, Aet. plac. IV 2, 2 *Diels.*; Zenonem *ap.* Cic. N. D. I 14, 36, Stob. ecl. I 1, 28 p. 303, 24 *Diels.*; Chrysippum *ap.* Cic. N. D. I 15, 39 (*cf.* Phil. π. εὐς. fr. 15), Stob. ecl. I 10, 16 p. 459 *Diels*, Ciceronem (*vel* Posidonium) N. D. II 5, 13; 15, 42; 21, 54, *vd. quaest.* III p. 87 sqq.; Ann. Corn. N. D. I p. 6 Os.; Plut. plac. I 6 p. 295 *Diels.* — Serv. gen. Aen. IV 524: Elementa etiam animalia esse voluerunt, *quae verba ad Varronem redire coniecit Kettnerus Varr. Stud. p. 5. Cf.* Arnob. III 35: Si mundus unum est animal et unius mentis agitatione motatur (vd. fr. 12[d]): nec in plura potest numina dissipari, nec.... luna sol tellus aether astra membra sunt et mundi partes; quodsi partes et membra sunt, animalia utique sui nominis non sunt.

17 *Vd. quaest. I p. 31 sq. Cf. fr. 16 cum adn.*; R. D. XVI fr. 3. 4; Cic. N. D. I 14, 36; Ann. Corn. N. D. I p. 6 Os. Ov. fast. III 111 sq.: Libera currebant et inobservata per annum Sidera; constabat sed tamen esse deos. Serv. gen. Aen. II 155: Secundum philosophos dicuntur sidera elementa esse, sed habere proprias potestates.

18 *Vd. quaest. II p. 75. Huius veriloquii auctor Plato est, vd.* Plat. Crat. 397[c] sq.: Φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, οὕσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον καὶ σελήνην καὶ γῆν καὶ ἄστρα καὶ οὐρανόν (cf. fr. 16)· ἅτε γοῦν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα καὶ δρόμῳ θέοντα ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θεῖν θεοὺς αὐτοὺς ἐπονομάσαι· ὕστερον δὲ κατανοοῦντες τοὺς ἄλλους πάντας ἤδη τούτῳ τῷ ὀνόματι προσαγορεύειν; *tale aliquid etiam Varro hoc loco docuit, quippe qui Platoni similis de consensu omnium dixerit.*

Tert. ad nat. II 5 p. 102, 12 sqq.: ⟦Quin ergo ad humaniorem aliquanto con⟨vertim⟩ur opinionem, quae de communi omnium sensu et simplici ⟨coniectura⟩ deducta videatur? Nam et⟧ Varro meminit eius, credi⟨tam praete⟩rea dicens elementorum divinitatem, quod nihil omnino ⟨sine suffra⟩gio illorum gigni ali provehi possit ad vitae humanae ⟨conservati⟩onem, quando ne ipsa quidem corpora aut animas sufficere licuisset sine elementorum temperamento, quo habitatio ista mundi circulorum condicionibus foederata praestatur, ⟨nisi quod hominum⟩ incolatui denegavit enormitas frigoris aut ca⟨loris, proptereaque⟩ deos credi solem, qui dies de suo cumulet, fruges calor⟨ibus expediat et⟩ annum stationibus servet: lunam, solacium noctium, patrocinium ⟨men⟩sum gubernaculis: item sidera signacula quaedam temporum ad rurationem notandorum: ipsum denique caelum, sub quo omnia, terram, super quam omnia, et quicquid illorum inter se ad commoda humana conspirat. — Nec tantum beneficiis fidem divinitatis elementis con⟨ve⟩nire, sed etiam de diversis, quae tamquam de ira et offensa eorum inc⟨idere⟩ soleant, ut fulmina, ut grandines, ut ardores, ut aurae pestilentes, item diluvia, item hiatus motusque terrarum, et iure credi deos q⟨uo⟩rum natura honoranda sit in secundis, metuenda sit in adversi⟨s⟩, domina scilicet iuvandi et nocendi. — Ib. p. 104, 10; 104, 17 sqq. Id. ad nat. II 6 p. 106, 2 sqq. 19

Tert. ad nat. II 3 p. 98, 17 sqq.: Quidam (*i. e.* Varro, *vd.* 20

---

2 convertimur *Goth*: con *lac 6* ur *A*, con *lac.* 5 mur *Goth**, conducimur *Hild* 3 coniectura *Goth: lac. 8 A, lac. 4* ura *Hild*, cognitione *Priorius* 4 creditam praeterea *Goth* 5 sine suffragio *Goth* 5 *sq.* vite humana *A* 6 conseruationem *Hartelius (cf. patr. Stud. II p. 48): lac. 9* onem *A*, et terrae sationem *Goth* 7 animas *Goth*: anima *A* 8 *sq.* nisi quod hominum *Goth: lac. 15 A*, nisi qu . d *lac. 5 Goth**, n *lac. 14 Bal* Hild**, sine quo hominum *Hartelius* 9 *sq.* caloris, proptereaque *Oehlerus*: ca *lac. 16 A*, caloris *lac. 9 Hild**, caloris aestivitas: ideo *Goth*, caloris itaque *Rig*, caloris zonas duas: ita *coni. Reifferscheidius* 10 dies *Wissowa*: diei *A* 11 caloribus expediat et *Goth*: calor *lac. 11 A*, caloribus. p *lac. 7 Goth**, caloribus *lac. 7 Bal*, Hild*, caloribus maturet *Oehlerus* 12 mensum *Goth* ⟨item stellas, quae curant⟩ gubernaculis *Hartelius* l. l. p. 48 13 rurationem *Merkelius*: mutationem *A* 14 terram *Rig*: in terra *A* 17 incidere *Rig*: inc *lac. 4 A*, inc *lac. 5 Goth**, incusari *Goth*

A Platone ad recentiores scriptores veriloquium transiit, velut ad Posidonium, quem Varro sequitur. Platonis nomen pro Apollodoro reponendum esse in Etym. Gud. p. 258, 57 s. v. θεούς *probavit Münzelius 'de Apollodori* περὶ θεῶν *libris' p. 18. Cf.* Plut. plac. I 6, Etym. Magn. s. v. θεός, Cram. an. ox. II p. 446, Macr. Sat. I 23, 3.

19 *Vd. quaest. II p. 75 sq. Zeller. l. l. p. 317, 3. Cf.* Cic. N. D. II 5, 13. 23, 60 (*vd. quaest. III p. 87 sqq.*), Plut. plac. I 6, 9 p. 295 *Diels*, Plut. Num. 8; Serv. gen. Aen. IV 178: Ideo 'ira deorum', quod in eam (sc. terram) fulmina et grandines de caelo cadunt; cf. ib. III 20. *De Sole et Luna vd.* Varr. L. L. V 68; R. R. I 1, 5; R. D. XVI fr. 38. 58.

20 *Vd. quaest. II p. 72 sqq. Cf.* fr. 7, 60, Phil. π. εὐc. fr. 12 *Diels.*

vers. 24) elementa deos volunt (= *fr. 16*)..., cum Stoici negent quicquam d⟨eo⟩ nasci... cum deum negent nasci... negata (sc. a Varrone) generatio dei et nativitas.

21 *Aug. C. D. IV 10 p. 157, 17 sqq.: Cur Iovi Iuno uxor adiungitur, quae dicatur soror et coniux? Quia Iovem, inquiunt, in aethere accipimus, in aere Iunonem et haec duo elementa coniuncta sunt, alterum superius alterum inferius... Quid est quod mare Neptuno tribuitur, terra Plutoni? Et ne ipsi quoque sine coniugibus remanerent, additur Neptuno Salacia, Plutoni Proserpina. Nam sicut inferiorem caeli partem, id est aerem, inquiunt, Iuno tenet, ita 10 inferiorem maris Salacia et terrae inferiorem Proserpina.* Id. C. D. VII 23 p. 302, 30 sqq.: Orci coniux Proserpina, quae secundum aliam (*vd. R. D. XVI fr. 51*) in eisdem libris (*sc. in Reb. Div.*) positam opinionem terrae pars inferior perhibetur. Id. C. D. VII 28 p. 311, 24 sqq.: Dis pater, qui Graece Πλούτων dicitur, etiam ipse 15 frater amborum (sc. Iovis et Neptuni) terrenus deus perhibetur (sc. a Varrone) superiorem terram tenens, in inferiore habens Proserpinam coniugem. Id. C. D. VII 22 p. 300, 34 sqq.: Cur autem illa Salacia per hanc interpretationem (*vd. R. D. XVI fr. 37*) inferiorem maris partem, qua viro erat subdita, ⟦perdidit?⟧ 20

22a Tert. ad nat. II 3 p. 97, 18 sqq.: Videmus physicum istud ad hoc subornatum, ut deos elementa ⟨cont⟩endat, cum... etiam alios ⟦deos natos⟧ alleget.

22b *Id. ad nat. II 13 p. 121, 6 sqq.: ⟦Quos a primordio possunt non ⟨asserere nisi homines fuisse, recipiunt in⟩ divinitatem, 25

---

2 deo *Goth*

Aug. 5 inquit *C* 6 aethere *ex* aere *corr. C* aere *ex* aethere *corr. C* 11 inferiorem *post* terrae *man. rec. sup. lin. C* 12 coniunx *C* quae *om C*[1] 16 di^T^is *C* pluton *Cl* 19 inferiorem *C*[1] *l*

Tert. nat. 21 hysicum *A* 22 contendat *Goth*: *lac. 4* endat *A*, *lac. 3* tendat *Bal**, *Hild** 24 *sq.* non possunt *Goth* asserere — in *Oehlerus:*

---

21 *Vd. quaest. I p. 30 sq.* Cf. Cic. N. D. II 26, 66: Aer ut Stoici disputant interiectus inter mare et caelum, Iunonis nomine consecratur, quae est soror et coniux Iovis, quod ei similitudo est aetheris et cum eo summa coniunctio. *Quem propter locum ne illud quidem 'soror et coniux' Varroni abiudicaverim, quamquam Augustinus etiam de* Verg. Aen. I 47 *cogitavisse potest.* Serv. gen. Aen. I 47: Physici Iovem aetherem, id est ignem, volunt, Iunonem vero aërem; et quoniam tenuitate elementa paria sunt, dixerunt esse germana. Sed quoniam Iuno, hoc est aer, subiectus est igni, id est Iovi: inde superposito elemento mariti traditum nomen est. Serv. ge. II 325: Interdum pro aere Iuno et pro aethere Iuppiter ponitur. Macr. somn. Scip. I 17, 15: Iuno soror eius et coniux vocatur. Est autem Iuno aer et dicitur soror, quia isdem seminibus, quibus caelum, etiam aer procreatus est, coniux quia aer subiectus est caelo. — Gellius N. A. XIII 23, 1: In libris sacerdotum populi Romani scriptum est: Salaciam Neptuni. Varro L. L. V 72: Salacia Neptuni.

22 a—c *Vd. quaest. II p. 72 sqq. Cf.* Hartel patr. Stud. III p. 40 sq. —

affirmando illos post mortem d⟨eos factos, ut Varro⟩ et qui cum eo somniaverunt.

*Id. ad nat. II 14 p. 125, 3 sqq.: Volunt ... distingui inter nativos et factos (sc. deos) secundum Dion⟨y⟩s⟨i⟩u⟨m Stoi⟩cum. 22c

5 *Sen. ap. Aug. C. D. VI 10 p. 267, 21 sq.: ⟦Credam ego⟧ caelum et terram deos esse et supra lunam alios, infra alios? 22d

Serv. interpol. Aen. VIII 275: Varro dicit deos alios esse, qui ab initio certi et sempiterni sunt, alios qui immortales ex hominibus facti sunt: et de his ipsis alios esse privatos, alios communes; 10 privatos, quos unaquaeque gens colit, ut nos Faunum, Thebani Amphiaraum, Lacedaemonii Tyndareum, communes, quos universi, ut Castorem Pollucem Liberum Herculem. 22e

*Tert. ad nat. II 7 p. 106, 7 sqq.: ⟦Nescio ... an tanti de documentis divinitatis confi⟨rmentur⟩ ut⟧ Mopsus Africanus et Boeotus 15 Amphiaraus ... ⟦Interim hos certe homines fuisse vel eo palam est, quod non constanter⟧ deos illos, sed heroas appellatis. 23

---

undeviginti fere litterae desunt in A, asserere *lac. 13 Goth**, *lacunam duodeviginti litterarum statuit Rig*, asserere sacros et in illam *Goth* 1 affirmant *Goth* deos factos ut Varro *Goth*: de *lac. 14* ro *Bal* Hild** 4 *sq.* Dionysium Stoicum *Goth*: dionys *lac. 5* cum *Goth**

Serv. int. 8 qui *ante* ab *om. F* ex hominibus immortales *T* 9 et de his ipsis *F*: et deis ipsi *G*, ex his *T* 9 *sq.* alios esse privatos alios communes privatos *T*: alios communes privatos privatos *F* alios communes privatas *G* 10 quas *G* colit *T*: colitur *F*, calitur *G* 10 *sq.* ut nos — Tyndareum *om. T* thebani amfiaracum *F*: thebafiaracum *G* lacedaemonia *F* indaren *F* 11 quos *T*: quas *F* universi ut] uniusic̄ *G* 12 castorem *T*: pastorem *F*, partorem *G* et pollucem *T*: pollicem *F* liberum et herculem *T*

Tert. nat. 14 confirmentur *Oehlerus*: confi *lac. 7 A*, conf. *lac. 10 Goth**, confidentes sint *Goth* Mopsus *Goth*: mox *A* Africanus *Goth*: africanos *A* 14 *sq.* Boeotus Amphiaraus *Goth*: boetus ampharaus *A*

Dionysii bifaria distinctio ab illa trifaria fr. 12 non abhorret. d *Vd. quaest. I p. 35; supra lunam dii caelestes, infra heroes habitant, vd. R. D. XVI fr. 3.* e *Vd. quaest. II p. 73 quaest. V p. 126 sqq. — Eosdem deorum ordines docet* Chrysippus ap. Phil. π. εὐς. fr. 13 *Diels.*, Cic. N. D. I 15, 39; *similes leguntur ap.* Cic. de leg. II 8, 19: *De diis ex hominibus factis cf.* Plut. plac. I 6 *p.* 296 *Diels.*; Cic. N. D. II 24, 62; de rep. II 2, 4. *Ut Cicero* N. D. II 24, 62 *ita etiam Varro hunc Liberum Semela natum ab antiquissimo illo Romanorum deo distinxit, vd.* R. D. XIV *fr. 7* XVI *fr. 41.* Cf. Serv. gen. Aen. XII 118: Alii communes deos volunt Solem Lunam Plutonem Martem: hi enim apud omnes homines inveniuntur et sunt in omnibus terris. Id. Aen. X 18: Et legimus Herculem vel Liberum patrem non semper deos fuisse. — Serv. gen. V 45: Varro et Ateius contra sentiunt dicentes 'divos' perpetuos, 'deos' qui propter sui consecrationem timentur. *Quae ad libros L. L. redire coniciendum est; cf. enim* Serv. interp. Aen. XII 139: Varro ad Ciceronem tertio: Ita respondeant, cur dicant 'deos', cum omnes antiqui dixerint 'divos'.

23 *Vd. quaest. II p. 72 adn. E vi divinandi Stoici divinitatis argumentum ducebant, cf.* Cic. N. D. II 3, 7, *ubi item Mopsus et Amphiaraus enumerantur. De Amphiarao vd.* Cic. N. D. III 19, 49.

24 Aug. C. D. III 4 p. 101, 7 sqq.: Varro ... utile esse civitatibus dicit, ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, diis genitos esse credant, ut eo modo animus humanus velut divinae stirpis fiduciam gerens res magnas adgrediendas praesumat audacius, agat vehementius et ob hoc impleat ipsa securitate felicius. ⟦Quae Varronis sententia expressa, ut potui, meis verbis . . . .⟧

25a *Comm. Bern. Luc. IX 6: Stoici virorum fortium animas existimant in modum siderum vagari in aere et esse sic immortales, ut non moriantur, sed resolvantur, secundum Platonem ⟨ne⟩ resolvantur quidem.

25b *Id. Luc. IX 9: Pythagoras dixit animas in stellas converti virorum fortium.

25c *Serv. gen. Aen. VI 713: Sciendum non omnes animas ad corpora reverti: aliquae enim propter vitae merita non redeunt.

26 Serv. gen. Aen. VI 703: ... de Platonis dogmate, quod in Phaedone positum est περὶ ψυχῆς. De qua re etiam Varro in primo divinarum plenissime tractavit.

27 Serv. gen. Aen. VI 733: Varro ⟦et omnes philosophi dicunt quattuor esse passiones, duas a bonis opinatis et duas a malis opinatis rebus: nam dolere et timere duae opiniones malae sunt, una praesentis alia futuri, item gaudere et cupere opiniones bonae, una praesentis altera futuri. Haec ergo nascuntur ex ipsa coniunctione, nam neque animi sunt neque corporis propria, pereunt enim facta segregatione.⟧ Id. Aen. II 499.

28 Boethius de diis et praesens. (in Cic. ed. Or. V 1 p. 392, 2 sqq.): ⟦Videtur quibusdam haec sententia, qua ait Cicero (Top. 20, 76) 'deorum virtus natura excellit, hominum autem industria', ex libris M. Varronis, hominis acutissimi, de humanis et divinis rebus, ubi de theologiae divisione agitur, succincte per transitum mutata.⟧

Comm. Bern. 7 estime*t *corr. C, D*[1]: estiment *pr. C* 9 *sq.* [secundum Platonem resolvan]tur *in ras C man. 2* 11 pitagoras *C*
Serv. gen. 16 phedone *AR*: fedone *HMC*, foedone *T* ΠΕΡΙ ΨΥΧΗϹ *S*: ΠЄΡΥ ΨΥΧΗϹ *R*, ΠΡΙΥΥΧΗϹ *H*, ΠЄΡΥΥΧΗϹ *M*, peri psices *FC* 17 plenissimo *C* 19 *sq.* et duas a malis opinatis *om. C* 20 dolore *RHFC* duo *H* 21 alia] altera *M* 21 *sq.* item — futuri *om. HF* opiniones — futuri] duae sunt opiniones bonae una praesentis temporis et altera futuri *M* 23 sunt animi *C*

---

24 *Cf. fr. 7. 10*[b]. *Varro hoc loco in universum de hominibus fortibus agit, non de Aenea et Romulo, id quod ex Augustini verbis quae ante leguntur false collegit Franckenius Fragm. Varr. in libris Augustini de civ. dei Leid. 1836 p. 1.*
25 *Vd. quaest. III p. 111 sq. Cf.* Verg. ge. IV 225 *sqq.*
26 *Vd. quaest. III p. 110 sq.* Plat. Phaed. *p.* 76 *sqq.* Rep. X *p.* 617[d] *sqq. Cf.* Verg. Aen. VI 733 *sqq.*
27 *Vd. quaest. III p. 112. E Servio pendet* Donat. Ter. Andr. V 4, 34. *Cf.* Verg. Aen. l. l.
28. 29 *Vd. quaest. I p. 20. De Platone vd.* de rep. II 18. 19,

Aug. C. D. VI 9 p. 263, 21 sqq.: Cum religiosum a superstitioso ea distinctione discernat (*sc.* Varro), ut a superstitioso dicat timeri deos, a religioso autem tantum vereri ut parentes, non ut hostes timeri, atque omnes ita bonos dicat, ut facilius sit eos nocen-
5 tibus parcere, quam laedere quemquam innocentem . . . 29a

Id. C. D. IV 18 p. 167, 10 sqq.: Omnes deos . . . non nisi bonos existimare debemus. Hoc Plato dicit, hoc alii philosophi, hoc excellentes rei publicae populorumque rectores. 29b

Arnob. adv. nat. VII 1: [[Quid ergo, dixerit quispiam, sacrificia
10 nulla esse omnino facienda? Ut vobis non nostra sed Varronis vestri sententia respondeamus. Nulla. Quid ita?]] 'Quia', inquit, 'dii veri neque desiderant ea neque deposcunt, ex aere autem facti, testa gypso vel marmore multo minus haec curant: carent enim sensu; neque ulla contrahitur, si ea non feceris, culpa, neque ulla, si feceris,
15 gratia'. †30

Aug. C. D. VI 5 p. 254, 13 sqq.: [[Intueamur sane et]] civilem theologian. 'Tertium genus est', inquit (sc. Varro), 'quod in urbibus cives, maxime sacerdotes nosse atque administrare debent. In quo est, quos deos publice colere et ⟨quae⟩ sacra ac sacrificia facere 31

Aug. 3 timere *l* tanto *C*
Aug. 17 orbibus C^1 19 *sq.* publice sacra ac (*non* et) sacrificia colere et facere *l*; *item C verbis* et facere *man. 1 (non 2) sup. lin. add.*;

Stob. ecl. I 1 (= Plut. plac. I 7, 31 = Aet. plac. *p.* 304 *Diels.*). *Hoc idem secundum Antiochum Academicum docet* Varro *in* libro de philos. *ap.* Aug. C. D. XIX 3 p. 355, 7 sqq. 24 sq., *atque eadem Stoicorum doctrina multis locis extat, velut ap.* Ar. Did. ep. fr. 29 *Diels* (= Eus. p. e. XV 15, 5), Sen. ep. mor. XV 3 (ep. 95, 49), de ira II 27, 1 al. (*Vd. Zeller. l. l. p. 313, 1*). *Cf. etiam* Cic. off. III 28, 102: Hoc quidem commune est omnium philosophorum ... nunquam nec irasci deum nec nocere. — *De religiositate et superstitione cf.* Cic. N. D. II 28, 71 sq. Serv. gen. Aen. VI 596: Religiosi sunt, qui per reverentiam timent. Id. Aen. VIII 187: Superstitio est timor superfluus atque delirus. — *Cum hac de deorum benignitate sententia non pugnat, quod Varro supra fr. 19 s. fin. docet* 'fidem divinitatis elementis convenire de diversis, quae tamquam de ira incidere soleant eqs.' *cf. Zeller. l. l. p. 173 sqq.*

30 *Hoc fragmentum in R. D. libro I posuit Merkelius Ov. fast. prol. p. CVIII, quod fieri posse abrupte negat Krahnerus Cur. p. 11. Sed cum Stoici diis propter virtutem sacrificia non facienda esse docerent, hoc fragm. aptissime cum* fr. 29 *coniungitur. Neque eo, quod Varro a 'civitatis institutione' dissentit, haec huc referre prohibemur, quia ille a populi sententiis se abhorrere saepius in his ipsis libris testatur, vd. fr. 10 a b, 24, 55. — False Schmekelius (mittl. Stoa p. 124) Varroni tribuit hunc locum* Arn. VII 2: Ex vobis audire consuevimus deos esse quam plurimos et numinum in serie computari: qui si sunt, ut dicitis, uspiam verique, ut Terentius credit, eqs. — ex materiae opibus voluptates. *Omnino enim haec verba Arnobii sunt propria, nisi quod cum scribit* 'veri, ut Terentius credit' *breviter ad ea adludit, quae modo in priore capite e Varrone rettulerat.*

31 *Vd. quaest. I p. 16. Aug. exscripsit* Boeth. l. l. p. 392, 33 sqq. *Cf.* Plut. plac. I 6, 9 (= Aet. plac. *p.* 295 *Diels.*) Fest. *p.* 245, 28 sqq. *De sacris publicis vd. Marquardt-Wissowa l. l. p. 145 sqq.*

quemque par sit'. Tert. ad nat. II 8 in.: Superest ⟦gentile⟧ illud genus inter populos deorum.

†32 Non. p. 510, 2 sqq.: Varro Rerum divinarum: Etenim ut deos colere debet communitus civitas, sic singulae familiae debemus.

33 a *Tert. ad nat. II 9 p. 111, 10 sqq.: Bifariam Romanorum deos recognosci⟨mus⟩ communes et proprios . . . publici et adventicii . . . arae adventiciorum ad fanum Carnae, publicorum in Pa⟨latio⟩ . . . tertium illud genus hostilium deorum.

33 b *Aug. C. D. II 14 p. 70, 27 sq.: Quae Romani numina partim peregrina receperunt, partim sua propria sacraverunt.

33 c *Id. C. D. III 12 p. 110, 6: indigenas et alienigenas.

33 d *Id. ep. ad Max. Mad. (Class. II 17, Migne Patr. 33 p. 84): Cetera huiuscemodi innumerabilia (sc. numina), quibus Romani antiqui . . . templa fecerunt et colenda censuerunt, ⟦quae si negligis, Romanos deos negligis⟧.

33 e *Min. Oct. 25, 7: ⟦Romanorum vernaculos deos novimus⟧.

33 f *Lact. I. D. I 20, 1: ⟦Venio nunc ad proprios Romanorum deos, quoniam de communibus dixi⟧.

33 g *Tert. ad nat. II 12 p. 116, 10 sqq.: ⟦Quot et quos deos utique producam? . . . ⟨Vet⟩eres an et novicios . . . cives an et pe⟨regrinos?⟩⟧. *Id. ap. 10 p. 154, 14 sqq.: ⟦Nunc ergo per singulos decurram⟧ . . . novos veteres . . . Romanos peregrinos, captivos adoptivos, proprios communes . . .

34 Non. p. 197, 14 sq.: Varro Rerum divinarum lib. I: Nostro ritu sunt facienda civi libentius quam Graeco castu.

35 Non. p. 197, 16 sq.: Idem (sc. Varro): Et religiones et castus id possunt, ut ex periculo ⟨nos⟩ eripiant nostro.

---

publice, quae sacra et sacrificia colere quemque *edd. vett. et Par. Duebn.* publice sacro et sacrificio colere quemque *coni. Dombartus*

Non. 3 divinarum *add.* H[2]   3 *sq.* ut enim deos *L*[1]   4 colere *Iun*: coleret *codd.* communitus *H, Bamb*: commonitus *L*[2]

Tert. nat. 7 carne *A*   Palatio *Goth*

Tert. nat. 20 veteres *Goth*   20 *sq.* peregrinos *Goth*

Non. 25 civi libentius quam *Muell*: quam sciuilibus *L*: quam his civilibus *HG*   26 castitu *codd.*: castu *corr. edd.*   27 nos add. Scal: *non* nos *adiciendum*, *sed* nostro, *ut ex prioribus irreptum eiciendum censet Muell*

---

32 *Hoc fragm. Merkelius in R. D. XII posuit. Cf.* Cic. de leg. II 8, 19. Fest. *p.* 245 *s. v.* privata sacra. *Vd. Marqu.-Wiss. p. 120 sqq. 129 sqq.*

33 a *Vd. quaest. II p. 77 sq.; cf. Wissowa, de dis Rom. ind. et novens. (Ind. lect. Marpurg.) p. 8; Merkel. Ov. fast. praef. p. CXCV. De Carnae fano in Caelio monte sito vd.* Macr. Sat. I 12, 31. *De dis hostilibus i. e. evocatis cf. Marquardt-Wissowa l. l. p. 21.* b—f *Vd. quaest. II p. 68 sqq.* g *Vd. quaest. II p. 71. Cf.* Arnob. IV 4: Romani possident deos peculiares, qui aliarum gentium non sunt. Fest. p. 237 *s. v.* peregrina sacra.

34 *Vd. quaest. II p. 70.*

35 *Vd. quaest. II p. 69.*

*Tert. ap. 25 in. p. 220, 12 sqq.: Dicunt Romanos pro merito religiositatis diligentissimae in tantum sublimitatis elatos, ut orbem occuparint et adeo deos esse, ut praeter ceteros floreant, qui illis officium praeter ceteros faciant. *Id. ad nat. II 17 p. 130, 3 sqq. *Aug. C. D. III 11 p. 109, 8 sq.: Numa Pompilius cum cogitaret, quibusnam diis tuendam Romanam salutem regnumque committeret... *III 12 p. 110, 10. *Min. Oct. 25, 1: Ista ipsa [[superstitio]] Romanis dedit auxit fundavit imperium, cum non tam virtute quam religione et pietate pollerent. 36

*Tert. ap. 25 p. 223, 11 sqq.: Etsi a Numa concepta est [[curiositas superstitiosa]], nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat. Frugi religio et pauperes ritus et nulla Capitolia certantia ad caelum, sed temeraria de cespite altaria et vasa adhuc Samia et nidor ex illis et deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Graecorum atque Tuscorum fingendis simulacris urbem inundaverant. *Id. ad nat. II 17 p. 132, 8—12; *ap. 21 p. 205, 6; *de idol. 3 in.; *de praescr. haer. 40 *Aug. C. D. III 12 p. 109, 20 sqq.: Nec his sacris Roma dignata est esse contenta, quae tam multa illic Pompilius constituerat. Nam ipsius summum templum nondum habebat Iovis. *Id. C. D. II 16 p. 72, 9 sq. 37

Non. p. 156, 7 sq.: Varro Rerum divinarum lib. I: Quae puritia est infrequens polluta. 38

Aug. C. D. IV 23 p. 173, 18 sqq.: Romulus constituit Romanis 39a

---

Tert. ap. 2 diligentissimae *om. D*: diligentissime *Fuld* elatos et inpositos ut *Fuld* 3 et ideo deos ut *F*
Min. 8 ausit *P*
Tert. ap. 10 Numa popilio *Fuld* 12 fruge *G*: fruges *F Vind* 13 temporaria *Fuld* bexilis *F Fuld* 16 invaderant *D*: nudaverant *G*
Non. 22 pueritia *codd*: puritia *corr. edd.*, quae in puritia est frequens polluta *Muell*

---

36 *Vd. quaest. II p. 68 sqq.* Cic. N. D. III 2, 5: Mihi ita persuasi... Numam sacris constitutis fundamenta recisse nostrae civitatis, quae nunquam profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset. *Ex his verbis Augustino simillimis apparet, quam arte hoc cum sequenti fragmento 37 cohaereat. Cf.* Cic. N. D. III 2, 5; II 3, 8; de har. resp. 9; Val. Max. I 1, 8; Polyb. VI 56; Dion. Hal. A. R. I 4. *Krahner. Cur. p. 16 sqq. Preller-Iordan R. M. I*[3] *p. 24 sq.*

37 *Vd. quaest. II p. 68 sqq. Cf.* R. D. I fr. 59, Varr. de vita P. R. fr. 14. 15 *Kettner.* (= Non. p. 494, 7; 162, 17). Cic. N. D. III 2, 5 (*vd. fr. 36 adn.*), de rep. II 14, 27; Dion. Hal. A. R. II 62 ex. 63; Plut. Num. 8; Clem. Al. Str. I 15, 71 (*secundum* Plut.). *Quae scribit* Arn. II 12: Romam, in qua homines sint Numae regis artibus atque antiquis superstitionibus occupati..., VII 20: Religionibus artifex in comminiscendis Numa *e certo fonte arcessere vix opus habebat, nisi haec per Labeonem a Varrone traducta esse credere mavis.* Comm. Bern. Luc. VII 396: Numa Pompilius multorum fuit auctor sacrorum, qui hoc instituit, ut apud vicina urbis loca sacrificia fierent, *quae cui tribuenda sint, nescio.*

38 *Vd. quaest. II p. 70.*

46 Arnob. III 23 p. 127, 12 sq.: Salutaria et fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus, *quae fortasse ad hunc Varronis locum redeunt.* — *Cf.* Varr. L. L. VI 20: Consualia dicta a Conso, quod tum feriae publicae ei deo, et in circo ad aram eius ab sacerdotibus ludi illi, quibus virgines Sabinae raptae. Tert. de spect. 5 (= Suet. rell. fr. 185** *Reiff.*): Quamquam et Consualia Romulo defendunt (cf. R. D. I fr. 39[b]), quod ea Conso dicaverit, deo ut volunt consilii, eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitavit. Et nunc ara Conso illi in circo defossa est ad primas metas sub terra cum inscriptione eiusmodi: CONSVS CONSILIO MARS DVELLO LARES COILLO POTENTES. (*E Tert. pendet* Cypr. spect. 4 [2], idol. 4, Hieron. vit. Hil. 20.). Paul. ex Fest. p. 41, 15 sq.: Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant, quem deum consilii putabant. Serv. gen. Aen. VIII 636: Raptae autem sunt Sabinae Consualibus, hoc est mense Martio. Consus autem deus est consiliorum, qui ideo templum sub circo habet, ut ostendatur tectum esse debere consilium . . . Ideo autem dicato Consi simulacro rapuerunt Sabinas, ut tegeretur initum de rapto consilium. Plut. Rom. 14: Ὠνόμαζον δὲ τὸν θεὸν Κῶνσον, εἴτε βουλαῖον ὄντα, κωνσίλιον γὰρ ἔτι νῦν τὸ συμβούλιον καλοῦσιν . . . οἱ δὲ καὶ ὅλως φασὶν τοῦ βουλεύματος ἀπορρήτου καὶ ἀφανοῦς ὄντος ὑπόγειον οὐκ ἀλόγως τῷ θεῷ βωμὸν γενέσθαι κεκρυμμένον. *(Verba, quae omisimus, ad Neptunum equestrem pertinent). Vix dubium est, quin hi loci ad Varronem redeant, etsi non ad hunc R. D. XIV librum, sed, mea quidem sententia, ad librum IX de ludis circensibus. Sed Varronem iam docuisse Consum esse Neptunum equestrem (vd.* Dion. Hal. A. R. I 33; II 31; Plut. Q. R. 48; Rom. 14; Serv. gen. Aen. VIII 635 sq., *quem exscripsit* myth. Vat. I 191; Ps.-Asc. in Verr. act. I 10, 31 [Cic. ed. Or. V 2 p. 142, 22 sqq.] al.) *Samterus mihi non persuasit (quaest. Varr. p. 52 sq.); hoc quidem e* Tert. spect. 5 *certe non sequitur, ubi Suetonius sententiam illam e Varrone mutuatam expresse huic alteri opponit:* 'Ludi Consualia dicti, qui initio Neptunum honorabant; eundem enim et Consum vocant. Dehinc Ecurria ab equis Marti Romulus dixit' *ita pergens*: 'Quamquam et Consualia Romulo defendunt eqs. *Consum autem* Varro R. D. I fr. 39[b] *inter Romuli deos enumerat. — De Conso vd. Wissow. in Rosch. Myth. Lex. s. v.,* Mommsen. *C. I. L. I ad a. d. XII kal. Sept. Röm. Forsch. II 42 sqq., Preller. R. M. II^{3} 23 sqq.*

Aug. C. D. IV 11 p. 161, 15 sq.: Dea Iuventas, quae post 48a praetextam excipiat iuvenalis aetatis exordia. Id. C. D. VI 1 p. 245, 33 sq.: [Si eorum, qui colerent deam Iuventatem, aetas ipsa floreret insignius].

Tert. ad nat. II 11 p. 116, 1: ⟨Iu⟩venta novorum togatorum. 48b

Aug. C. D. IV 11 p. 161, 16 sq.: Fortuna barbata, quae adultos barba induat. Id. C. D. VI 1 p. 246, 2 sq.: [Si malas cultorum suorum speciosius et festivius Fortuna barbata vestiret ...]. Tert. ad nat. II 11 p. 116, 1 sq.: Virorum iam Fortuna barbata. 49

Aug. C. D. IV 21 p. 171, 12: Diis nuptialibus, ut bene coniugarentur. Id. C. D. IV 34 p. 189, 10: [Sine] diis coniugalibus coniugati. Tert. ad nat. II 11 p. 116, 2: [⟨Si de⟩ nuptialibus disseram]. 50

Tert. ad nat. II 11 p, 116, 2: Afferenda est ab afferendis 51 15 dotibus.

Aug. C. D. VI 9 p. 264, 11 sq.: Cum mas et femina coniunguntur, adhibetur deus Iugatinus. Id. C. D. IV 11 p. 161, 21: [In Iugatino deo] coniuges iungat. 52

Aug. C. D. VI 11 p. 264, 12 sqq.: Domum est ducenda, quae 53 20 nubit: adhibetur et deus Domiducus; ut in domo sit: adhibetur deus Domitius; ut maneat cum viro: additur dea Manturna.

Aug. C. D. VI 9 p. 264, 17 sqq.: [Quid impletur cubiculum 54 turba numinum, quando et paranymphi inde discedunt . . ?] Adest enim dea Virginiensis. Ib. v. 32 sq.: Si adest Virginiensis 25 dea, ut virgini zona solvatur. Id. C. D. IV 11 p. 161, 21 sqq.: Cum virgini uxori zona solvitur, invocetur dea Virginiensis.

Aug. C. D. VI 9 p. 264, 22: Adest . . . et deus pater Subi- 55 gus. Ib. p. 33 sq.: Si adest deus Subigus, ut viro subigatur. Tert. ad nat. II 11 p. 116, 4: Et Subigus.

Aug. 1 iuuenta *A*
Tert. nat. 5 Iuventa *Oehlerus*: .. entam *A*, Iuventinam *Goth* 9 virorum *Goth*: uiuorum *A*
Aug. 10 dis *L*[1]
Tert. nat. 15 dotibus *Goth*: totibus *A*
Aug. 16 masculus *AK*[2]*F* 19 domum si, si *in fine versus man. 2, l* 20 domiducus, *priore* u *in* i *ras. mut., C* 21 domicius *l* 24 (*bis*) uirginiensis *Cl*: uirginensis *A* 26 uirginiensis *C*: uirginensis *LlA*

---

48 *Iuventam deam iuvenibus praesidentem praebent:* Suetonius Verb. diff. 274, 10 sqq. *Reiff.*, Serv. interp. Aen. IV 32, Gloss. ex cod. Vat. 1469 (C. Gl. V p. 522, 41); *Iuventatem*: Serv. gen. Aen. I 590, Plac. libr. Rom. (C. Gl. IV p. 28, 10); *Iuventutem*: Paul. p. 104, 10. *Varro, si modo Tertulliano credendum est, hic et Iuventatem et Iuventam exhibuit. Cf. R. D. I fr. 45.*

52 *Alium Iugatinum inter agrestes deos invenies in fr. 68.*

53 *De Domiduca, puerorum dea, vd. fr. 28. Aliae deae virgines sponsas in nuptiis adiuvantes extant apud* Arnob. III 25: Unxia, Cinxia, Victa, Potua, *de quibus dixi quaest. IV p. 123.*

54 *De paranymphis cf.* Aug. C. D. XIV 18.

56 Aug. C. D. VI 9 p. 264, 23: Adest ... et dea mater **Prema**. Ib. p. 265, 1 sq.: Si adest dea Prema, ut subacta, ne se commoveat, conprimatur. Tert. ad nat. II 11 p. 116, 4: Et **Prema** mater.

57 Aug. C. D. VI 9 p. 264, 23: Adest ... et dea **Pertunda**. Ib. p. 265, 2 sq.: Dea Pertunda ⟦ibi quid facit? Erubescat, eat foras: agat aliquid et maritus⟧. Tert. ad nat. II 11 p. 116, 4: Et dea **Pertunda**.

58 Aug. C. D. VI 9 p. 264, 24: Adest ... et **Venus**. Ib. p. 264, 27 sqq.: Venus ad hoc etiam dicitur nuncupata, quod sine vi femina virgo esse non desinat. 10

59 Aug. C. D. IV 11 p. 161, 23: **Mutunus** vel **Tutunus**, qui est apud Graecos Priapus. Tert. ad nat. II 11 p. 116, 3: Et Mutunus et Tutunus. Aug. C. D. VI 9 p. 265, 9 sqq.: Ibi (sc. in cubiculo) est et Priapus ..., super cuius ⟦immanissimum⟧ ... fascinum sedere nova 15 nupta iubebatur more honestissimo et religiosissimo matronarum. Id. C. D. VII 24 p. 306, 6 sq.: In celebratione nuptiarum super Priapi scapum nova nupta sedere iubebatur. Id. C. D. IV 34 p. 189, 10. Cf. De cons. ev. I 25, 38. *Lact. I. D. I 20, 36: Tutinus, in cuius sinu pudendo nubentes praesident, ut illarum pudi- 20 citiam prior deus delibasse videatur.

60 Non. p. 480, 1 sqq.: Varro antiquitatum rerum divinarum lib. XIIII: Biviris nuptis sacrificabantur in cubiculo viduae.

---

1 praema *C* 2 aut subacta nec[se] *l*

Tert. nat. 3 *sq.* Prema mater *Wissowa*: praemat *A*, Prema *Goth* 7 et dea Pertunda *Rig*: &deuertundę *A*, et Devertunda *Goth*

Aug. 10 ad hoc *Cl*: ob hoc *Dombartus* sine ui] *post* sine *in marg. man. 2 add.* eius, *C*: sine eius vi *ed. Par. Duebn.* 18 priapi///caput, us *eras.*, *l*

Lact. 19 Tutinus *C; an* Tutunus *? (sic interrogat S Brandt)* 20 *supra* pudendo *add.* t pendendo *man. post. P* pudicicia *S* 21 delinasse *B*[1], *corr. B*[3], deli asse *R*

Non 23 biviris *Popma*: viris *L*, viri *rell.*, viri nuptiis *Merkel* in *om. H*[1]

---

56 Cf. inscr. Or.-Henz. 6110: Prema Mutino (*vd. fr.* 59) Arimn.

57 Cf. Arnob. IV 7 p. 146, 20 sqq.: Etiamne Perfica una est e populo numinum, quae obscenas illas et luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffensa procedere? Etiamne Pertunda, quae in cubiculis praesto est virginalem scrobem effodientibus maritis? *Vd. quaest. IV p. 123.*

58 *Cf. Varr. R. D. XVI fr. 63;* L. L. V 61: ... et horum vinctionis vis Venus.

59 *De Lactantio vd. quaest. II p. 68.* 'Tutinus' *Varro non scripsisse videtur, cum et Aug. et Tert.* '*Tutunus*' *praebeant. Priapum inter Romuli deos invenies in R. D. I fr. 39.* *Arnob. IV 7: Etiamne Tutunus, cuius immanibus pudendis horrentique fascino vestras inequitare matronas et auspicabile ducitis et optatis? *Vd. quaest. IV p. 123.*

Aug. C. D. VI 9 p. 263, 26 sqq.: Mulieri fetae post partum tres 61 deos custodes commemorat (sc. Varro) adhiberi, ne Silvanus deus per noctem ingrediatur et vexet; eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circuire limina domus et primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis, ut his datis culturae signis deus Silvanus prohibeatur intrare, quod neque arbores caeduntur ac putantur sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coacervantur sine scopis; ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos Intercidonam a securis intercisione, Pilumnum a pilo, Deverram a scopis, quibus diis custodibus contra vim dei Silvani feta conservaretur.

*Aug. C. D. IV 21 p. 171, 33: Propter aegros medicus vel 62 Apollo vel Aesculapius.

Tert. ad nat. II 15 p. 127, 17 sqq.: Et tristitiae deos arbitros 63 esse voltis, ⟨ut sit Vi⟩duus, qui animam corpore viduet, quem intra muros cludi n⟨on admit⟩tendo damnastis, item Caeculus, qui oculos sensu exanim⟨et, item Or⟩bana, quae in orbitatem semina extinguat.

Tert. ad nat. II 15 p. 127, 21 sq.: Et ipsius mortis d⟨ea est⟩. 64

Aug. 1 faetae Cl^{2}: fatae l^{1} 4 circuire *codd.*: circumire *ed. Par. Duebn.* 10 deuerram *Cl*: deuerrum *A* a*C*: ab *lKF* 12 medicos *C* 13 aescolapius *C*

Tert. nat. 15 ut sit Viduus *Oehlerus: lac. 7 litt.* dius *A*, est et Viduus *Goth* 16 non admittendo *Goth*: no *lac. 5 litt.* tendo *Goth**, non permittendo *Rig* 18 exanimet, item Orbana *Hild*: exani *lac. 6 litt.* bana *Goth**, exanim *lac. 4 litt.* bana *Bal**, exanime *lac. 7 litt.* bana *Hild**, exanimet et Orbana *Goth* semina *A*: lumina *Prellerus R. M. II^{3} p. 219, 3* 19 mortis *Goth*: mortes *A* dea est *Oehlerus*

---

61 *Hoc fragmentum ideo hic posui, quod* Varro *in libro* de vit. P. R. II *fr. 18 Kettn.* (*ap.* Non. p. 528, 11 *sqq.*) *Picumnum et Pilumnum coniugales deos nominat; ad eundem* de vit. P. R. *locum redeunt* Serv. gen. Aen. IX 4, Serv. interp. Aen. X 76, *nisi quod interpolator Varronis verbis perturbatis 'infantium deos' ad 'puerperam' refert. — Cf. R. D. XV fr. 14 adn.*

62 *Vd. quaest. I p 21. Cf. R. D. XVI fr. 32.*

63 *Caeculum in deos ad mortem pertinentes recte refert Preller II^{2} p. 219, deum caecorum fingit Marqu. l. l. p. 15. Ab hoc Caeculo differt conditor ille Praenestinus, de quo vd. Wissowa in Rosch. Myth. Lex. p. 843 sqq. — De Orbana cf.* Arnob. IV 7 p. 147, 6: In tutela sunt Orbonae orbati liberi parentes, *quo de loco vd. quaest. IV p. 124. Orbonae aram commemorat* Cic. N. D. III 25, 63 *quem sequitur* Plin. N. H. II 16. — *Tertulliani locus* ad nat. II 15 *veteribus iam temporibus interpolatus est in* Cypr. Id. 4 (2, 5).

64 *Romanos Mortem aliquam deam coluisse non sequitur e* Cic. N. D. III 17, 44. *Neque magis huc pertinet Morta illa, quam e Livii Odussia arcessitam inter Parcas nominat* Caesellius Vindex *ap.* Gell. N. A. III 16, 10, *id quod placuit Prellero R. M. II p. 219 sq. Immo Varronem de Libitina dea egisse probabile est, de qua cf. fr. 35 adn., Preller. R. M. I^{3} p. 440, Richter. Top. v. Rom. p. 896.*

65 Aug. C. D. VI 9 p. 266, 12 sqq.: Deos ad ipsum hominem pertinentes clausit (sc. Varro) ad Neniam deam, quae in funeribus senum cantatur.

Dii, qui pertinent ad ea, quae sunt hominis, sicuti est victus atque vestitus:
(vd. fr. 3.)

66 Aug. C. D. IV 21 p. 171, 13: [[Quid opus erat commendare...]] diis agrestibus, ut fructus uberrimos caperent.

67 Serv. gen. ge. I 21: Studium quibus arva tueri] Nomina haec numinum in Indigitamentis inveniuntur.

68 Aug. C. D. IV 8 p. 155, 16 sqq.: Nec agrorum munus uni alicui deo committendum arbitrati sunt, sed rura deae Rusinae, iuga montium deo Iugatino; collibus deam Collatinam, vallibus Valloniam praefecerunt.

†69a *Paul. ex Fest. p. 108, 9: Imporcitor, qui porcas in agro facit arando. Porca autem est inter duos sulcos terra eminens.

†69b Fest. p. 238, 7: Porcas, quae inter duos sulcos fiunt, ait Varro, dici, quod porriciant frumentum.

70a Aug. C. D. IV 8 p. 155, 21 sq.: Sata frumenta, quamdiu sub terra essent, praepositam voluerunt habere deam Seiam.

Aug. 11 uni *om.* C^1

---

65 *Cf. fr. 3;* Arnob. IV 7 p. 147, 7: In tutela sunt Neniae, quibus extrema sunt tempora, *quo de loco vd. quaest. IV p. 124. Neniae deae sacellum ultra portam Viminalem (cf. fr. 42, 63) dedicatum commemorat* Fest. p. 161, 33 sqq. = Paul. p. 163, 6.

66 *Cf. fr. 2.*

67—69 *Nescio an Varro, priusquam quae apud Verrium leguntur scripserit, imprecationem illam praemiserit, quae per Cornelium Labeonem perfluxisse potest ad Serv. int. ge. I 21:* Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat flamen sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri: Vervactorem Redaratorem, Imporcitorem Insitorem, Obaratorem Occatorem, Sarritorem Subruncinatorem, Messorem Convectorem, Conditorem Promitorem. *Cf.* Serv. gen. ge. I 21: Ab occatione deus Occator dicitur, a sarritione deus Sarritor, a stercoratione Sterculinius, a satione Sator, *vd. quaest. IV p. 125 sq. Iam videas, quae scribit Reitzenstein, Verr. Forsch. p. 38, 2 de Pauli et Festi locis:* „Die zweite Glosse (porcas) beziehen Müller und Gruppe auf Varro rer. rust. I 29, 3: 'Quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quod ea seges frumentum porricit.' Doch ist es unwahrscheinlich, daſs Verrius diese Schrift, in welcher nur beiläufig hin und wieder eine etymologische Bemerkung eingeflochten ist, als Quelle benutzt haben sollte. Ich schlieſse daher aus der vorher angeführten Glosse (Imporcitor), daſs Verrius die Erklärung des Wortes Porcae einer Auseinandersetzung Varros über den Gott Imporcitor entnahm, und daſs Varro in seinem Werk über die Landwirtschaft nur wiederholte, was er früher bereits gesagt hatte." *Haec autem eum in R. D. libris dixisse probabilissima est coniectura.*

70. 71 *Cf.* Plin. N. H. XVIII 8: Seiam a serendo, Segestam a sege-

Aug. C. D. IV 21 p. 171, 14: Maxime ipsi divae Fructeseae. 70b

Aug. C. D. IV 8 p. 155, 22 sqq.: Cum iam essent (*sc.* sata frumenta) super terram et segetem facerent, deam Segetiam. Id. C. D. IV 34 p. 189, 19; V 21 p. 233, 6: [[Dedit segetes sine cultu]] deae Segetiae. 71

Aug. C. D. IV 8 p. 155, 30 sq.: Praefecerunt Proserpinam frumentis germinantibus. 72

Aug. C. D. IV 8 p. 155, 31 sq.: Geniculis nodisque culmorum deum Nodotum. Ib. p. 156, 15 sqq. C. D. IV 11 p. 161, 19. 73

Aug. C. D. IV 8 p. 155, 32 sq.: Involumentis folliculorum deam Volutinam. 74

Aug. C. D. IV 21 p. 172, 1 sq.: Dea Rubigo, ut non accederet, rogabatur. 75a

Serv. gen. ge. I 151: *Robigo genus est vitii, quo culmi pere- 5 unt. Sed abusive robigo dicitur*; nam proprie robigo est, ut Varro dicit, vitium obscenae libidinis, quod ulcus vocatur. †75b

Aug. C. D. IV 8 p. 156, 1 sq.: Cum folliculi patescunt, ut spica exeat, deam Patelanam. 76

Aug. C. D. IV 8 p. 156, 2 sq.: Cum segetes novis aristis 10 aequantur, quia veteres aequare hostire dixerunt, deam Hostilinam. 77

Aug. 1 fructęseae *C*: fructaęseae, ę *in ras.*, *l*, fructesae *A* 5 segestiae *C* 9 nodotum L^1C: nodutum L^2l *Domb.*; *cf. Aug. IV 8 p. 156, 15:* nodotus *Ll*: nodutus, tu *sup. lin.*, *C* 12 rubigo lC^2 *ed. Par. Duebn.*: robigo *A*

Serv. Variae lectiones mihi non praesto sunt.

Aug. 18 patel^a^nā, *antiqua man. corr.*, *L*: patelanam *Cl* 20 ostire ... ostilinam *LlC*

---

tibus appellabant. Macr. Sat. I 16, 8: Apud veteres qui nominasset Salutem Semoniam Seiam Segetiam Tutilinam, ferias observabat.

72 *Cf. R. D. I fr. 21, XVI fr. 46a. Peter in Rosch. Myth. Lex. II p. 152.*

73 *Cf.* Arnob. IV 7: Nodutis dicitur deus, qui ad nodos perducit res satas; *vd. quaest. IV p. 124.*

75 *Vd. quaest. I p. 21. Dea Rubigo vel Robigo occurrit R. D. I fr.* 42, Ov. fast. IV 907 sqq., Colum. X 342 sq., Tert. de spect. 5 (= Suet. *rell. fr.* 185** *Reiff.*); *deus Robigus:* Varr. R. R. I 1, 6; L. L. VI 16; Fast. Praen. a. d. VII kal. Mai; Paul. p. 267, 1; Gell. N. A. V 12, 14; Serv. interp. ge. I 151. *De sacrificio canario huic deae facto* (verum cf. Wissowa in Pauly R. E. ed. nov. *s. v.* augures) *vd.* Ov. l. l.; Colum. l. l.; Paul. p. 45, 7 sq.; Fest. p. 285, 31 sqq.; Philarg. Verg. ge. IV 425, Plin. N. H. XVIII 14; *ultimum locum exscribere liceat:* Ita est in commentariis pontificum: Augurio canario agendo dies constituantur priusquam frumenta vaginis exeant, [nec] antequam in vaginas perveniant. *Hic habes causam, cur Rubiginem inter Volutinam et Patelanam collocaverim. — Cf. Preller-Jord. R. M. II³ p. 43 sq. cum adn.*

76 *De Patellana et Patella ap.* Arnob. IV 7 p. 147, 2 sq. *vd. quaest. IV p. 124.*

77 *De voce 'hostiendi' vd.* Paul. p. 102, 10; Fest. p. 270, 27; 314,

78 Aug. C. D. IV 8 p. 156, 3 sq.: Florentibus frumentis deam Floram.

79a Aug. C. D. IV 8 p. 156, 4: Lactescentibus (*sc.* frumentis) deum Lacturnum.

79b Serv. gen. ge. I 315: Varro in libris divinarum dicit deum esse Lactantem, qui se infundit segetibus et eas facit lactescere.

80 Aug. C. D. IV 8 p. 156, 5: Maturescentibus (*sc.* frumentis) deam Matutam.

81 Aug. C. D. IV 8 p. 156, 5 sq.: Cum runcantur (*sc.* frumenta), id est a terra auferuntur, deam Runcinam (*sc.* praefecerunt).

82 Aug. C. D. IV 8 p. 155, 24 sq.: Frumentis collectis atque reconditis, ut tuto servarentur, deam Tutilinam praeposuerunt.

83 Aug. C. D. IV 34 p. 189, 20: Poma [[sine]] Pomona.

†84 Serv. gen. ge. III 1: Palem alii, inter quos Varro, masculino genere appellant, ut hic Pales.

85 Aug. C. D. IV 34 p. 189, 19 sq.: [[Sine]] Bubona boves.

Serv gen ge I 315 app. crit. mihi non praesto est.

Aug. 10 runc.antur, i *eras., C* 13 reservarentur *C* tu.^{ti}linam, l *eras.,* ti *man. 2 add., C*: tutelinam *A*

Serv. gen ge III 1 vd. supra.

17; Serv. interp. Aen. II 156; Non. p. 3, 27; Plac. libr. Rom. et libr. gloss. (C. Gl. IV p. 8, 4 = p. 45, 28; p. 25, 25 = p. 74, 20); gloss. Ampl. prim. (C. Gl. V p. 365, 2. 3; gloss. Non. (l. l. p. 651, 6), gloss. cod. Vat. 3321 (C. Gl. IV p. 87, 41) al.; cf. *Müller. ad Pauli locos.*

78 Arnob. III 23 p. 127, 17 sq.: Flora . . . bene curat, ut arva florescant. *Floram ad frugum (vel arborum vel vitium) flores referunt* Varr. R. R. I 1, 6; Fast. Praen. a. d. IV. kal. Mai; Lact. I 20, 7; *ad omnes flores cum alii tum* Plin. N. H. XVIII 286, schol. Iuv. VI 250, *quare his locis Varroniana non magis inesse arbitror, quam* Ov. fast. V 195 sqq. *Cf. R. D. I fr. 44.*

79 *Cf. Peter. Rosch. Myth. Lex. II p. 139.*

81 *De dea Runcina ap.* Tert. ad nat. II 11 p. 115, 12 *vd. fr. 21 var. lect.*

82 *Cf.* Tert. de spect. 8 (= Suet. rell. fr. 188 Reiff.): . . . Tutilinas a tutela fructuum. *Huic deae aliquantum similis est* Noduterensis, quae frugibus terendis praeest *ap.* Arnob. IV 7 p. 147, 4 sq., *de qua vd. quaest. IV p. 124.*

83 *Cf.* Varr. L. L. VII 45. *Fabula, quam Ovidius narrat* met. XIV 623 sqq., *huc non pertinet.*

84 *Cf.* Varr. R. R. II 1, 9: Non ipsos (sc. Romulum et Remum) quoque fuisse pastores obtinebit, quod Parilibus potissimum condidere urbem? *Nostro loco Varro fortasse praeter Palem, deum pastoricium, Etruscorum deum commemoravit, de quo vd.* Arnob. III 40, Serv. interp. Aen. II 325, Marc. Cap. I 15, 4. — *Quae scribit* Arnob. III 23 p. 127, 14: Armentorum et pecorum gregibus Pales praesunt Inuusque custodes *vix ad Varronem redeunt, qui Inuum, si modo eum commemoravit, in R. D. libro XV posuisse videatur.*

85 *Eponam* (*cf. e. g.* Tert. ap. 16 = ad nat. I 11) *a Varrone prolatam esse non posse contra Corssenum (Beitr. z. ital. Sprachkunde p. 130) R. Peter in Rosch. Myth. Lex. I p. 1286 ostendit.*

Ib. v. 20: Mella [[sine]] Mellona. 86

Aug. C. D. IV 34 p. 189, 15 sq.: [[Nec quando sitientibus aquam percussa petra profudit, Nymphas Lymphasque coluerunt (*sc.* Iudaei)]]. 87

Serv. interp. Aen. XII 139: Varro rerum divinarum quarto decimo: Iuturna inter proprios deos Nymphasque ponitur. 88

Dii, qui pertinent ad alia, quae huic vitae sunt necesssaria:

(vd. fr. 3.)

Aug. C. D. IV 21 p. 171, 32: Propter hostes depellendos diva Pellonia. 89

Aug. C. D. IV 21 p. 171, 14 sqq.: Marti et Bellonae, ut bene belligerarent; deae Victoriae, ut vincerent; deo Honori, ut honorarentur. Id. C. D. IV 34 p. 189, 17: Mars ... Bellona ... Victoria. Id. C. D. IV 15 p. 165, 10; IV 17 p. 166, 27: Victoria. 90

Serv. int. 5 XIIII *T*, quarta decima *F*
Aug. 12 honorino l

---

86 *Hanc deam Melloniam nominat* Arnob. IV 7 p. 147, 8.

87 *Hoc loco Varronem similia exposuisse credendum est, atque quae leguntur* R. R. I 1, 6 (*nam quod de sitientibus Augustinus dicit, magis ad Iudaeos quam Romanos pertinet*): 'Inter deos, qui maxime agricolarum duces sunt .... precor Lympham ..., quoniam sine aqua omnis arida ac misera agricultura'; *cf.* L. L. V 71; VII 87. C. I. L. V 3106. — Serv. gen. Aen. I 71: Ex nubibus aquae, quas Nymphas esse non dubium est. Id. ecl. I 53: Omnibus aquis Nymphae sunt praesidentes. Is. or. VIII 11, 96: Nymphas deas aquarum putant dictas a nubibus; nam ex nubibus aquae, unde derivatum est; nymphas aquarum deas, quasi numina lympharum. *Cf. R. D. XV fr. 10. — Prell. R. M. II*[3] *p. 127.*

88 *Cf.* Varr. L. L. V 71. Serv. interp. *loco in superiore pagina laudato*; Ov. fast. I 463 sq. 707; Val. Max. I 8, 1; C. I. L. VI 2295. *Hanc deam Romanam Varro ab alia discrevisse videtur atque fortasse ab ea, de qua scribit* Serv. int. Aen. XII 139: Iuturna fons erat in Italia saluberrimus iuxta Numicum fluvium, cui nomen a iuvando est inditum. *Quae nescio an ad Varronem referri possint.*

89 Arnob. IV 4 p. 143, 28 sq.: Pellendorum hostium dea potens Pellonia, *vd. quaest. IV p. 123.*

90. 91 *Vd. quaest. I p. 22 sq. Cf.* Varr. L. L. V 73 sq.: Bellona ab bello nunc, quae Duellona a duello (cf. VII 49). Mars ab eo quod maribus in bello praeest, aut quod a Sabinis acceptus, ibi est Mamers. Quirinus a Quiritibus. Virtus ut viritus a virilitate. Honos ab honesto onere ... Castoris nomen graecum, Pollucis a Graecis .... Concordia a corde congruente. ... Salutem Fortunam Fortem Fidem. *Similis locus est* Arnob. IV 1 p. 142, 2 sqq., *de quo vd. quaest. IV p. 125. De Victoria cf.* L. L. V 62. *Ab antiquissima dea Bellona* (C. I. L. I 44. 196. p. 287; Ov. fast VI 201 sqq.; Liv. X 19; Plin. N. H. XXXV 12; Prisc. G. L. III p. 497, 6 K., Paul. 33, 8, Sen. *ap.* Aug. C. D. VI 10) *differt illa recentior Sullae temporibus e Cappadocia arcessita, cf. Marqu. l. l. p. 75, Preller.* II[3] 248 sqq., *Iordan Ind. lect. Regiomont. 1885 p. 14 sqq. — De aedibus Honoris atque Virtutis vd. Richter. Top. v. Rom p. 813. 887. 907; de Victoria p. 825; de Pietate p. 859; de Concordia p. 786. 814;*

91 Aug. C. D. IV 24 p. 176, 14 sqq.: Libet autem eorum considerare rationes. 'Usque adeone', inquiunt (*i. e.* Varro), 'maiores nostros insipientes fuisse credendum est, ut haec nescirent munera divina esse, non deos? Sed quoniam sciebant nemini talia nisi aliquo deo largiente concedi, quorum deorum nomina non inveniebant, earum rerum nominibus appellabant deos, quas ab eis sentiebant dari, aliqua vocabula inde flectentes, sicut a bello Bellonam nuncupaverunt non Bellum, sicut a cunis Cuninam non Cunam, sicut a segetibus Segetiam non Segetem, sicut a pomis Pomonam non Pomum, sicut a bubus Bubonam non Bovem; aut certe nulla vocabuli declinatione sicut res ipsae nominantur, ut Pecunia dicta est dea, quae dat pecuniam, non omnino pecunia dea ipsa putata est: — ita Virtus, quae dat virtutem, Honor, qui honorem, Concordia, quae concordiam, Victoria, quae dat victoriam; ita', inquiunt, 'cum Felicitas dea dicitur, non ipsa quae datur, sed numen illud adtenditur, a quo felicitas datur'.

92 Aug. C. D. IV 18 p. 167, 4 sqq.: Felicitas dea est. Aedem accepit, aram meruit, sacra congrua persoluta sunt... ⟦Sed quid sibi vult, quod et⟧ Fortuna dea putatur et colitur? ⟦An⟧ aliud est Felicitas, aliud Fortuna? 'Quia Fortuna potest esse et mala; Felicitas autem si mala fuerit, felicitas non erit...' ⟦Quomodo ergo dea Fortuna aliquando bona est, aliquando mala? ... An illa quae dea est (*sc.* Fortuna bona) semper est bona? Ipsa est ergo Felicitas: cur adhibentur⟧ diversa nomina? ... Quid diversae aedes, diversae arae, diversa sacra? 'Est causa', inquiunt, 'quia Felicitas illa est, quam *boni habent praecedentibus meritis; Fortuna vero, quae dicitur bona, sine ullo examine meritorum fortuito accidit hominibus et bonis et malis, unde etiam Fortuna nominatur.' Id. C. D. IV 23 p. 173, 7 sq.: Si libri et sacra eorum vera sunt et Felicitas dea est. Id. C. D. VII 3 p. 277, 27 sqq.: ⟦Si ergo Felicitas ideo fortasse inter selectos deos esse non debuit, quod ad istam nobilitatem non merito, sed fortuito pervenerunt: saltem inter illos vel potius prae illis Fortuna poneretur,

---

ni
Aug. 5 inuebant L1 6 deos — sentiebant *om.* l[1] 12 quae] quia *l* 15 nomen *C* 25 diversae arae *om.* *C*[1] 28 accedit *lC*[1] 32 fortuito *lAK*[1]: fortuitò *C*

---

de Salute p. 906; de Felicitate vd. fr. 92. — His fragmentis simillimus est locus Ciceronis N. D. II 23, 60 sqq.; cf. I 15, 38; 42, 118. II 31, 80; Phil. π. εὐς. fr. 9. 10 *Diels. p. 544*; Plut. de Is. 10: "Ωςπερ ἡμεῖς — ἐφείδοντο.

92 *Vd. quaest. I p. 22 sq. Fortunam inter deos ad partum pertinentes enumerat fr. 18, Fortunam Barbatam fr. 49.* Aug. C. D. IV 18 *expilavit* Isid. or. VIII 11, 94, *cf.* de diff. I 219. *De Felicitate vd. Prell. II*[3] *p. 255 sq., de Fortuna p. 178 sqq. De dearum aedibus vd. R. D. I fr. 47, Richter. Top. v. Rom. p. 820. 846. 849. 898. 906.*

quam dicunt deam non rationabili dispositione, sed ut temere acciderit, sua cuique dona conferre⟧. Cf. C. D. IV 33 in.: ⟦Deus igitur ille **felicitatis** auctor et dator quia solus est verus Deus, ipse dat regna terrena **et bonis et malis**. Neque hoc temere et quasi fortuito, quia Deus est, non **fortuna**, sed pro rerum ordine ac temporum occulto nobis . . . **Felicitatem** vero non dat nisi bonis⟧.

93 ***Aug.** C. D. IV 19 p. 168, 13 sqq.: Tantum sane huic numini tribuunt, quam Fortunam vocant, ut simulacrum eius, quod a matronis dedicatum est et appellata est **Fortuna muliebris**, etiam 10 locutum esse memoriae commendaverint atque dixisse non semel sed iterum, quod eam rite matronae dedicaverint.

94 **Aug.** C. D. IV 20 p. 169, 5: **Virtutem** quoque deam fecerunt. Id. C. D. VII 3 p. 278, 7 sqq.: ⟦Non possunt invenire causam, cur celebrata sit Venus et obscurata sit⟧ **Virtus**, cum ⟦ambarum⟧ ab 15 istis consecrata sint numina.

95 ***Aug.** C. D. IV 21 p. 170, 26 sq.: Ars ipsa bene recteque vivendi virtus a veteribus definita est. Unde ab eo, quod ἀρετὴ dicitur virtus, nomen artis Latinos traduxisse putaverunt.

96 **Aug.** C. D. IV 20 p. 169, 9 sq.: Et **Fides** dea credita est et 20 accepit etiam ipsa templum et altare.

97 **Aug.** C. D. IV 20 p. 170, 5 sqq.: **Fides** et **Pudicitia**, quae . . . in aedibus propriis altaria meruerunt.

98 **Aug.** C. D. IV 21 p. 171, 16 sqq.: **Deae Pecuniae**, ut pecuniosi essent; deo **Aesculano** et filio eius **Argentino**, ut haberent 25 aeream argenteamque pecuniam. Nam ideo patrem Argentini Aesculanum posuerunt, quia prius aerea pecunia in usu coepit esse, post argentea. ⟦Miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quia et aurea subsecuta est.⟧ Id. C. D. IV 28 p. 181, 18 sqq.: ⟦Sicut potuerunt auream pecuniam habere Romani, quamvis deum Aurinum 30 non colerent: sic et argenteam habere potuerunt et aeream, si nec **Argentinum** nec eius patrem colerent **Aesculanum**.⟧ Id. C. D.

Aug. 1 accederet C   7 nomini *Cl*[1]   9 mulieris *l*[1]   24 aescŏlano *C*: ᵉsculano *l*, aesculano *AKF*   25 aescolanum *C*: aesculanum *l*   26 usum *l*   31 Aescolanum *Dombartus; utrum* u *an* o *exhibeant Cl, nescio*

---

93 *Vd. quaest. I p. 23 sq. et quos ibi collaudavi.*

95 *Vd. quaest. I p. 24.*

96 *De* ***Fidei*** *templo vd.* ***Richter.*** *l. l. p. 820* ***Marqu.*** *p. 583 sq. Prell. I*[2] *p. 250 sqq.*

97 *De* ***Pudicitiae*** *templo et altari vd.* ***Richter.*** *p. 848. 898.*

98 Cf. Arnob. IV 9 p. 148, 5 sq. 16 sq.: Quis est, qui credat esse deos **Lucrios** et lucrorum consecutionibus praesidere? . . . Quis ad extremum **deam Pecuniam** esse credat? *Vd. quaest. IV p. 124.* — *Similis etiam deus est* Arculus, *de quo scribit* Paul. p. 16, 8: Arculus putabatur etiam deus, qui tutelam gereret arcarum. — *De Iove Pecunia vd. R. D. XVI fr. 19.*

VII 11 p. 289, 12 sq.: Pecunia, quam deam inter illos minuscularios invenimus. Id. C. D. VII 3 p. 278, 12. 19 sq.

99 Gell. N. A. I 18: In XIV rerum divinarum libro M. Varro doctissimum tunc civitatis hominem L. Aelium errasse ostendit, quod vocabulum Graecum vetus traductum in linguam Romanam, proinde atque si primitus Latine fictum esset, resolverit in voces Latinas ratione etymologica falsa. Verba ipsa super ea re Varronis posuimus: „In quo L. Aelius noster, litteris ornatissimus memoria nostra, erravit aliquotiens. Nam aliquot verborum Graecorum antiquiorum proinde atque essent propria nostra, 15 reddidit causas falsas. Non enim 'leporem' dicimus, ut ait, quod est levipes, sed quod est vocabulum anticum Graecum. Multa vetera eorum ignorantur, quod pro his aliis nunc vocabulis utuntur; et illorum esse plerique ignorent 'Graecum', quod nunc nominant '῞Ελληνα', 'puteum', quod 15 vocant 'φρέαρ', 'leporem', quod 'λαγωὸν' dicunt. In quo non modo Aelii ingenium non reprehendo, sed industriam laudo; successus enim fortunae, experientiam laus sequitur." Haec Varro in primore libro scripsit, de ratione vocabularum scitissime, de usu utriusque linguae peritissime, de 20 ipso Aelio clementissime.

100 Sed in posteriore eiusdem libri parte 'furem' dicit ex eo dictum, quod veteres Romani 'furvum' atrum appellaverint et fures per noctem, quae atra sit, facilius furentur.

101 Tert. ad nat. II 15 p. 128, 1 sq.: Etiam locorum urbis vel 25 loca deos ar⟨bitramini, Janum⟩ Patrem, et diva arquis est Jana, et montium septem Montinum.

Gell. 3 sqq. vd. ed. M Hertz
Tert. nat. 25 urbis uel *Goth*: urbisue *A* 26 arbitramini, Ianum *Oehlerus*: ar *lac. 6 litt. Goth**, ar *lac. 9 litt. Hild**, arcuum Ianum *Goth* et *A*, est et *Goth*, ut *Hartelius* Arquis *Goth* Iana *Goth*: lana *A* 27 montium septem Montinum *scripsi (cf. Arnob. IV 9 p. 148, 15: Montinum montium)*: montium septemontium *A*, montium septem Septemontium *Oehlerus*

---

99. 100 *Fr. 99 quamquam in 'primore libro' positum fuisse Gellius testatur, tamen huc rettuli, quia neque verum locum indagare potui et Gellii verba discerpere nolui. Fr. 100 Varro scripsisse videtur de Furina agens* (*cf.* L. L. V 84; VI 19; VII 45), *de cuius deae natura nihil constat; sed fortasse Varro quidem eam furum tutricem esse docuit, quae est causa, cur haec post deos Lucrios posui. — Cum verbis 'fures per noctem facilius furentur' compares* Hom. Il. III 11: κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω.

101 *De diis locorum cf. fr. 102.* Act. fr. arv. 188 (C. I. L. VI 2099b 8): Sive deo sive deae, in cuius tutela hic lucus locusve est. — *De Iano cf.* fr. 104b; R. D. XVI fr. 9 sqq.; Varr. L. L. V 165, Ov. fast. I 257 sq. — 'Ianam' *pro* 'Limam', *quod cod P praebet, Stewechius legit ap.* Arnob. IV 9 p. 148, 11; Ianam *cum Luna aequat* Varro R. R. I 37, 3; *cum Diana* Nigidius *ap.* Macr. Sat. I 9, 8. — *Cum Montinus Ascensus Clivicola (vd. fr. 102) non ad quoslibet montes, scansiones, clivos, sed ad loca urbis pertineant (cf. R. Peter in Rosch. Myth. Lex.*

Tert. ad nat. II 15 p. 128, 3 sqq.: ⟦⟨Geniis eisdem⟩ illi faciunt, qui in isdem locis aras vel aedes habent, praet⟨erea aliis qui⟩ in alieno loco aut mercedibus habitant. Taceo⟧ **Ascensum** ⟨a scansione⟩ et **Clivicolam** a clivis. 102

5 **Gell. N. A.** XVI 17, 1: Et agrum **Vaticanum** et eiusdem agri **deum** praesidem appellatum acceperamus a vaticiniis, quae vi atque instictu eius dei in eo agro fieri solita essent. Sed praeter hanc causam M. Varro **in libris divinarum** aliam esse tradit istius nominis rationem (*vd. fr. 20*[b]). 103

10 **Aug.** C. D. VI 7 p. 258, 10 sqq.: ⟦Cur **Forculus**, qui foribus praeest, et **Limentinus**, qui limini, dii sunt masculi, atque inter hos **Cardea** femina est, quae cardinem servat? Nonne ista in **rerum divinarum libris** reperiuntur?⟧ Id. C. D. IV 8 p. 156, 17 sqq.: ⟦Unum quisque domui suae ponit ostiarium . . .⟧, tres deos isti po-
15 suerunt, **Forculum** foribus, **Cardeam** cardini, **Limentinum** limini. **Tert. ad nat.** II 15 p. 128, 6 sqq.: ⟦Taceo⟧ deos **Forculum** a foribus et **Car⟨deam** a cardi⟩nibus et liminum **Limentinum**. 104a

Tert. de id. 15 p. 48, 1 sqq.: *Ostiorum deos apud Romanos **Cardeam** a cardinibus appellatam et **Forculum** a foribus et Li-
20 **mentinum** a limine et ipsum **Ianum** a ianua . . . ⟦Etiam apud 104b

---

Tert. 1 geniis eisdem Oehlerus: *lac. 3 litt. Goth*, lac. 9 litt. Hild**, habitantium *Goth* 2 *sq.* praeterea aliis qui *Oehlerus*: praeterea *lac. 7 litt. Goth**, prae *lac. 9 litt. Hild**, praeterea et qui *Goth*, perinde ut ei qui *coni. Reiff.-Wiss.* 4 a scansione *Oehlerus: lac. 5 litt.* Goth*, *lac. 8 litt. Hild**, ab ascensu *Goth* Cliuicolam *Rig*: leuico iam *A*, Leuicoiam *Goth** Leuicliuiam *Goth*

Gell. 6 sqq. vd. ed. M Hertz

Aug. 12 cardea, d *in ras, C*: cardea A^2K, carnea A^1F uersat *C* 14 domui *Ll*: domi *C*

Tert. nat. 16 Forculum *Goth*: aforculus *A* 17 Cardeam a cardinibus *Goth*: Car *lac. 7 litt.* nibus *Goth**, card *lac. 10 litt.* nibus *Hild**

Tert. id. 18 [h]ostiorum *A* 19 pellatam *A*

---

*II p. 146) non sine iure '**Montinum**' scripsisse mihi videor, quem Arnobius praebet (IV 9 p. 148, 15) et ipse cod. A commendat, praesertim cum de deo Septemontio nihil aliunde comperiatur; nisi forte corrupto illo loco non de deo, sed de die festo rem fuisse putas, cui nomen est **Septemontii**; de quo vd.* Varr. L. L. VI 24; Fest. p. 340, 7 sqq. 348, 24 sqq.; Paul. p. 341, 2 sq.; Tert. id. 10; Plut. Q. R. 69; Lyd. de mens. 18. *Hanc alteram sententiam profitetur **Preller**. R. M. II*[3] *p. 221.*

102 **Cypr.** id. 4, *qui hoc loco e Tertulliano pendet (vd. fr. 63 adn.), praebet:* Est et Scansus ab ascensibus dictus. — *Cf. fr. 101 adn. — Similes dii* Limi (*cod.* P *praebet* lemons) *leguntur ap.* Arn. IV 9 p. 148, 14 sq., *cf. quaest. IV p. 124. — De* 'geniis' cf. **Serv. gen.** Aen. V 85: Nullus locus sine genio est; **Serv. int.** ge. I 302: Genium dicebant antiqui naturalem deum unius cuiusque loci vel rei aut nominis.

104 *Vd. quaest. II p. 83. E Tertulliano* (ad nat. II 15) *pendet* Cypr. idol. 4. *Tert. tres ultimos locos **Peter** l. l. p. 146 nulla dubitatione Varroni tribuit. — De* Limentino et Lima *ap.* Arnob. IV 9 p. 148, 11; IV 11 p. 149, 14 *vd. quaest. IV p. 124. — De* Apolline Thyraeo *vd.* Nig. Fig. *ap.* Macr. Sat. I 9, 6.

Graecos Apollinem θυραῖον et Antelios daemonas ostiorum praesides deos legimus.]] De cor. 13 p. 453, 7 sqq. *Oehl.*: *Ianum a ianua, Limentinum a limine, Forculum et [[Carnam]] a foribus et cardinibus; etiam apud Graecos Thyraeum Apollinem et Antelios daemonas. *Cf.* Scorp. 10 p. 167, 13 sqq.: *[[Iuxta Romanam superstitionem †Barnum quendam]] et Forculum et Limentinum.

105 Tert. ad nat. II 15 p. 128, 8 sqq.: *[[... cum et ⟨numina sua⟩ habeant in lupanaribus, in culinis et etiam in carcere]].

106 Laur. Lyd. de mens. IV 2 p. 51, 19 sqq.: Βάρρων ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῶν θείων πραγμάτων φησὶν αὐτὸν (sc. Ianum) παρὰ Θούσκοις οὐρανὸν λέγεσθαι καὶ ἔφορον πάσης πράξεως καὶ Ποπάνωνα διὰ τὸ ἐν ταῖς καλάνδαις ἀναφέρεσθαι πόπανα.

107 Schol. Ver. Aen. II 241: Portunus, ut Varro ait, deus port⟨uum porta⟩rumque praeses. *Quare huius dies festus Portunalia, qua aput veteres claves in focum add⟨ere prope⟩ mare institutum.

108 Gell. N. A. XV 30, 6 sq.: Petorritum non est ex Graecia dimidiatum, sed totum ortum trans Alpes; nam est vox Gallica. Id scriptum est in libro M. Varronis quarto decimo rerum divi-

---

Tert. cor. 3 Limentinum] limituum a limite *D (cod. Florent.)*: lumen tuum a lumine *C (cod. Leid.)* Carnam *A (cod. Agob.), ed. princ.*: Carna *CD*, Cardam *B (cod. Vindob.) Gagn Gel Pam Rig* foribus atque *A ex lect. Baluzii*

Tert. scorp. 6 Barnum *A*: Cardum *Gel* Cardeam *Pam* Ianum *Rig* Carnum *Hild*

Tert. nat. 7 numina sua *Oehlerus*: *lac.* 3 *litt. Bal**, *lac.* 9 *litt. Hild**, *lac. non signavit Goth, add. tamen* deos suos 8 culinis *Goth*: cunilis *A* etiam in *Hild*: immo *A*

Schol. Ver. 13 *sqq.: vd. adn.*

Gell. 16 sqq. vd. ed. M Hertz

---

105 *His verbis utrum Tertullianus numina quaedam Varroniana significaverit an quae ipse quotidie in cultu paganorum conspexerat protulerit, non discepto. Illud quidem placuit Petero l. l. p. 146, quapropter Tertulliani locum praetermittere nolui. — Genium culinae Lateranum commemorat* Arn. IV 6 p. 146, 6 sqq.

106 *Vd. quaest. IV p. 117 sqq. 119.*

107 *Hunc locum restituere viri docti frustra adhuc conati sunt; Prellerus quidem cum conicit R. M. I*[3] *p. 178, 1:* 'quo aput veteres aedes in portu et feriae institutae' *et Merkelius, qui legit (Ov. fast. praef. p. CCVII)*: 'claves in forum adductas piare institutum', *mea quidem sententia erraverunt, cum verba* 'claves' *et* 'mare' *servare necesse sit; vd.* Varr. L. L. VI 19: Portunalia dicta a Portuno, cui eo die aedes in portu Tiberino facta et feriae institutae. Cic. N. D. II 26, 66: Portunus a portu. Paul. p. 56, 6 sq.: Claudere et clavis ex Graeco descendit, cuius rei tutelam penes Portunum esse putabant, qui clavim manu tenere fingebatur et deus putabatur esse portarum. *Cf.* Paul. p. 243, 1; Fest. p. 242, 1 sqq. Arnob. III 23: Per maria tutissimas praestat Portunus commeantibus navigationes. Serv. gen. Aen. V 241: Portunus deus marinus, qui portubus praeest. Serv. ge. I 437 (cod. Guelf.): Nostri Portunum dicunt, quia portubus praesit. *Propriam emendationem non inveni. — Prell. I*[3] *p. 177 sq, Marqu.-Wiss. p. 327, 10, Richter. Top. v. Rom. p. 849.*

narum, quo in loco Varro, cum de 'petorrito' dixisset esse id verbum Gallicum, 'lanceam' quoque dixit non Latinum, set Hispanicum verbum esse.

Seneca ap. Aug. C. D. VI 10 p. 269, 24: *Populonia ... Fulgora. 109

M. Terenti Varronis Antiquitatum Rerum Divinarum Liber XV

De Diis Incertis.

Aug. C. D. VII 17 p. 295, 13 sqq.: Trium extremorum primum de diis certis cum absolvisset librum, in altero de diis incertis dicere ingressus ait (sc. Varro): 'Cum in hoc libello dubias de diis opiniones posuero, reprehendi non debeo. Qui enim putabit iudicari oportere et posse, cum audierit, faciet ipse. Ego citius perduci possum, ut in primo libro quae dixi in dubitationem revocem, quam in hoc, quae praescribam, omnia ut ad aliquam dirigam summam.' 1

Macr. Sat. III 2, 11: Varro in libro Quinto Decimo Rerum Divinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Graeci παιανίζειν vocant. 2

*Macr. Sat. III, 4, 8: *Qui diligentius eruunt veritatem, Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus: esse autem medium aethera Iovem, Iunonem vero imum aera cum terra et Minervam 3a

---

Aug. 5 fulgora Cl: fulgura A
12 *sq.* putabit *Dombartus*: putauit Cl^1 15 quo, o *ex* e *corr.*, *l* praescribam *Cl*: perscribam *Dombartus* 16 ad *l*: *om.* *CFK*
Macr. 19 *pro* παιανίζειν vocant *lac. 10 fere litt.* *P* 22 rationē *omittit* P^1 medium, um *in rasura, P*

---

109 *Vd. quaest. I p. 35.*
Tit. Aug. C. D. VII 3 (= R. D. I fr. 5): Sunt autem omnes rerum divinarum libri sedecim ... In tribus, qui restant, libris dii ipsi sequuntur, ... in secundo dii incerti. *Cf. fr. 1.*
1 *Vd. quaest. V p. 128 sq.*
2 *Merkelius, cui adsentior, coniecit (Ov. fast. praef. p. CCVII) haec Varronem dixisse de Vitula dea agentem. Cf.* Varr. L. L. VII 107: Apud Naevium ... in Clastidio vitulantes a Vitula. — *Diversas de Vitula sententias profert* Macr. Sat. III 2, 13 sqq. *De 'vitulandi' voce cf.* Paul. 369, 14; Non. 14, 14 sqq.; *de dea Vitula vd. Preller. I^3 p. 407; de sacris, in quibus pontifex vitulari solebat, vd. Marqu.-Wiss. p. 325.*
3 *De* Macrobii Arnobii Servii *locis huic Varronis libro tribuendis acutissime egit Wissowa, die Überlief. d. Penaten Herm.* XXII p. 32 sqq., *cui in hac re totum me addixi; cf. etiam quaest. V p. 126. Quod* Serv. int. *adiungit:* 'his addidit et Mercurium sermonum deum', *hoc non*

summum aetheris cacumen: et argumento utuntur, quod Tarquinius, Demarati Corinthii filius Samothracicis religionibus mystice imbutus, uno templo ac sub eodem tecto numina memorata coniunxit. *Serv. interp. Aen. II 296: Nonnulli Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus et corpus habemus et animi rationes possidemus; eos autem esse Iovem aetherem medium, Iunonem imum aera cum terra, summum aetheris cacumen Minervam. Quos Tarquinius Demarati Corinthii filius, Samothraciis religionibus mystice imbutus, uno templo et sub eodem tecto coniunxit.

3b Aug. C. D. VII 28 p. 311, 22: Minervam supra ipsum caelum ante (*h. e.* in superiore libro XV *cf. fr. 4*) posuerat (sc. Varro).

3c *Arnob. III 40 p. 138, 18 sqq.: Nec defuerunt, qui scriberent Iovem Iunovem ac Minervam deos Penates existere, sine quibus vivere ac sapere nequeamus, sed qui penitus nos regant ratione calore ac spiritu.

4 Aug. C. D. VII 28 p. 311, 7 sqq.: Hinc (sc. a Caeli et Terrae masculina et feminina vi) etiam Samothracum nobilia mysteria in superiore (*i. e.* XV) libro sic interpretatur (sc. Varro) eaque se, quae nec Sais nota sunt scribendo expositurum eisque missurum quasi religiosissime pollicetur. Dicit enim se ibi multis indiciis collegisse in simulacris aliud significare caelum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat ideas; caelum Iovem, terram Iunonem, ideas Minervam vult intellegi; caelum a quo fiat aliquid, terram de qua fiat, exemplum, secundum quod fiat.

†5 Tert. ad nat. II 12 p. 116, 22 sq.: Var⟨ro⟩ antiquissimos deos Iovem Iunonem et Minervam refert.

†6 Arnob. III 40 p. 138, 12 sqq.: Varro, ⟦qui sunt introrsus atque in intimis penetralibus caeli deos esse censet, quos loquimur (sc. Penates), nec eorum numerum nec nomina sciri. Hos Consentes et Complices Etrusci aiunt et nominant, quod una oriantur et occidant una, sex mares et totidem feminas, nominibus ignotis et miserationis parcissimae; sed eos summi Iovis consiliarios ac participes existimari.⟧

---

2 mistice *P* 3 eadem B[1]
Serv. 6 aetherem *Bergkius*: aethere *C*, aethera *Scioppius enotavit* inum *C* 7 aera C[2]: era C 8 demarathi C chorinthi *C* samotrachis C
Arnob. 13 paenates *P* 14 paenitus *P*
Aug. 19 Sais *Wissowa:* suis *codd.*
Arn. 32 memorationis *Urs*: uisceratiomis *Scal*, venerationis *fort.* parcissime *P*: paruissimae *Meurs* participes *Scal*: principes *P*

Varronis esse idem vir doctus l. l. demonstat. Quid Varro in Rer. Hum. libro II de Penatium origine symbolis sede docuerit, ibidem invenies p. 40 sqq. itemque quid ceteri antiquarii de eis iudicaverint.
4 *Vd. quaest. I p. 11 sq.*
5 *Vd. quaest. II p. 82 sq.*
6 *Wissowa genuinum huius loci argumentum ab Arnobio vel Labeone foede deformatum his verbis describit p. 54:* Varro hatte der

*Aug. C. D. IV 23 p. 174, 11 sq.: ⟦Felicitas . . . neque⟧ inter †7 deos **Consentes**, quos dicunt in consilium Iovis adhiberi . . .

Arnob. III 41 p. 139, 6 sqq.: Varro haesitans nunc esse illos †8 (sc. **Lares**) **Manes** et ideo **Maniam** matrem esse cognominatam Larum, nunc aërios rursus deos et heroas pronuntiat appellari, nunc antiquorum sententias sequens **Larvas** esse dicit **Lares**, quasi quosdam genios et functorum animas.

Aug. 2 consentientes *C*

Arnob. 4 Manes *Sab*: Manas *P* 5 haeroas *Sab*, *r*: haerohas *P* 5 pronunctiat *P* 7 et functorum *Stewechius*: effunctorum *P*; defunctorum *Sab* animas mortuorum *P*, *secluserunt Canterus, Urs*, mortuorum *seclusit Hildebrandus*

---

etruskischen Penaten wahrscheinlich bei Gelegenheit der römischen in dem Buche de diis incertis beiläufig gedacht und sie als die in den penetralibus caeli Wohnenden definiert. Was er sonst von ihnen aussagte, ist bei Arnobius — sei es durch dessen, sei es durch des Labeo Schuld — in Verwirrung geraten; denn der Widerspruch zwischen den Angaben nec eorum numerum nec nomina scire und sex mares totidem feminas läſst sich auf keine Weise weginterpretieren. Varro hat etwas den römischen Penaten Ähnliches auf dem Gebiete der etruskischen Religion gefunden in einer Klasse von Göttern, die in der etruskischen Blitzlehre eine Rolle spielen, nach welcher Juppiter die stärkste und verderblichste Art von Blitzen nur nach Einholung ihres Beirates entsenden darf. Den etruskischen Namen dieser Gottheiten hatte Varro durch das römische Penates wiedergegeben, zugleich aber wegen der beratenden Rolle, die diese etruskischen Götter spielen, auf die römischen Consentes, die man ja als eine Art Göttersenat auffaſste, verwiesen; auf diese letzteren bezieht sich die Angabe sex mares totidemque feminas, die bei Arnobius fälschlich auf die etruskischen Penaten übertragen ist. — *Quae* Varro *de penatibus vel magnis dis* (*cf.* Serv. gen. Aen. III 12) *docet* L. L. V 58 *et in* Curione (*ap.* Prob. ad Verg. ecl. VI 31 p. 21 K.) *ea ab his, quae in* R. D. libro XV *profert, non ita diversa esse, ut contraria sint, explicavit* Wissowa *l. l. p. 49; idem demonstravit* p. *55 ad Varronem ea non redire, quae* Marc. Cap. I 41 sqq. *profert.*

7 *Ex Augustini verbis colligendum est Varronem deorum Consentium nomina enumerasse; nescio an eosdem nominaverit, quos in* Rer. Rust. libro primo; *videas imprimis* I 1, 4: . . . duodecim deos consentis (*cf. fr.* 6), neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratae stant, sex mares et feminae totidem *eqs.*

8 *Has Varronis sententias non sic inter se differre ut Arnobius putat, e* R. D. XVI fr. 8 (*ap.* Aug. C. D. VII 6) *sequitur, quare omnes eas uni loco dare non dubito. Similia docent* Cens. d. d. n. III 2, Paul. p. 121, 17 sq., Serv. gen. Aen. VI 152, *sed de Varrone, ut eorum fonte, aut omnino non cogitandum est, aut nihil constat. — De* matre Larum *vd.* Varr. L. L. IX 61; Macr. Sat. I 7, 34 sqq.; Act. frat. Arv. ad ann. 183 [218] 224 *cum* Henzen. *adn. p. 145. Quae* Lactantius I. D. I 20, 35 *refert:* Deam **Mutam** esse dicunt, ex qua sint nati **Lares**, et ipsam **Laram** nominant vel Lacundam, *fortasse Varroni tribuenda sunt, de qua re cf. quaest. II p. 68;* Larundam *ille* L. L. V 74 *inter deos Tatienses enumerat. —* Ovidius *quae de dea Muta canit* fast. II 581, *proprio Marte videtur finxisse. — De* Larvis *conferas similem* Aelii Stilonis *sententiam ap.* Fest. p. 129, 33 sqq. — *Larvas esse hominum malorum animas, quod inferioris aetatis scriptores putabant, Varro, si Arnobius accurate rettulit, non agnovit.*

†9a Aug. C. D. VIII 26 p. 364, 1 sqq.: Varro dicit omnes ... mortuos [[existimari]] Manes deos et probat per ea sacra, quae omnibus fere mortuis exhibentur, ubi et ludos commemorat funebres, tamquam hoc sit maximum divinitatis indicium, quod non soleant ludi nisi numinibus celebrari. 5

†9b Plut. Q. R. XIV: Ἐπὶ τῶν τάφων (sc. parentum mortuorum) ὥς φησι Βάῤῥων, περιστρέφονται (sc. filii), καθάπερ θεῶν ἱερὰ τιμῶντες τὰ τῶν πατέρων μνήματα, καὶ καύσαντες τοὺς γονεῖς, ὅταν ὀστέῳ πρώτον ἐντύχωσι, θεὸν γεγονέναι τὸν τεθνηκότα λέγουσι.

†10a Aug. de doctr. Christ. II 17, 27: Non audiendi sunt ..., qui 10 novem Musas Iovis et Memoriae filias esse finxerunt. Refellit eos Varro ...; dicit enim civitatem [[nescio quam, non enim locum recolo,]] locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quod in templo Apollinis donum poneret, ut quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret. Itaque contigisse, ut 15 opera sua quoque illi artifices aeque pulchra explicarent, et placuisse civitati omnes novem atque omnes esse emptas, ut in Apollinis templo dedicarentur, quibus postea dicit Hesiodum poetam imposuisse vocabula ... Tres autem ... illa civitas locaverat ..., quia facile erat animadvertere omnem sonum, quae materies cantilenarum 20 est, triformem esse natura. Aut enim voce editur, sicuti eorum est, qui faucibus sine organo canunt; [[aut flatu sicut tubarum et tibiarum, aut pulsu sicut in citharis et tympanis et quibuslibet aliis, quae percutiendo canora sunt.]]

---

9 *Augustinum exscripsit* Rhab. Maur. de cler. inst. III 24, BC. *De loco Varroni ex parte simili ap.* Serv. gen. Aen. V 45 *vd.* R. D. I fr. *22 adn. De re cf.* Cic. de leg. II 9, 22; 22, 35; *de etymologia vd.* Fest. p. 146, 20 sqq. 157, 32 sqq. *alib.* Non. p. 66, 13 sqq. Macr. Sat. I 3, 13. Plut. Q. R. 52; *cf.* Varr. L. L. VI 4. — *Varroniana inesse possunt his locis:* Serv. gen. Aen. III 63: Manes sunt animae illo tempore, quo de aliis recedentes corporibus necdum in alia transierunt; sunt autem noxiae et dicuntur κατὰ ἀντίφρασιν: nam manum bonum est. Alii manes a manando dictos intellegunt: nam animabus plena sunt loca inter lunarem et terrenam circulum unde et defluunt (*cf.* Varr. R. D. XVI fr. 3). Quidam deos infernos tradunt. (*E Serv. pendet* Is. or. VIII 11, 100.) Serv. interp. Aen. III 63: Quidam alios manes alios deos infernos dicunt: plurimi ut deos caelestes vivorum ita manes mortuorum tradiderunt. Alii manes nocturnos esse eius spatii, quod inter caelum terramque est, et ideo umoris, qui noctu cadit, potestatem habere: unde mane quoque ab isdem manibus dictum; *cf.* R. D. XV fr. 8, R. D. XVI fr. 3. L. L. VI 4. *De consecratione parentum vd.* Serv. int. Aen. V 47: Apud Romanos defuncti (*codd.*: defunctorum) parentes dii a filiis vocabantur; cf. Corn. Nep. ep. Corn. § 4: ubi mortua ero, parentabis mihi et invocabis Deum Parentem *eqs.* Corp. Gloss. IV p. 267, 5; 547, 42. Myth. Vat. III 6, 29 *refert:* Varronis (*cod.* Maronis) opinio est ideo mulieres in funere ora lacerare (*cf.* Lgg. XII tabb. *ap.* Cic. Leg. II 23, 59), ut inferis ostento sanguine satis fiat, *quae nescio an ad hunc locum referenda sint. — De divis parentum vel parentibus vd. Iordan. Herm. XV 1880 p. 530 sqq., M Voigt in Burs. Jahresber. IX 1881, 3 p. 48 sqq.*

10 *De Musis Varro in R. D. libro XIV egisse potest. — Quod*

Serv. gen. ecl. VII 21: Secundum Varronem ipsae sunt †10b
Nymphae quae et Musae. Sane sciendum, quod idem Varro tres
tantum Musas commemorat. Unam quae ex aquae nascitur motu,
alteram quae aeris icti efficit sonus, tertiam quae in mera tantum
5 voce consistit.

Arnob. III 38 p. 136, 19. 21 sqq.: Novensiles ...; novenarium †11
numerum tradit Varro, quod in movendis rebus potentissimus sem-
per habeatur et maximus.

*Tert. ad nat. II 9 p. 112, 1 sqq.: Patrem indigentem 12
10 Aenean crediderunt ... 〚Quid aliud Aeneae gloriosum, nisi quod
proelio Laurentino nusq⟨uam⟩ comparuit?〛

Serv. Variae lectiones mihi nondum praesto fuerunt.
Arnob. 7 in movendis] in novandis *Urs*
Tert. 9 indigentem *scripsi, vd. quaest. II p. 80*: diligentem *A*
10 aeneā *A*

Servius et Augustinus paullulum inter se differunt, inde factum est, puto, quod Augustinus Varronem, ut ipse confitetur, e memoria citat. Servius accuratior est, quippe qui sonum illum ex aquae motu natum commemoret, qui proprie ad Musas, i. e. Nymphas e Varronis sententia, pertinet. — E Servio pendent Is. or. VIII 11, 96 s. fin., Myth. Vat. II 50. — Serv. int. ecl. VII 21: In aqua consistere dicuntur (*sc.* Musae) quae de fontibus manat, sicut existimaverunt, qui Camenis fontem consecrarunt: nam eis non vino, sed aqua et lacte sacrificari solet; Philarg. Verg. ge. IV 380: Nymphis libari vino pontifices negant. *Hi loci ad bonum auctorem aperte redeunt, nescio an ad Varronem, qui nostris locis similia docet; cf. etiam* Serv. gen. ecl. VIII 13: Varro Musas ait hedera coronari *et* eund. ecl. III 12: Camenae Musae, quibus a cantu nomen inditum. — *Quae* Arnobius *de Musis profert* III 37, *e Graeco fonte profluxerunt. — De Camenis vd. Wissow. in Rosch. Lex. Myth. p. 846 sqq.*

11 *Diversas de his diis sententias e Labeone sine dubio desumptas praebet* Arnobius *hoc toto capite* III 38. *Quas etsi ex parte quidem iam* Varro *posteris tradidisse potest, tamen Varroni dare iusto audacius est, praesertim cum capite ineunte* Granius, *alter ille praeter Varronem Labeonis auctor, nominetur. — Plura de novensidibus dare supersedeo post luculentissimam illam Georgii Wissowa dissertationem de dis nov. et ind. Ind. lect. Marp. 1895.*

12 *Vd. quaest. II p. 80 sq. Tertullianum ultimis quidem verbis Varroniana satis accurate reddidisse docent hi loci:* Aug. C. D. XVIII, 19: Aenean, quoniam quando mortuus est non comparuit, deum sibi fecerunt Latini (= Varr. de gent. P. R. III fr. †3 Kettn.). Dion. Hal. A. R. I 64: Τρία δὲ βαcιλεύcαc ἔτη μετὰ τὴν τοῦ Λατίνου τελευτὴν τῷ τετάρτῳ θνήcκει (sc. Αἰνείαc) κατὰ πόλεμον. Ῥότολοί τε γὰρ .... Μάχηc δὲ γενομένηc καρτερᾶc, οὐ πρόcω τοῦ Λαουϊνίου ... τὰ μὲν cτρατεύματα νυκτὸc ἐπελθούcηc διελύθη, τὸ δὲ Αἰνείου cῶμα φανερὸν οὐδαμῇ γενόμενον οἱ μὲν εἰc θεοὺc μεταναcτῆναι εἴκαζον, οἱ δ᾽ ἐν τῷ ποταμῷ, παρ᾽ ὃν ἡ μάχη ἐγένετο, διαφθαρῆναι. Καὶ αὐτῷ καταcκευάζουcιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοcμούμενον, ΠΑΤΡΟΣ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ (i. e. 'divi patris indigetis') ΟΣ ΠΟΤΑΜΟΥ ΝΟΥΜΙΚΙΟΥ ΡΕΥΜΑ ΔΙΕΠΕΙ. *Dionysium, quem in capite, quod sequitur, 65 Varrone usum esse e* Plin. N. H. XIV 88 *elucet, etiam hic in eiusdem vestigiis ingressum esse*

13 *Tert. ad nat. II 9 p. 112, 22 sqq.: Romulus aeque post mortem deus. Si quia urbem condidit, ... Ideo Quirinus ⟨est, quia⟩ tunc parentibus quiritatum est per illum.

14 *Tert. ad nat. II 9 p. 112, 26 sqq.: ⟦Quid Stercu⟨lus meruit⟩ ad divinitatem? Si agros stercoribus iuvando diligens fuit, . . .⟧ 5

Tert. 2 sq. est quia *Goth* 3 quiritatum *Goth*: queritatum *A* 4 Sterculus *Rig, cf. ap. 25 p. 221, 1; ad nat. II 17 p. 130, 8 (= R. D. I fr. 39 c)*: Sterculinus *Goth* 5 meruit *Goth*

---

ultro patet collato nostro et Augustini loco; neque tamen R. D. librum XV eum exhausivisse credendum est. Cf. Schol. Ver. Aen. I 27: Aeneas uxore et regno potitus Latino mortuo Etruscos certamine premens in conflictu bellico ⟨petitus nusquam con⟩paruit et Numici fluminis gurgite haustus putatur; cui Ascanius hostibus devictis in loco quo postremo pater apparuerat Aeneae indigeti templum dicavit, ad quod pontifices quotannis cum consulibus ire solent sacrificaturi. *Quia e pontificum sacrificio colligendum erat Aenean esse deum Romanum, haec nescio an Varro commemoravit. Cf. etiam* C. I. L. I p. 283: Aenea⟨s Ven⟩eris et Anchisa⟨e filius Troia⟩nos qui capta Tr⟨oia et incensa s⟩uper⟨er⟩ant in I⟨taliam adduxit⟩ — ⟨oppidum Lavinium⟩ con⟨didit et ibi regnavit an⟩nos tris. I⟨nde cum prooelio fact⟩o non con⟨paruisset, dictus⟩ est Indigens ⟨et in deorum n⟩umero relatus. *Ubi Mommsenus formam* 'indigens' (*pro* indiges) *lapidarii culpae tribuendum esse putat. — De dis indigetibus vd. Wissowa l. l. Varro quidem videtur docuisse eos esse 'deos ex hominibus factos quasi in diis agentes', cf.* Serv. gen. Aen. XII 794 *s. fin.*, ge. 1 498; *cf. etiam* Comm. Bern. Luc. Phars. I 556 in., Arnob. I 64 (: tyrannos ac reges vestros appellatis indigetes), I 36 (*de* Indigetibus *vel rectius* de Aenea). *Aeneas enim, pater indiges, Romulus, Sterculus, Faunus, quos deos Tertullianus deinceps e Varrone transscripsit, dei ex hominibus facti sunt.*

13 *Vd. quaest. II p. 81. Fortasse huc pertinent quae leguntur ap.* Porph. Hor. epod. XVI 13: Varro post Rostra fuisse sepultum Romulum dicit, *cf.* Comm. Cruqu. *et* Porph. cod. γ ad eundem versum: Varro pro (*sic!*) rostris fuisse sepulchrum Romuli dicit. *Quod sepulcrum nescio an idem sit, quod 'quidam' Faustulo assignant ap.* Dion. Hal. A. R. I 87. — *De voce 'quiritandi' cf.* Varr. L. L. V 68. Non. 21, 18. Corp. Gloss. IV p. 383, 35; 384, 10; 559, 49. V p. 478, 8; 577, 24; 636, 33; 651, 28. — *Varronem inter hunc Romulum vel Quirinum et antiquissimum Sabinorum deum (de quo vd.* L. L. V 73 sq. 68, Rer. Hum. IV fr. 7 Mirsch. *ap.* Dion. Hal. II 48) *discrevisse ipse hic Tertulliani locus docere videtur.*

14 *Vd. quaest. II p. 65 sqq. 81. Inter Latinorum heroes a Romulo consecratos hunc deum enumerat* Varr. R. D. I fr. 39. *Rei illustrandae causa praebeantur, quae e Varr. de gent. Pop. Rom. II desumpta,* Augustinus *refert* C. D. XVIII 15: Pici patrem Stercen fuisse adseverant, a quo peritissimo agricola inventum ferunt, ut fimo animalium agri fecundarentur, quod ab eius nomine stercus dictum; hunc quidam Stercutium vocatum ferunt . . . . . certe tamen hunc Stercen sive Stercutium merito agriculturae fecerunt deum. — *Ex hoc R. D. XV loco hausisse videtur* Lact. I. D. I 20, 35: Stercutus, qui stercorandi agri rationem primus induxit; *e quo pendet* Is. or. XVII 1, 3 in. *Sed unde Isidorus ea sumpserit*

*Tert. ad nat. II 9 p. 112, 28 sq.: [[Si Faunus, Pici filius, 15 in ius agitabatur mente ictus, curari eum magis quam consecrari decebat.]]

*Tert. ad nat. II 9 p. 113, 2 sqq.: [[Si Fauni filia pudicitia 16a

---

nescio quae subinde dicit: Cuius ara a Pico dedicata est. Hic plura instrumenta agriculturae repperit primusque agros fimavit. Eumdem quidam Saturnum putaverunt, ut maiorem illi nobilitatem facerent hoc nomine, quo splendide sonaret. *Certe Saturnum cum Stercutio Varro non aequavit neque Augustinus, cum eos aequat, e Varrone hausit, sed e Vergilio vel Vergilii commentatore, qui, ut* Macr. Sat. I 7, 25, *Hygini sententiam probavit. — Hoc loco Varro fortasse alium deum a Romulo consecratum tractavit, Pilumnum dico, de quo videas, quid commemorent* Isid. or. IV 11, 6 (*cf. Kettn. Varr. Stud. p. 27 sqq.*), Serv. gen. Aen. IX 4, Serv. interp. Aen. X, 76. *Cf. R. D. XIV fr. 61.*

15 *Vd. quaest. II p. 79 sqq. 81. Faunum, heroem Latinum, a Romulo consecratum refert* Varro R. D. I fr. 39, *vaticinatorem eum docet* R. D. I fr. 22e (cf. 23) *et in libro* de gente Pop. Rom. II *ap.* Aug. C. D. XVIII 15; *cf.* L. L. VI 52, VII 36, *qui loci, ut ad intellegenda Tertulliani verba satis apti, hic proponantur:* L. L. VI 52: A fando dictum Fatum et res Fatales. Ab hac eadem voce . . ., qui futura praedivinando soleant fari, Fatidici; dicti idem Vaticinari, quod vesana mente faciunt; sed de hoc post erit usurpandum, quom de poetis dicemus. Ib. VII 36: Fauni dei Latinorum, ita ut Faunus et Fauna; hos versibus, quos vocant Saturnios, in silvestribus locis traditum est solitos fari, (a) quo fando Faunos dictos. *Similia sed multo plura, quam quae his Varronis locis leguntur occurrunt ap.* Serv. gen. Aen. VII 47, Serv. interp. Aen. VIII 314, ge. I 10, Prob. pers. ge. I 10, *quae nescio an ad Labeonem referenda sint; nam Cincius quidem et Cassius* (*ap.* Serv. int. ge. I 10) *illum resipiunt. Quare quamquam ibi Varroniana non pauca inesse possunt, tamen certi quidquam affirmari vix nequit; sed loci digni videntur esse, qui exscribantur;* Serv. gen. Aen. VII 47: Quidam deus est Fatuclus; huius uxor est Fatua. Idem Faunus et eadem Fauna. Dicti autem sunt Faunus et Fauna a vaticinando i. e. a fando, unde et fatuos dicimus inconsiderate loquentes. Serv. interp. Aen. VIII 314: Faunus Pici filius dicitur, qui a fando, quod futura praediceret, Faunus appellatus est — Fauni filia —. Hos Faunos etiam Fatuos dicunt, quod per stuporem divina pronuntiant. Quidam Faunum appellatum volunt, quem nos propitium dicimus. Id. ge. I 10: Praesentia numina Fauni] praesentia: quoniam dicuntur usque ad ea tempora, quibus fuit Faunus, qui dictus est a fando, visa esse numina. Quidam Faunos putant dictos ab eo, quod frugibus faveant. Cincius et Cassius aiunt ab Euandro Faunum deum appellatum, ideoque aedes sacras, Faunas primo appellatas, postea fana dicta; et ex eo, qui futura praecinerent, Fanaticos dici. Prob. ge. I 10: Eundem Pana, eundem Inuum, eundem Faunum quidam interpretantur, quod in Italia quidam annuum sacrum celebrant, quidam menstruum. Existimatur autem fuisse Faunus rex Aboriginum, qui cives suos mitiorem vitam docuerit ritu ferarum viventes et aedificia quaedam lucosque sacraverit, a quo et fana sunt dicta: ipse autem receptus in deorum numerum creditur. Itaque et oraculum eius in Albunea Laurentinorum silva est. — *E* Serv. gen. ecl. II 31, *ut* Isidor. or. VIII 11, 81—83 *et* Serv. gen. Aen. VIII 601, *pendet* myth. Vat. III 8, 2, *nisi quod ad verba:* 'Pan deus est naturae et interpretatur omne' *adiungit*: ut dicit Varro, qui de deorum potestate tractat et naturis, *quod unde hauserit nescio; dubito num ei ulla fides habenda sit.*

16 *Vd. quaest. II p. 79 sqq. 81, quaest. IV p. 115 sq. Macrobium*

praecellebat, ut ne conversaretur quidem inter viros .... rubore insaniae paternae, quanto dignior Bona Dea Penelopa . . .]

†16b Macr. Sat. I 12, 27: Fauna apud Graecos ἡ θεὸς γυναικεία dicitur, quam Varro Fauni filiam tradit adeo pudicam ut extra γυναικωνῖτιν numquam sit egressa nec nomen eius in publico fuerit auditum nec virum umquam viderit vel a viro visa sit, propter quod nec vir templum eius ingreditur.

†16c Lact. I. D. I 22, 9: Faunam Varro scribit tantae pudicitiae fuisse, ut nemo eam quoad vixerit praeter virum suum mas viderit nec nomen eius audierit.

17 *Tert. ad nat. II 9 p. 113, 6 sq.: Est et Sanctus propter hospitalitatem a rege T. Tatio fanum consecutus.

18a Aug. C. D. VI 7 p. 259, 1 sqq.: Herculis aedituus otiosus atque feriatus lusit tesseris secum utraque manu alternante, in una con-

---

Tert. 1 ruborae *A*
Macr. 3 H *Gudianus*: *om. B*, O *P* 3 ΓΥΝΑΙΚΕΙΑ *B* 4 *** tradit *P* 4 ΓΥΝΑΙΚΩΝΙΤΙΝ *B* 6 uiderit nec *P*
Tert. 12 T. Tatio *Prellerus Röm. Myth. II*[3] *p. 273, 4*: Plotio *A*
Aug. 13 hercolis *C*[1]

---

et Lactantium ad eundem Varronis locum redire per se patet. — Cf. Macr. Sat. I 12, 24 sq.: Nec non eandem (sc. Bonam deam vel Faunam) Fauni filiam dicunt obstitisseque voluntati patris in amorem suum lapsi, ut et virga myrtea ab eo verberaretur, cum desiderio patris nec vino ab eodem pressa cessisset. Transfigurasse se tamen in serpentem pater creditur et coisse cum filia. Horum omnium haec proferuntur indicia; quod virgam myrteam in templo haberi nefas sit, quod super caput eius extendatur vitis, qua maxime eam pater decipere temptavit, quod vinum in templum eius non suo nomine soleat inferri, sed vas in quo vinum inditum est 'mellarium' nominetur et vinum 'lac' nuncupetur, serpentesque in templo eius nec terrentes nec timentes indifferenter appareant. *Quo de loco cf. quaest. IV p. 116. — Varroniana videntur inesse huic loco*: Serv. int. Aen. VIII 314: Faunus habuisse filiam dicitur †omam castitate et disciplinis omnibus eruditam, quam quidam quod nomine dici prohibitum fuerat, Bonam deam appellatam volunt. *De* Plutarchi *loco* Q. R. 20 *Varroni non tribuendo vd.* P *Glaesser de Varr. doctr. ap. Plut. vest. Leipz. Stud. 4 p. 168 sq. — Ad Varronis Rer. Hum., non Div., libros refero Prop. IV 9.*

17 *Vd. quaest. II p. 79 sqq. 81. De huius dei Sabina origine omnes veterum auctores inter se consentiunt; Sabinorum eum regem fuisse legitur etiam apud* Aug. C. D. XVIII 21 = Varro de gent. P. R. III fr. †3 *Kettn.*: Sabini etiam regem suum primum Sancum sive, ut aliqui appellant, Sanctum rettulerunt in deos; *cf.* Dion. Hal. II 49: Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σαβίνου τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου. Aelius *ap.* Varr. L. L. V 66 Sancum *aequat cum* Dio Fidio et Hercule, Festus p. 229, 12 sqq. cum Hercule, p. 241, 2 *cum* Dio Fidio, Propertius IV 9, 73 sq. *cum* Hercule, Ovidius fast. VI 213 sqq. *cum* Semone et Fidio; *Varronem de hac re aliquid dixisse veri non dissimile est, sed quid dixerit, nescitur. — De 'hospitalitate' cf.* Fest. p. 229, 12: Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est deus. — *De Sanci fano cf.* Ov. fast. VI 217 sq. *Prell.-Iord. Röm. Myth. II*[3] *p. 274.*

18 *Vd. quaest. II p. 79 sq. — Cf.* Macr. Sat. I 10, 11—15:

stituens Herculem in altera se ipsum, sub ea condicione, ut si ipse vicisset, stipe templi sibi coenam pararet amicamque conduceret; si autem victoria Herculis fieret, hoc idem de pecunia sua voluptati Hercules exhiberet; deinde cum a se ipso tamquam ab Hercule victus esset, debitam cenam et nobilissimam meretricem Larentinam deo Herculi dedit. At illa cum dormisset in templo, vidit in somnis Herculem sibi esse commixtum sibique dixisse, quod inde discedens, cui primum iuveni obvia fieret, apud illum esset inventura mercedem, quam sibi credere deberet ab Hercule persolutam. Ac sic abeunti, cum primus iuvenis ditissimus Tarutius occurrisset eamque dilectam secum diutius habuisset, illa herede defunctus est. Quae amplissimam adepta pecuniam ne divinae mercedi videretur ingrata, quod acceptissimum putavit esse numinibus, populum Romanum etiam ipsa scripsit heredem, atque illa non comparente inventum est testamentum; quibus meritis eam, ferunt etiam honores meruisse divinos.

---

1 hercolem C^1 5 larentinam *Cl*: laurentinam *A* 6 dormisset *Cl*: dormivisset *Dombartus* 8 obuiam *l* 10 tarucius *l* 11 heredefunctus *l* 14 ipsa, m *post* a *eras.*, *C*

Ferunt regnante Anco aedituum Herculis per ferias otiantem deum tesseris provocasse ipso utriusque manum tuente, adiecta condicione ut victus cena scortoque multaretur. Victore itaque Hercule illum Accam Larentiam nobilissimum id temporis scortum, intra aedem inclusisse cum cena eamque postero die distulisse rumorem, quod post concubitum dei accepisset munus, ne commodum primae occasionis cum se domum reciperet, offerendae aspernaretur. Evenisse itaque ut egressa templo mox a Carutio capto eius pulchritudine compellaretur. Cuius voluntatem secuta adsumptaque nuptiis post obitum viri omnium bonorum eius facta compos, cum decederet populum Romanum nuncupavit heredem. Et ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo urbis sepulta est ac sollemne sacrificium eidem constitutum, quo dis Manibus eius per flaminem sacrificaretur, Iovique feriae consecratae. Plut. Rom. 5: (Ἑτέραν δὲ τιμῶσι Λαρεντίαν ἐξ αἰτίας τοιαύτης.) Ὁ νεωκόρος τοῦ Ἡρακλέους ἀλύων, ὡς ἔοικεν, ὑπὸ σχολῆς προὔθετο πρὸς τὸν θεὸν διακυβεύειν, ὑπειπών, ὅτι νικήσας μὲν αὐτὸς ἕξει τι παρὰ τοῦ θεοῦ χρηστόν, ἡττηθεὶς δὲ τῷ θεῷ τράπεζαν ἄφθονον παρέξει καὶ γυναῖκα καλὴν συναναπαυσομένην. Ἐπὶ τούτοις τὰς μὲν ὑπὲρ τοῦ θεοῦ τιθείς, τὰς δ' ὑπὲρ αὐτοῦ ψήφους ἀνεφάνη νικώμενος. Εὐσυνθετεῖν δὲ βουλόμενος καὶ δικαιῶν ἐμμένειν τοῖς ὁρισθεῖσι, δεῖπνόν τε τῷ θεῷ παρεσκεύασε καὶ τὴν Λαρεντίαν οὖσαν ὡραίαν οὔπω δὲ ἐπιφανῆ μισθωσάμενος, εἱστίασεν ἐν τῷ ἱερῷ, κλίνην ὑποστορέσας καὶ μετὰ τὸ δεῖπνον συνεῖρξεν, ὡς δὴ τοῦ θεοῦ ἕξοντος αὐτήν. Καὶ μέντοι καὶ τὸν θεὸν ἐντυχεῖν λέγεται τῇ γυναικὶ καὶ κελεῦσαι βαδίζειν ἕωθεν ἐπὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὸν ἀπαντήσαντα πρῶτον ἀσπασαμένην ποιεῖσθαι φίλον. Ἀπήντησεν οὖν αὐτῇ τῶν πολιτῶν ἀνὴρ ἡλικίας τε πόρρω ἥκων καὶ συνειλοχὼς οὐσίαν ἱκανήν, . . . ὄνομα Ταῤῥούτιος. Οὗτος ἔγνω τὴν Λαρεντίαν καὶ ἠγάπησε, καὶ τελευτῶν ἀπέλιπε κληρονόμον ἐπὶ πολλοῖς καὶ καλοῖς κτήμασιν, ὧν ἐκείνη τὰ πλεῖστα τῷ δήμῳ κατὰ διαθήκας ἔδωκε. Λέγεται δὲ αὐτὴν ἔνδοξον οὖσαν ἤδη καὶ θεοφιλῆ νομιζομένην ἀφανῆ γενέσθαι περὶ τοῦτον τὸν τόπον ἐν ᾧ καὶ τὴν προτέραν ἐκείνην Λαρεντίαν κεῖσθαι. Καλεῖται δὲ νῦν ὁ τόπος Βήλαυρον. Plut. Q. R. 35: Ζάκορός τις Ἡρακλέους, ὡς ἔοικεν, ἀπολαύων σχολῆς, ἔθος εἶχεν ἐν πεττοῖς καὶ κύβοις τὰ

18b Tert. ad. nat. II 10: Laren⟨tin⟩a scortum meritorium fuit, *sive dum Romuli nutrix ⟨et id⟩eo lupa quia scortum* sive dum Herculis amica est et ⟦iam mortui Her⟨culi⟩s id est iam dei.⟧ Nam ferunt aedituum eius solum forte in aede calculis lu⟨den⟩tem, ut sibi conlusorem, quem non habebat, repraesentaret, una manu ⟨Her⟩culis nomine, alia ex sua persona lusum inisse, si ipse vicisset, cenulam ⟨et sc⟩ortulum ex stipibus Herculis sumeret, si vero Hercules, id est manus al⟨tera⟩, eadem Herculi exhiberet. Vicit manus Herculis ... Aedituus cenam Herculi dependit, ⟨scortu⟩m Larentinam conducit; cenat ignis ... ⟨et om⟩nia ara consumpsit. Larentina in aede sola dormit: ⟦⟨mulier⟩ de lenonio ludo iactitat se somniis Herculi functam, et po⟨tuit, dum⟩ animo contemplatur, somnio pati⟧. Eam de aede progredi⟨entem⟩ mane primo quidam adulescens, Tarutius, alter quod aiunt Hercules, concupiscit, ad se ⟨invitat. Illa obsequitur, ⟦memor commodo fore⟩, id dictum sibi ab Hercule⟧, utique i⟨mpetrat, ut legitimo connubio commis⟩ceantur ...: ⟨coniux here⟩dem quoque scribit. Mox illa prop⟨e mortem populo Romano legavit, quem⟩ per Herculem fuerat insecuta, agrum ⟨satis amplum. Hinc quaesivit⟩ divinitatem ... divina Larentina.

Tert. 1 Larentina *Goth* meritorium *Rig.*: meritorum *A* 2 et ideo *Goth* 4 edituum *A* aede *Goth*: ae *A* ludentem *Goth* 5 conlusorem *Goth*: conclusorem *A* 7 et scortulum *Goth*: et *lac.* 3 *litt.* rtulum *Goth** stipibus *Oehlerus*: stipitibus *A* 8 altera *Goth* 9 caenam *A* scortum *Goth* 10 et omnia *Oehlerus* 11 mulier *Goth*: et mulier *Oehlerus* 12 Herculi *Rig*: herculis *A* potuit, dum *Goth* 13 progredientem *Goth* 14 Tarutius alter *Zielinski quaest. com. p. 83*: tertius *A* 15 inuitat. illa obsequitur memor commodo fore *Oehlerus*: compellat: Larentia obsequitur, nempe *Goth* 16 impetrat, ut legitimo connubio *Oehlerus*: et legitimo connubio *Goth* commisceantur *Oehlerus*: centaur *A*, commiscentur *Goth* 17 coniux heredem *Oehlerus*: inde Larentinam et heredem *Goth* 17 *sq.* prope mortem populo Romano legavit quem *Oehlerus*: prope mortem populo Romano reliquit, quae *Goth* 18 *sq.*: satis amplum. hinc quaesivit *Oehlerus*: Turacem Semurium Lutirium Solinium. hinc quaesivit *Goth; nomina desumpsit e Macr. Sat. I 10, 16.*

πολλὰ διημερεύειν. Καί ποτε τῶν εἰωθότων παίζειν σὺν αὐτῷ καὶ μετέχειν τῆς τοιαύτης διατριβῆς, κατὰ τύχην μηδενὸς παρόντος, ἀδημονῶν, τὸν θεὸν προὐκαλεῖτο διαβαλέσθαι τοῖς κύβοις πρὸς αὐτὸν ὥσπερ ἐπὶ ῥητοῖς, νικήσας μὲν εὑρέσθαι τι παρὰ τοῦ θεοῦ χρηστόν, ἂν δὲ λειφθῇ, δεῖπνον αὐτὸς τῷ θεῷ παρασχεῖν καὶ μείρακα καλὴν συναναπαυσομένην. Ἐκ τούτου δὲ τοὺς κύβους προθέμενος τὴν μὲν ὑπὲρ αὑτοῦ, τὴν δὲ ὑπὲρ τοῦ θεοῦ βαλὼν ἐλείφθη. Ταῖς οὖν προκλήσεσιν ἐμμένων τράπεζάν τε λαμπροτέραν παρεσκεύασε τῷ θεῷ καὶ τὴν Λαρεντίαν παραλαβὼν ἐμφανῶς ἑταιροῦσαν εἱστίασε καὶ κατέκλινεν ἐν τῷ ἱερῷ καὶ τὰς θύρας ἀπιὼν ἔκλεισε. Λέγεται δὲ νύκτωρ ἐντυχεῖν αὐτῇ τὸν θεὸν οὐκ ἀνθρωπίνως καὶ κελεῦσαι βαδίζειν ἕωθεν εἰς ἀγοράν, ᾧ δ' ἂν ἐντύχῃ πρώτῳ, προσέχειν μάλιστα καὶ ποιεῖσθαι φίλον. Ἀναστᾶσαν οὖν τὴν Λαρεντίαν βαδίζειν καὶ συντυχεῖν τινι τῶν πλουσίων... ὄνομα Ταῤῥουντίῳ, γνωρισθεῖσαν δὲ τούτῳ καὶ ζῶντος ἄρχειν τοῦ οἴκου καὶ κληρονομῆσαι τελευτήσαντος. Ὕστερον δὲ χρόνοις αὐτὴν τελευτῶσαν τῇ πόλει τὴν οὐσίαν ἀπολιπεῖν, διὸ τὰς τιμὰς ἔχειν ταύτας. *Quos locos, quamvis magna ex parte ad hunc Varronis locum redeant, tamen quoniam*

Arnob. IV 3 p. 143, 13 sqq.: Quod abiectis infantibus (sc. Romulo et Remo) pepercit lupa non mitis, Luperca dea est auctore appellata Varrone ... *Praestana est dicta, quod Quirinus in iaculi missione cunctorum praestiterit viribus; et quod Tito Tatio, Capitolinum ut capiat collem, viam pandere atque aperire permissum est, dea Panda est appellata vel Pantica ... ⟦Nisi Romulus tenuisset teli traiectione Palatium, nique Tarpeiam rupem rex Sabinus potuisset accipere, nulla esset Pantica, nulla Praestana esset*.⟧ † 19

Serv. int. Aen. VIII 564: Feroniam Varro Libertatem deam dicit, Feroniam quasi Fidoniam. † 20

Charis. Inst. Gramm. I (K. G. L. I p. 147, 1 sq.). Varro Antiquitatum rerum divinarum decimo quinto· Volgus rumorem. 21

Arnob. 5 ut *add. Sab.* capiat] caperet *Urs* 7 nique *Gel.*: neque *P* 8 Praestana esset *Salm*: praestana ē *P*

---

non modo in nominibus sed etiam in rebus aliquantum ab Augustino et Tertulliano differunt, in fragmentis collocare nolui. De re cf. Mommsen Röm. Forsch. II p. 1 sqq., Zielinski Quaest. com. cap. VI Petrop. 1881, E Baehrens N. Jahrb. f. Phil. 1885 CXXXI p. 777 sqq. Glaesser Varr. doct. ap. Plut. vest. Leipz. Stud. IV p. 200 sqq. E Tertulliano conclusi Varronem praeter propriam suam de Larentina sententiam et alteram illam praebuisse, secundum quam eam Romuli nutricem fuisse putabatur, neque tamen huc referenda esse censeo ea, quae de hac re leguntur ap. Plut. Rom. 4: Εἶναι δὲ τοιαύτην τὴν Φαυστύλου γυναῖκα *eqs. et* Quaest. Rom. 35: Ἄλλην γὰρ εἶναι Λαρεντίαν Ἄκκαν ἱστοροῦσι *eqs.*

19 *Vd. quaest. IV p. 123,* R. D. I fr. 36 *adn. Cf.* Varr. de vita P. R. I *ap.* Non. 44, 7 sqq.: Hanc deam (sc. Pandam) Aelius putat esse Cererem; sed quod in asylum qui confugissent, panis ⟨is⟩ daretur, esse nomen fictum a pane dando⟨, et quod nunquam fanum talibus clauderetur⟩ (dictum) pandere, quod est aperire. *Verba uncis* ⟨ ⟩ *inclusa rectissime L Müller e Nonianae adnotationis priore parte remota alteri parti tribuit.*

20 *Fortasse ad Varronem etiam priora Commentatoris redeunt verba*: In Feroniae templo Tarracinae sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat 'bene meriti sedeant, surgant liberi.' — *Ceterum haec Varronem etiam alibi dixisse posse non nego.*

M. Terenti Varronis Antiquitatum Rerum Divinarum Liber XVI
De Diis Praecipuis atque Selectis.

1 Aug. C. D. VII 2 p. 274, 8 sqq.: Hos deos selectos Varro unius libri contextione commendat: Ianum, Iovem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum patrem; Tellurem, Cererem, Iunonem, Lunam, Dianam, Minervam, Venerem, Vestam. In quibus omnibus ferme viginti 5 duodecim mares, octo sunt feminae.

2 Aug. C. D. VII 5 p. 281, 13 sqq.: De naturali (sc. theologia) paucissima praeloquitur (sc. Varro) in hoc libro, quem de diis selectis ultimum scripsit; ⟦in quo videbimus, utrum per interpretationes physiologicas ad hanc naturalem possit referre civilem⟧. Cf. C. D. 10 VII 27 p. 309, 12 sqq.: ⟦Ipsas physiologias cum considero, quibus docti et acuti homines has res humanas conantur vertere in res divinas . . .⟧ C. D. VII 33 p. 316, 12 sqq.: Deorum selectorum sacra Varro dum quasi ad naturales rationes referre conatur . . .

3 Aug. C. D. VII 6 p. 281, 31 sqq.: Dicit idem Varro . . . de 15 naturali theologia praeloquens deum se arbitrari esse animam mundi, quem Graeci vocant κόσμον, et hunc ipsum mundum esse deum; sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem: ita mundum deum dici ab animo, cum sit ex animo et corpore. ⟦Hic videtur quoquomodo unum confiteri deum, 20 sed ut plures etiam introducat, adiungit⟧ mundum dividi in duas partes, caelum et terram, et caelum bifariam in aethera et aera,

---

Aug. 8 sqq. in hoc libro — civilem *Dombartus*: in hoc libro; videbimus in quo — civilem, quam diis selectis ultimam scripsit *Cl cett. codd.* 10 possit ad hanc naturalem *C* 17 chosmon 1

Tit.: Aug. C. D. VI 3 (= Varr. R. D. I fr. 5): Sunt autem omnes rerum divinarum libri sedecim . . . In tribus, qui restant, dii ipsi sequuntur . . . in tertio dii praecipui atque selecti. C. D. VII 1 p. 273, 14 sqq.: Fieri enim potest, ut saltem deos selectos atque praecipuos, quos Varro volumine complexus est ultimo . . . *Cf. R. D. XVI fr. 2. 17.*

2 *Vd. quaest. I p. 24 sq. II 76. Huius Varronis loci Augustinum meminisse apparet, cum scriberet* Contr. Faust. Man. XII 40: Nec Pagani nobis in hoc obstrepunt, cum fabulas suas, ut aliquo modo commendent, ad nescio quas physiologias vel theologias, id est rationes naturales vel divinas referre conentur.

3 *Vd. quaest. I p. 25. 35. De divisione mundi cf.* Varr. L. L. V 16; *de re cf.* Cic. N. D. II 15, 42; Stob. ecl. I 1 (= Aet. plac. I 7, 30 *Diels dox.* p. 304, 1 sqq.) *alios; de Laribus cf.* Varr. R. D. XV fr. 8, *de geniis* Varr. R. D. XVI fr. 4.

terram vero in aquam et humum; e quibus summum esse aethera, secundum aera, tertiam aquam, infimam terram. Quas omnes partes quattuor animarum esse plenas, in aethere et aere inmortalium, in aqua et terra mortalium: ab summo autem circuitu caeli ad circulum lunae aetherias animas esse astra ac stellas, eos caelestes deos non modo intellegi esse, sed etiam videri; inter lunae vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aerias esse animas, sed eas animo, non oculis, videri et vocari heroas et lares et genios. *Priora verba repetit* C. D. VII 9 p. 286, 20 sqq. *et ad haec adludit* C. D. VII 29 p. 312, 15 sqq.: ⟦Nos Deum colimus, non caelum et terram, quibus duabus partibus mundus hic constat⟧ (*cf.* fr. 4); C. D. VIII 1 p. 321, 9—16: Varro totam theologian naturalem usque ad mundum istum vel animam eius extendere potuit, ⟦isti vero (sc. Platonici) . . . confitentur Deum, qui non solum mundum istum visibilem, qui saepe caeli et terrae nomine nuncupatur . . ⟧ (*cf.* fr. 4); *item* de gen. ad. litt. III 9, 13 sq.: ⟦Nec ignoro quosdam philosophos sua cuiusque elementi distribuisse animalia ut terrena esse dicerent, non tantum quae in terra repunt atque gradiuntur, sed aves etiam quod et ipsae in terra requiescant volando fatigatae: aeria vero animalia daemones, coelestia deos . . . Iidem tamen aquis pisces et sui generis belluas attribuunt, ut nullum elementum suis animalibus vacet . . . Etsi daemones aeria sunt animalia, quoniam corporum aeriorum natura vigent, et propterea morte non dissolvuntur, quia praevalet in eis elementum, quod ad faciendum quam ad patiendum est aptius.⟧ Ib. VII 4, 6: ⟦Si ergo Deum diceremus tanquam corporei huius mundi animam, cui mundus ipse esset tanquam corpus unius animantis . . .⟧ Ib. VII 12, 19: ⟦Unde supra diximus . . . si animam mundi tanquam unius maximi animantis Deum crederemus . . .⟧ Id. de ver. rel. 2, 2: ⟦Simul et illos, qui mundum istum visibilem summum Deum opinabantur . . . .: unum Deum quaererent . . ., a quo omnem animam et totum istum mundum fabricatum esse constaret.⟧ Ib. 54, 109: ⟦Non sit nobis religio terrarum cultus et aquarum, quia istis purior et lucidior est aer etiam caliginosus, quem tamen colere non debemus. Non sit nobis religio etiam purioris aeris et serenioris cultus, . . . et purior illo est fulgor ignis etiam huius, quem tamen . . . colere utique non debemus. Non sit nobis religio cultus corporum aethereorum atque coelestium, quae quamvis ceteris corporibus recte praeponantur, melior tamen ipsis est quaecunque vita⟧ (*quae sequuntur invenies in fragmento 4*); De doctr. Christ. I 1, 7: ⟦Illi, qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum coelum aut quod in coelo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum deum deorum esse arbitrantur⟧ *cf.* fr. 4. *Adludit etiam*

---

1 sq. terram — aethera, *man. 2 in marg.*, *l* 4 ∵ad, ∵usq; *man. 2 in marg.*, *C* 5 *et* 7 aetherias . . . aerias C l AKF: aethereas . . . aereas *ed. Par. Duebn.*

Seneca ap. Aug. C. D. VI 10 p. 267, 20 sqq., *cum ait:* ⟦Hoc loco dicit aliquis: Credo ego caelum et terram deos esse et supra lunam alios, infra alios?⟧

4 Aug. C. D. VII 23 p. 301, 22 sqq.: Idem Varro in eodem de diis selectis libro tres esse adfirmat animae gradus in omni universaque natura: unum, qui omnes partes corporis, quae vivunt, transit et non habet sensum, sed tantum ad vivendum valetudinem; hanc vim in nostro corpore permanare dicit in ossa ungues capillos; sicut in mundo arbores sine sensu aluntur et crescunt et modo quodam suo vivunt. Secundum gradum animae, in quo sensus est; hanc vim pervenire in oculos aures nares os tactum. Tertium gradum esse animae summum, quod vocatur animus, in quo intellegentia praeminet; hoc praeter hominem omnes carere mortales. Hanc partem animae mundi dicit deum, in nobis autem genium vocari. Esse autem in mundo lapides ac terram, quam videmus, quo non permanat sensus, ut ossa, ut ungues dei. Solem vero lunam stellas, quae sentimus quibusque ipse sentit, sensus esse eius, aethera porro animum eius; cuius vim, quae pervenit in astra, ea quoque facere deos, et per ea quod in terram permanat, deam Tellurem; quod autem inde permanat in mare atque Oceanum, deum esse Neptunum. *Cf.* C. D. VII 22 p. 300, 26 sq. VII 23, p. 301, 16 sq. C. D. VII 13, p. 291, 7 sqq.: Alio loco *(sc. atque huius libri fr. 29)* genium dicit (*sc.* Varro) esse uniuscuiusque animum rationalem et ideo esse singulos singulorum, talem autem mundi animum deum esse: ad hoc utique revocat, ut tamquam universalis genius ipse mundi animus esse credatur. C. D. VII 17 p. 296, 4 sqq.: Sciebat (sc. Varro) esse mundum, esse caelum et terram *(vd. fr. 3),* caelum sideribus fulgidum, terram seminibus fertilem atque huiusmodi cetera; sicut hanc totam molem atque naturam vi quadam invisibili ac praepotenti regi atque administrari certa animi stabilitate credebat ... C. D. VII 30 p. 312, 31 sq.: ⟦Nos illum Deum colimus, ... qui rationalem animam, quod dicitur animus, quibus voluit viventibus indidit⟧. — *Ad hunc locum adludit* Aug. de vera rel. 54, 109 sq. (*cf. fr. 3*): ⟦Quapropter si animalia sunt (sc. corpora aetherea), melior est

---

6 qui] quod *Cl* 8 permanere l^1 16 *alterum* ut, *man. 1 supr. lin., C* 16 dei *om. C* 18 animum eius; cuius *Dombartus*: animum et cuius *CA*, animum cuius *l*, animum eius K^1, animum e cuius K^2 vim *Dombartus*: ui *Cl* AK^2F, *om.* K^1 ea quoque *Dombartus*: eam quoque Cl AKF 19 per eam *l* 23 rationalem, *man. 2 in marg., l* 27 esse *ante* mundum *om. l* 29 ui] ut *C*

---

4 *Vd. quaest. I p. 25 sqq. Cf.* R. D. I fr. 13 sqq. 25. *Comparandus est etiam locus* Varr. L. L. V 80—105 (*non una* § 102, *ut Schwarzius vult*): 80—94 de hominibus, 95—101 de pecore, 102—104 de animalibus, quae vivere dicuntur neque habere animam, ut virgulta, 104 *sq.* de eis, quae manu facta sunt. — *Eadem docet* Posidonius *ap.* Diog. Laert. VII 138; Cic. N. D. II 12, 33; *vd. quaest. III p. 89.*

quaevis anima per se ipsam, quam corpus quodlibet animatum. Non sit nobis religio cultus illius vitae, qua dicuntur arbores vivere, quoniam nullus sensus in ea est; et ex eo genere est ista, qua nostri etiam corporis numerositas agitur, qua etiam capilli et ossa vivunt, quae sine sensu praeciduntur; hac autem melior est vita sentiens, et tamen vitam bestiarum colere non debemus. Non sit nobis religio vel ipsa perfecta et sapiens anima rationalis, sive in ministerio universitatis, sive in ministerio partium stabilitate, sive quae in summis hominibus expectat commutationem reformationemque portionis suae]]; de doctr. Christ. I 1, 8 *(cf. fr. 3)*: [[Ipsam vitam pergunt inspicere et si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, praeponunt eis sentientem, qualis est pecorum, et huic rursus intellegentem, qualis est hominum]]; c. Faust. Man. XXII 19: [[Pagani Dei providentia istam universitatem regi et administrari a summis usque ad ima concedunt]]; ib. XX 5: [[Coelum et terra, mare et aer, sol et luna, et caetera sidera, omnia haec manifesta oculis apparent, atque ipsis sensibus praesto sunt. Quae cum pagani tamquam deos colunt, vel tanquam partes unius magni dei; nam universum mundum quidam eorum putant maximum deum: ea colunt, quae sunt]]; de trin. VIII 7, 11: [[Quapropter qui quaerunt Deum per istas potestates, quae mundo praesunt vel partibus mundi ...]]; ib. XV 1, 1: Iam pervenimus ad eius (sc. Creatoris) imaginem, quod est homo, in eo, quo caeteris animalibus antecellit, id est ratione vel intellegentia, et quidquid aliud de anima rationali vel intellectuali dici potest, quod pertineat ad eam rem, quae mens vocatur vel animus, quo nomine nonnulli auctores linguae latinae id, quod excellit in homine et non est in pecore, ab anima, quae inest et pecori, suo quodam loquendi more distinguunt]]; ib. XV 5, 7: [[Haec autem vita (sc. Dei) non talis est, qualis inest arbori, ubi nullus est intellectus, nullus est sensus. Nec talis, qualis inest pecori: habet enim vita pecoris sensum quinquepartitum, sed intellectum habet nullum. At illa vita, quae Deus est, sentit atque intellegit omnia, et sentit mente, non corpore, quia spiritus est Deus. Non autem sicut animalia, quae habent corpora, per corpus sentit Deus; non enim ex anima constat et corpore.]]

†5 Mythogr. Vat. III p. 162: Varro dicit, quod unus idemque sit homo, a corpore tamen homo, ab anima sapiens dicitur. Ita ergo deus, cum unus idemque sit, in multis tamen per dispensationem sive diversitatem censetur vocabulis.

6 Aug. C. D. VII 5 p. 280, 9 sqq.: Varro dicit antiquos simulacra deorum et insignia ornatusque finxisse, quae cum oculis animad-

---

5 *Mythographo, quamvis unde hauserit nesciatur, tamen fidem non abrogandam esse ex fragmentis* 3 *et* 4 *apparet.*

6 *Vd. quaest. I p. 25.* *Cf.* R. D. I *fr.* 59; Plut. ep. I 7 (= Aet. plac. I 6, 16 *Diels. dox.* p. 297ᵃ, 3 sqq.).

vertissent hi, qui adissent doctrinae mysteria, possent animam mundi ac partes eius, id est veros deos, animo videre; quorum qui simulacra specie hominis fecerunt, hoc videri secutos, quod mortalium animus, qui est in corpore humano, simillimus est inmortalis animi; tamquam si vasa ponerentur causa notandorum deorum et in Liberi 5 aede oenophorum sisteretur, quod significaret vinum, per id quod continet id quod continetur: ita per simulacrum, quod formam haberet humanam, significari animam rationalem, quod eo velut vase natura ista soleat contineri, cuius naturae deum volunt esse vel deos. C. D. VII 5 p. 281, 9 sqq.: Fatetur interim vir iste doctissimus 10 animam mundi ac partes eius esse veros deos. C. D. VII 7 p. 286, 13 sq.: Deos veros animam mundi ac partes eius iste definivit. — *Hanc Varronis doctrinam cavillatur* Aug. Enarr. Psalm. XCVI 11: ⟦Sed existit nescio quis disputator, qui doctus sibi videbatur, et ait, non ego illum lapidem colo nec illud simulacrum, quod est sine 15 sensu . . . sed adoro quod video et servio ei quem non video. Quis est iste? Numen quoddam invisibile, quod praesidet illi simulacro⟧; Enarr. Psalm. CXIII 4: ⟦Videntur autem sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt nec simulacrum nec daemonium colo, sed per effigiem corporalem eius rei signum intueor, quam colere debeo. 20 Ita vero interpretantur simulacra, ut alio dicant significari terram, unde templum solent appellare Telluris, alio mare sicut Neptuni simulacro, alio aerem sicut Iunonis, alio ignem sicut Vulcani, alio Luciferum sicut Veneris, alio solem, alio lunam, quorum simulacris eadem nomina sicut Telluris imponunt. De quibus rursus, cum ex- 25 agitari coeperint, quod corpora colant, maximeque terram et mare et aerem et ignem . . . respondere audent non se ipsa corpora colere, sed quae illis regendis praesident numina⟧; De doctr. Christ. III 7, 11: ⟦Et si quando aliqui eorum illa tamquam signa interpretari conabantur, ad creaturam colendam venerandamque referebant. Quid 30 enim mihi prodest simulacrum Neptuni non ipsum habendum deum, sed eo significari universum mare vel etiam omnes aquas ceteras, quae fontibus prorumpunt?⟧

7 Aug. C. D. VII 17 p. 295, 22 sqq.: In tertio porro isto de diis selectis (sc. libro) posteaquam praelocutus est, quod ex na- 35 turali theologia praeloquendum putavit, ⟦ingressurus huius civilis theologiae vanitates . .;⟧ de diis, inquit (sc. Varro), populi Romani publicis, quibus aedes dedicaverunt eosque pluribus signis ornatos notaverunt, in hoc libro scribam, sed, ut

1 hi qui adissent, *man. 1 sup. lin. C* 2 ac *om. C* qui C^1: que C^2 5 si *om. l* libri *l* 6 ae deo enophorum *l*: otenophoram C^1, amphora *corr.* C^2 8 rationabilem *l* eo] eum *C* 11 *sq.* animam mundi, 'am' *man. 1 sup. lin., C* 36 theologiae *l*

7 *De Xenophanis loco vd.* Sext. Emp. adv. Math. VIII 326, *Mullach. fragm. phil.* p. 103, 14; *cf.* Galen. hist. phil. 3. 7.

Xenophanes Colophonius scribit, quid putem, non quid contendam, ponam. Hominis est enim haec opinari, dei scire.

Varro R. D. XVI fr. 43 ap. Aug. C. D. VII 28 p. 310, 30 sqq.: Varro inquit: Ut in superioribus initium fecimus a caelo, cum diximus de **Iano**, quem alii caelum, alii dixerunt esse mundum. 8a

Aug. C. D. VII 7 p. 282, 26 sq.: Ianus igitur, a quo sumpsit (sc. Varro) exordium, [[quaero quisnam sit. Respondetur]]: Mundus est. Id. C. D. VII 9 p. 286, 13; VII 10 in. VII 17 p. 296, 9. 8b

Aug. C. D. VII 7 p. 282, 28 sqq.: Ad Ianum dicuntur rerum initia pertinere, fines vero ad alterum, quem Terminum vocant. Nam propter initia et fines duobus istis diis duos menses perhibent dedicatos praeter illos decem, quibus usque ad Decembrem caput est Martius, Ianuarium Iano, Februarium Termino. Ideo Terminalia eodem mense Februario celebrari dicunt, cum fit sacrum purgatorium, quod vocant Februm; unde mensis nomen accepit. Ibid. p. 283, 18 sq., VII 9 p. 285, 25 sq. Id. C. D. VII 30 p. 312, 28 sqq.: [[Illum Deum colimus, qui naturis . . . et subsistendi et movendi initia finesque constituit.]] 9

Aug. C. D. VII 8 p. 283, 32 sqq.: Sed iam bifrontis (*sc.* Iani) simulacri interpretatio proferatur. Duas eum (sc. Ianum) facies ante et retro habere dicunt, quod hiatus noster, cum os aperimus, mundo similis videatur; unde et palatum Graeci οὐρανὸν appellant, et 'nonnulli', inquit (sc. Varro) 'poetae Latini caelum vocaverunt palatum, a quo hiatu oris et foras esse aditum ad dentes versus et introrsus ad fauces'. Cf. Aug. C. D. VII 4 p. 279, 30 sqq. 10

---

1 colophonius *Cl*: Colophonios *F Dombartus* scribit *Cl*: scripsit *Dombartus* 2 est enim *C*: enim est *l* 11 finis *C* 13 decem, *alt. e man. 2 in* j *mut.*, *C* 14 febroarium *l* 15 febroario *l*[1] 16 februm *ClAKF*; februum *ed. Par. Duebn.* 23 oranon *C*[1]*l*

---

8 *Qua de causa Preller (R. M. I*[3] *35, 2) apud* Augustinum C. D. VII 28 'Iove' *pro* 'Iano' *legerit, nescio.* — *De Tertulliani loco* ad nat. II 12 p. 119, 4 (= ap. 10 p. 155): 'Iano sive Iane, ut salii vocant' *vd. quaest. II p. 54.* — *De caelo vel mundo cf.* Prob. Verg. ecl. VI 31 p. 18, 2 *Keil*: Caelum pro igni ..., quem eundem mundum et κόϲμον dictum probat Varro in cynicis, quam inscripsit Dolium aut seria *eqs. Unde profecta sint, quae de Iano* Macrobius Sat. I 9, 2—18, Arnobius III 29, Serv. interp. Aen. VII 610, Laur. Lyd. de mens. IV 1 sqq. p. 50, 12 sqq. *e* Cornelio Labeone *referunt, exposui quaest. IV p. 117 sqq.* — Isidorus *quod* or. VIII 11, 37 *in. praebet*: Ianum dicunt quasi mundi vel coeli vel mensium ianuam, *nescio unde hauserit, cetera desumpsit ex* Aug. C. D. VII 8; *ex* Isid. l. l. *et* V 33, 3 sqq. *pendet* Plac. libr. Rom. p. 26, 15—17.

9 *De Ianuario et Februario cf.* Varr. L. L. VI 34. 13; Rer. Hum. lib. XVII (fr. 1 Mirsch.) *ap.* Cens. d. d. n. XXII 13.

10. 11 *Vd. quaest. I p. 27 sq. Cf.* Cic. N. D. II 18, 49: Caeli palatum, ut ait Ennius, *ubi Schoemannus adnotat*: Auch das griechische οὐρανόϲ bedeutet Gaumen und Himmel, und dieselbe Homonymie

11 *Aug. C. D. VII 8 p. 284, 20 sqq.: [. . . . aut si propterea verum est (sc. simulacrum Iani bifrontis), quia etiam nomine Orientis et Occidentis totus solet mundus intellegi . . .]

12 Aug. C. D. VII 8 p. 284, 15 sqq.: Cum vero eum faciunt quadrifrontem et Ianum geminum appellant, ad quattuor mundi partes 5 hoc interpretantur. Cf. Aug. C. D. VII 4 p. 279, 30 sqq.

13 Aug. C. D. VII 8 p. 284, 25 sqq.: [Non habent omnino, unde quattuor ianuas, quae intrantibus et exeuntibus pateant, interpretentur ad mundi similitudinem, sicut de bifronte (*sc.* Iano) quod dicerent saltem in ore hominis invenerunt, nisi Neptunus forte sub- 10 veniat et porrigat piscem, cui praeter hiatum oris et gutturis etiam dextra et sinistra fauces patent.]

14 Aug. C. D. VII 9 p. 285, 6 sqq.: [Iovem autem, qui etiam Iuppiter dicitur, quem velint intellegi, exponant.] 'Deus est', inquiunt, 'habens potestatem causarum, quibus aliquid fit in mundo'. 15 Ib. p. 285, 29 sqq.: Hunc sane deum, penes quem sunt omnes causae factarum omnium naturarum naturaliumque rerum, si Iovem populi appellant . . . Ib. p. 286, 7 sqq.: . . . quam istum deum dicere tonantem (*cf. fr. 18*) . . . et totum mundum regentem (*cf. fr. 15*), et naturarum omnium naturaliumque rerum causas summas habentem. 20 Aug. C. D. VII 30 p. 312, 30 sq.: [Illum deum colimus] qui rerum causas habet. Ib. p. 313, 15 sq.: . . . qui causas . . . principales . . . habet.

15 Aug. C. D. VII 9 p. 285, 11 sqq.: [Cur Iovi praeponitur Ianus? hoc nobis vir ille acutissimus doctissimusque respondeat.] 25 'Quoniam penes Ianum', inquit, 'sunt prima, penes Iovem summa. Merito ergo rex omnium Iuppiter habetur. Prima enim vincuntur a summis, quia, licet prima praecedant tempore, summa superant dignitate'.

16 Aug. C. D. VII 10 p. 287, 16 sqq.: [Cum et Ianus mundus 30 sit et Iuppiter mundus sit unusque sit mundus, quare duo dii sunt Ianus et Iuppiter? Quare seorsus habent templa, seorsus aras, diversa

---

9 bifronte *Cl A*: bifronti *KF* 14 vellent C^1 20 naturarum *Cl* naturam *Dombartus* 32 seorsum *(bis) l* habent templa seorsus *man. 1 sup. lin. C*

---

findet sich auch in anderen Sprachen, wie J. Grimm bemerkt in Haupts Zeitschr. f. deutsche Alterthum. VI p. 541. — *Alteram Iani bifrontis interpretationem praebent praeter alios* Ov. fast. I 137 sq., *et, cum aliis coniunctam,* Macrobius, Arnobius, Serv. interp. *locis in adn. 8 citatis; cf. etiam* Serv. int. Aen. I 294, Serv. gen. Aen. I 291, Aen. XII 198.

12. 13 *Vd. quaest. I p. 27 sq. Eandem quadrifrontis Iani interpretationem praeter alias praebet* Serv. interp. Aen. VII 610 (*cf.* adn. 8), *aliae leguntur ap.* Macr. l. l., Serv. gen. Aen. VII 607.

14. 15 *Cf.* R. D. I fr. 56—58.

16 *Vd. quaest. I p. 28. 22.*

sacra, dissimilia simulacra? Si propterea, quod alia vis est primordiorum, alia causarum, et illa Iani, illa Iovis nomen accepit ...⟧ C. D. VII 11 p. 288, 16 sqq.: ⟦Puto inter se propinquiora esse causas rerum atque primordia, propter quas res unum mundum duos deos esse voluerunt Iovem atque Ianum ...⟧

Aug. C. D. VII 16 p. 294, 31: Mundus ... Iuppiter et ... *caelum Iuppiter. Id. C. D. VII 19 p. 298, 10: *Caelum esse Iovem innumerabiliter et diligenter adfirmant. 17

Aug. C. D. VII 11 p. 288, 4 sqq.: Dixerunt Iovem Victorem, Invictum, Opitulum, Inpulsorem, Statorem, Centumpedam, Supinalem, Tigillum, Almum, Ruminum ⟦et alia quae persequi longum est. Haec autem cognomina inposuerunt uni deo propter causas potestatesque diversas ....⟧ quod omnia vinceret, quod a nemine vinceretur, quod opem indigentibus ferret, quod haberet inpellendi, statuendi, stabiliendi, resupinandi potestatem, quod tamquam tigillus mundum contineret ac sustineret, quod aleret omnia, quod ruma, id est mamma, aleret animalia. Cf. C. D. VII 14 p. 291, 28 sqq. 18

Aug. C. D. VII 12 p. 289, 20 sq.: 'Et Pecunia', inquit (sc. Varro), 'vocatur (sc. Iuppiter) quod eius sunt omnia'. Cf. C. D. VII 11 sub fin., p. 289, 11 sqq.: ⟦nisi et inter eius (sc. Iovis) alia cognomina legerem⟧, quod etiam Pecunia vocaretur. 19

Aug. C. D. VII 13 p. 290, 28 sq.: Quid est **Saturnus**? 'Unus', inquit (sc. Varro), 'de principibus deus, penes quem sationum omnium dominatus est'. Id. C. D. VII 15 p. 292, 29 sq.: Saturno dant non parvam substantiam, omnium videlicet seminum. C. D. VII 30 p. 312, 31. 20 a

---

1 dissi milia, 'dissi' *man. 1 (?) in ras., C* 10 inpultorem C[1]: inpulttorem l 11 almū, *man. 2 in marg., C* 15 resupinandi, *man. 1 sup. lin., C* 15 tigellus *C* 16 quod ruma] quorum ma *l* 19 nomina *l* 23 princibus *C* 23 omnium, *man. 1 sup. lin., C*

---

17 *Vd. quaest. I p. 28*; *cf.* R. D. XV fr. 3.

18 *De Iovis cognominibus vd. Preller I[3] p. 188 sqq., Wissow. ap. Marquardt., Röm. Staatsverw. p. 23, 1.*

19 *De dea Pecunia vd.* R. D. XIV fr. 98.

20 *Vd. quaest. II p. 82 quaest. IV p. 115. Cf.* Varr. R. D. XIV fr. 60; L. L. V 57: Principes dei Caelum et Terra ... Idem principes in Latio Saturnus et Ops. Ib. V 68 sq.: Poetae de caelo quod semen igneum cecidisse dicunt in mare *eqs.* Quare quod caelum principium, ab satu est dictus Saturnus ... Terra Ops, quod hic omne opus et hac opus ad vivendum; ideo dicitur Ops mater quia terra mater. — *Varroniana nonnulla per Labeonem accepisse videtur* Arnobius III 29: Si tempus significatur hoc nomine, Graecorum ut interpretes autumant, ut quod χρόνος est habeatur Κρόνος, nullum est Saturni nomen (*cf.* fr. 27). Ita ex ordine tolletur et iste caelestium, quem Caelo esse edito patre, magnorum esse procreatorem (*cf.* fr. 21[b]) deorum, vitisatorem falciferum vetustas edidit prisca et minorum transmisit aetati. *Ultima verba docent Arnobium ex ipso Varrone non hausisse, atque 'vitisator' illud et 'falcifer' profecto e* Verg. Aen. VII 179 *prodiit,*

20b *Tert. ad nat. II 12 p. 118, 10 sqq.: Latini vocabuli a sationibus rationem ⟨deducunt⟩, qui eum procreatorem coniectantur, per eum seminalia caeli ⟨in terram⟩ deferri. Opem adiungunt, quod opem vivendi semina confe⟨rant, tum et⟩ quod opere semina evadant. 5

20c *Macr. Sat. I 10, 20: Saturnum et Opem etiam nonnullis caelum ac terram esse persuasum est, Saturnumque a satu dictum, cuius causa de caelo est, et terram Opem, cuius ope humanae vitae alimenta quaeruntur, vel ab opere per quod fructus frugesque nascuntur. 10

21 Aug. C. D. VII 18 p. 296, 24 sqq.: Iste (sc. Varro) interpretatur ideo Saturnum patrem a Iove filio superatum, quod ante est causa, quae pertinet ad Iovem, quam semen, quod pertinet ad Saturnum. *Ad haec adludit* Aug. C. D. VII 17 p. 296, 10 sq.: Non potuit (sc. Varro) ... de Saturno invenire, quomodo et Iovis pater 15 esset et Iovi regnanti subditus factus esset.

22 Aug. C. D. VII 19 p. 297, 4 sqq.: 'Saturnum', inquit (sc. Varro), 'dixerunt, quae nata ex eo essent, solitum devorare, quod eo semina, unde nascerentur, redirent. Et quod illi pro Iove gleba obiecta est devoranda, significat', inquit, 'manibus humanis obrui 20 coeptas serendo fruges, antequam utilitas arandi esset inventa'. Id. C. D. VI 8, p. 261, 24 sqq.: Saturnum suos filios devorasse ... opinatur Varro, quod pertineat Saturnus ad semina, quae in terram, de qua oriuntur, iterum recidunt. Cf. C. D. VII 26 p. 307, 28 sqq.

Tert. 2 deducunt *Goth* 3 celi *A* in terram *Goth* 4 conferant, tum et *Goth*: confe *lac. 7 litt. A*, confe *lac. 6 litt.* et *Goth**; conferant uel et *Hartelius patr. Stud. III p. 60*

Macr. 7 persuasum est *(P)*: persuasum esse *ed. Eyssenhardt* 9 opere ** *p*

Aug. 13 quam] quem l[1] 18 quid dixerint *l* 24 rec///idunt, c *eras, l*: recidunt *C*[1], recidant *C*[2]

---

quod recte monuit Schwarz *l. l. p. 482 adn. 10°. Cetera quoque satis nota sunt; quam ob rem ea in fragmentis ponere nolui. — De Saturno et Ope simillima leguntur apud Verrium, vd.* Fest. p. 325, 8 sqq.: Is culturae agrorum praesidere videtur, quo etiam falx est ei insigne (*cf.* fr. 23) ... qui deus in saliaribus Saeturnus *(?)* nominatur videlicet a sationibus; Fest. p. 186, 19 sqq.: Opima spolia dicuntur originem quidem trahentia ab Ope Saturni uxore, quod ipse agrorum cultor habetur, nominatus a satu tenensque falcem effingitur (*cf.* fr. 23) quae est insigne agricolae. Itaque illa quoque cognominatur Consiva et esse existimatur terra. Ideoque in Regia colitur a populo Romano, quia omnes opes humano generi terra tribuat. *Samter, quaest. Varr. p. 7 sq. non sine ulla veritatis specie coniecit haec Verrium Varroni debere; sed dubito equidem, num antiquarius doctissimus, ut haec doceret, certum fontem adire opus habuerit; et si quem fontem adiit, de Rer. Div. opere nihil constat.* — Isidorus *quae* or. VIII 11, 30—33 *refert, partim ex* Aug. C. D. VII 18. 19, *partim e* Tert. ad nat. II 12, *partim e* Serv. gen. Aen. III 104 *sumpsit.*

Aug. C. D. VII 19 p. 297, 21 sqq.: 'Falcem habet', inquit (*sc.* Varro), 'propter agriculturam' ... Ideo priora eius tempora perhibentur, sicut idem ipse fabellas interpretatur, quia primi homines ex his vivebant seminibus, quae terra sponte gignebat. 23

Aug. C. D. VII 19 p. 297, 28 sqq.: Deinde (*cf. fr. 23*) ideo dicit (*sc.* Varro) a quibusdam pueros ei solitos immolari, sicut a Poenis, et a quibusdam etiam maiores sicut a Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum. Id. C. D. VII 26 p. 307, 30 sq.: Quod ei Poeni suos filios sacrificati sunt, non recepere Romani. 24

Aug. C. D. VII 19 p. 298, 5 sqq.: 'Quod Caelum', inquit (*sc.* Varro) 'patrem Saturnus castrasse in fabulis dicitur, hoc significat penes Saturnum, non penes Caelum semen esse divinum'. 25

Aug. C. D. VII 19 p. 298, 12 sqq.: Chronon appellatum dicit (*sc.* Varro), quod Graeco vocabulo significat temporis spatium, sine quo semen, inquit, non potest esse fecundum. 26

*Tert. ad nat. II 12 p. 118, 4 sqq.: Eleganter quidam sibi videntur physiologice per allegoricam ⟨argu⟩mentationem de Saturno interpretari tempus esse et ideo Caelum ⟨et Terr⟩am parentes, ut et ipsos origini nullos, et ideo falcatum, quia tempore ⟨omnia di⟩rimantur, et ideo voratorem suorum, quod omnia ex se edita ⟨in se i⟩psum consumat. Nominis quoque testimonium compellant: Κρό⟨νον dict⟩um Graece ut Χρόνον. *Aug. C. D. VI 8 p. 261, 24 sqq.: Saturnum filios suos devorasse ita nonnulli interpretantur, quod longinquitas temporis, quae Saturni nomine significatur, quidquid gignit, ipse consumat. 27

---

9 sacrificati sunt *Cl A F*: sacrificati sunt sacrificaverunt *K*[1], sacrificaverunt *ed. Par. Duebn.* 13 chronon *Cl K*: choronon *F*, cronon *A Tert.* 17 physiologi*ce *A*: physiologi esse *Goth* argumentationem *Goth* 18 interprętari *A*: interpretati *Goth* et Terram *Goth* 18 *sq.* ut ipsos *coni. Reiff.* 19 origine *Goth* originis nullius *coni. Reiff., sed vd. Hartelium p. St. III p. 60* 19 *sq.* omnia dirimantur *Goth* 20 *sq.* in se ipsum *Rig*: in semet ipsum *Goth* 21 compellant *Rig*: compellent *A*, compellunt *Goth* 21 *sq.* Κρόνον dictum *Oehlerus*: chro *lac. 5 litt.* um *A*, Chronium enim dictum *Goth*, Chronium dictum *Rig* 22 grecę *A* Chronon *A*

---

23 *De 'prioribus temporibus' vel aurea aetate vd.* Varr. R. R. II 1, 3 sqq., I 2, 16; Senec. ep. 90, 15 sq.; Ov. met. I 89 sqq.

24. *Cf.* Dion. Hal. I 38: λέγουσι δὲ καὶ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν τῷ Κρόνῳ τοὺς παλαιούς, ὥσπερ ἐν Καρχηδόνι, τέως ἡ πόλις διέμεινε, καὶ παρὰ Κελτοῖς εἰς τόδε χρόνου γίνεται, καὶ ἐν ἄλλοις τισὶ τῶν ἑσπερίων ἐθνῶν, ἀνδροφόνους *(vd. quaest. II p. 63); Dionysius e Rer. Hum. libris et haec hausit et ea quae ibidem de hominibus in Saturni honorem de ponte Milvio deiectis refert; eadem indidem desumpta praebent* Macr. Sat. I 7, 28 sqq., Lact. I. D. I 21, 6 sqq., *vd. quaest. II p. 64.*

27 *Vd. quaest. I p. 29, quaest. II p. 82 sq. Has 'quorundum' vel 'nonnullorum' interpretationes Varro pro suis certe non venditavit, sed ipse, ut recte commemorat Augustinus (vd.* fr. 28*), ad semen omnia rettulit. — Ex hoc Varronis loco etiam sumpta esse possunt, quae scribit* Tert. l. l. p. 117, 18: Legimus Caelum genere masculino (*cf.* Varr. ap. Non. p. 197, 5; *vd. fr. 43 adn.*). *Sed quod ibidem Caelum a Saturno*

28 **Aug. C. D. VII 19 p. 298, 15 sq.:** ⟦**Haec et alia de Saturno multa dicuntur et ad semen omnia referuntur.**⟧

29 **Aug. C. D. VII 13 p. 291, 3 sqq.:** ⟦**Quid est Genius?**⟧ **'Deus', inquit (sc. Varro), 'qui praepositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum.**

30 **Aug. C. D. VII 14 p. 291, 19 sqq.:** ⟦**Mercurium ... quo modo referrent ad aliquas partes mundi et opera Dei, quae sunt in elementis, non invenerunt, et ideo ... operibus hominum praeposuerunt, sermocinandi . . . administrum.**⟧ **Id. C. D. VII 30 p. 313, 1:** ⟦**qui sermonis facultatem usumque donavit.**⟧

31 **Aug. C. D. VII 14 p. 291, 32 sqq.:** ⟦**Si sermo ipse dicitur esse Mercurius, sicut ea, quae de illo interpretantur ostendunt, nam**⟧ **ideo Mercurius quasi medius currens dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius; ideo 'Ερμῆς Graece, quod sermo vel interpretatio, quae ad sermonem utique pertinet, ἑρμηνεία dicitur; ideo et mercibus praeesse, quia inter vendentes et ementes sermo fit medius; alas eius in capite et pedibus significare volucrem ferri per aera sermonem; nuntium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata enuntiantur.**

Aug. 7 mundi partes *C* 15 hermenia *Cl* 19 ^{e}nuntiantur, e *man. 2 suprascr., C*

---

castratum et falcem Saturni insigne (non harum rerum physicas interpretationes) irridet, apud Varronem quaerere opus non habuit.

28 *Vd. 27 adn.*

29 *Hoc Varronem de Genio Pop. Rom. (de cuius cultu vd. Preller II³ 199 sq.) docuisse per se patet. Male igitur Varronem intellegit Birtius, cum scribit in Rosch. Myth. Lex. p. 1623:* Dieser von Varro gedachte Universalgenius ist natürlich in Wirklichkeit nie verehrt worden.

30 *Augustinus hoc loco Mercurium et Martem inter se coniunxit, quamobrem nonnulla verba praetermisi, nonnulla mutavi, ut scripsi 'administrum' pro 'administros'.*

31 *Cum Mercurio — medio currente (cf.* Varr. L. L. VI 4: Meridies ab eo quod medius dies) *cf.* Serv. interp. Aen. VIII 138: Alii Mercurium quasi Medicurrium a Latinis dictum volunt, quod inter caelum et inferos semper intercurrat. Hic etiam mercimonii deus est. Quidam hunc in petaso et in pedibus pinnas habere volunt propter orationis velocitatem (cf. Serv. cod. Tur. Aen. IV 239: Quia Mercurius deus sermonis dicitur, talaria fingitur habere in pedibus, quia sermo citius currit); caduceum illi ideo assignatur, quod fide media hostes in amicitiam conducat; quae virga ideo serpentibus illigata est, ut sicut illi obliti veneni sui in se coeunt, ita hostes contemptis et depositis inimicitiis in amicitiam revertantur. Serv. gen. Aen. IV 242: Mercurius orationis deus dicitur et interpres deorum. Unde virga serpentes dividit, id est venena: nam bellantes interpretum oratione sedantur: unde secundum Livium legati pacis caduceatores dicuntur: sicut enim per fetiales bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat. 'Ερμῆς autem graece dicitur ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας, latine interpres. *Eadem eisdem verbis exhibet* Acro ad Hor. carm. I 10, 17. 18; *cf.* Varr. de Vit. P. R. *apud* Non. 528, 16 sqq. 529, 18 sqq. Arnob. III 32 p. 133, 3 sqq.: Mercurius etiam

32 Aug. C. D. VII 16 p. 293, 35 sqq: **Apollinem** ⟦quamvis divinatorem et medicum velint (sc. Varro), tamen ut in aliqua parte mundi statuerent⟧, ipsum etiam solem esse dixerunt, et ideo eum sagittas habere, quod sol de caelo radios terras usque pertendat. Id. C. D. VII 30 p. 313, 1 sqq.: ⟦Qui munus futura dicendi quibus placuit spiritibus impertivit et per quos placet ipse futura praedicit et per quos placet malas valetudines pellit.⟧

33 Aug. C. D. VII 3 p. 277, 15 sq.: Locum inter selectos dederunt **Marti** ⟦effectori mortium⟧. Id. C. D. VII 14 p. 292, 13 sqq.: ⟦Item quia nec Marti aliquod elementum vel partem mundi invenire potuerunt, ubi ageret opera qualiacunque naturae⟧ deum belli esse dixerunt. Id. C. D. VII 14 p. 291, 19 sqq. Id. C. D. VII 30 p. 313, 4 sqq.: ⟦Qui bellorum quoque ipsorum . . . exordiis progressibus finibusque moderatur.⟧

---

2 in *om.* l[1]. 2 *sqq.*: *vd. adn.* 7 ipse malas *l* 10 quia] qui *l*

---

quasi quidam Medicurrius dictus est, et quod inter loquentes duo media currat et reciprocetur oratio (cf. Varr. L. L. VII 80: Reciproca est cum, unde quid profectum, redit eo), nominis huius concinnata est qualitas . . . atque ita hoc pacto aboletur et extinguitur caduceator ille (Cyllenius in algido fusus monte) verborum excogitator et nominum, nundinarum mercium commerciorumque mutator. Macr. Sat. I 17, 5: (Virtus solis, quae) sermonis auctor est, Mercurii nomen accepit. Nam quia sermo interpretatur cogitationes latentes, Ἑρμῆς ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν propria appellatione vocitatus est. *Quibus de locis vd. quaest. IV p. 120.* — *Ex* Augustino *et* Serv. gen. Aen. IV 242 (239) *pendet* Isid. or. VIII 11, 45—49, *ex iisdem atque* Isidoro *hauserunt* myth. Vat. I 119; II 42; III p. 232. — *Cf.* Ann. Corn. de deor. nat. p. 65 sq.: Κῆρυξ μὲν Ἑρμῆς, ἐπεὶ διὰ φωνῆς γεγωνοῦ παριστᾷ τὰ κατὰ τὸν λόγον σημαινόμενα ταῖς ἀκοαῖς . . . Πέδιλα δὲ φέρει πτερωτὰ καὶ δι' ἀέρος φέρεται, συμφώνως τῷ Ὁμήρῳ, καθάπερ εἴρηται τὰ 'ἔπεα πτερόεντα', p. 67: Οἱ δ' ἀποπληροῦντες περὶ τὴν εἰρημένην ῥάβδον, τὸ τοῦ κηρυκίου σχῆμα, δράκοντες σύμβολόν εἰσι τοῦ καὶ τοὺς θηριώδεις ὑπ' αὐτοῦ κηλεῖσθαι καὶ καταθέλγεσθαι λύοντος τὰς ἐν αὐτοῖς διαφορὰς καὶ συνδέοντες αὐτοὺς ἅμματι δυσλύτῳ. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ εἰρηνοποιὸν δοκεῖ τὸ κηρύκιον εἶναι. p. 73 sq.: Λέγεται καὶ ἀγοραῖος πρῶτος, εἰκότως· ἐπίσκοπος γὰρ τῶν ἀγορευόντων ἐστίν· ἤδη δὲ ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς διατείνει καὶ εἰς τοὺς ἀγοράζοντάς τι ἢ πιπράσκοντας, ὡς πάντα μετὰ λόγον ποιεῖν δέοντος. — *Quae* Aug. C. D. IV 21 p. 170, 24 *dicit*: 'Quid doctrinae a Mercurio petendum esset', *Varroni tribuere equidem non audeo, quia notiora sunt, quam ut pater ea ex sua memoria hausisse non possit. Verum fieri potest, ut Varroniana sint, atque ab hoc tractatu profecta.*

32 *Apollinem et Dianam ab Augustino hoc loco coniunctos rursus segregavi, quamobrem nonnulla mutanda erant: scripsi 'eum' pro 'ambos', 'sol' pro 'duo sidera', 'pertendat' pro 'pertendant'.* — *Cf.* Varr. L. L. V 68: Solem Apollinem quidem vocant. *De locis* Macr. I 18, 4, Arnob. III 33; Macr. I 17, 15; Arnob. II 73 *vd. IV p. 120 sq. V p. 131.*

33 *Cf.* Varr. L. L. V 73: Mars ab eo quod maribus praeest aut quod a Sabinis acceptus ibi est Mamers. Varr. R. H. XVII ap. Cens. d. d. n. 22, 11: Martium mensem a Marte quidem nominatum credit (sc. Varro), non quia Romuli fuerit pater, sed quod gens Latina bellicosa.

†34 Clem. Al. Protr. IV 46 p. 41 Pott. Ἐν Ῥώμῃ τὸ παλαιὸν δόρυ φησὶν γεγονέναι τοῦ Ἄρεως τὸ ξόανον Οὐάρρων ὁ συγγραφεύς, οὐδέπω τῶν τεχνιτῶν ἐπὶ τὴν εὐπρόσωπον ταύτην κακοτεχνίαν ὡρμηκότων.

35 Aug. C. D. VII 16 p. 294, 22 sqq.: ... ignem mundi ... violentiorem, qualis **Volcani** est. Ibid. p. 294, 5. Id. C. D. VII 30 p. 313, 6 sqq.: [[Qui mundi huius ignem vehementissimum et violentissimum ... regit.]] 5

36 Aug. C. D. VII 16 p. 294, 5: **Neptunum** aquas mundi. Id. C. D. VII 30 p. 313, 8 sq.: [[Qui universarum aquarum ... gubernator est.]] x

37 Aug. C. D. VII 22 p. 300, 14 sq.: 'Venilia', inquit (sc. Varro), 'unda est, quae ad litus venit, Salacia, quae in salum redit.'

---

6 Volcani *scripsi, vd. Varr. L. L. V 70 et adn.:* Vulcani *Augustinus* 7 *sq.* et violentissimum, *man. 2 sup. lin., C*

Varr. R. D. XIV fr. 90. — *Cf.* Ann. Corn. de deor. nat. XXI. — *Varronem hoc loco de Martis cognominibus tractavisse verisimile est, praecipue de Gradivo et Quirino, quorum nominum complures interpretationes accipimus ap.* Paul. p. 97, 7 sqq.; Serv. gen. Aen. I 292. III 35. VI 859; Serv. interp. Aen. III 35; (Is. or. VIII 11, 52); *verum num haec ad eum redeant, dubium est, quamquam id de* Servii *loco* ad Aen. I 292 *demonstrare conatus est Merkelius l. l. p. CCXXXV.*

34 *Num haec Varro hic docuerit incertum, sed veri non dissimile est; cf. etiam* R. D. I fr. 59. *E* Clemente *pendet* Arn. VI 11; *cf. etiam* Plut. Rom. 29: ... ἐν δὲ τῇ Ῥηγίᾳ δόρυ καθιδρύμενον Ἄρεα προσαγορεύειν.

35 *Cf.* Varr. L. L. V 70: Ab ignis iam maiore vi et violentia Volcanus dicitur. *Utroque igitur loco Varro idem docuit Volcanumque a 'violentia' derivavit; quare non verisimile est ad Varronem redire illud veriloquium, quod occurrit ap.* Serv. gen. Aen. VIII 414: Vulcanus ignis est et dictus Volicanus, quod per aerem volat, *neque ceteras fabularum interpretationes physicas, quae in hoc veriloquio exaedificatae ibidem leguntur et* ad Aen. VIII 454. Servium *expilavit* myth. Vat. II 40, Servium *et* Augustinum Isid. or. VIII 11, 39. — *Quae* Arnobius III 23 *scribit:* In tutela Vulcani est ignis et materies eius in illius regimine constituta est, *haec, utpote notissima, eo minus Varroni dederim, quod apud ipsum legitur* III 38: Vulcanum esse omnes ignem pari voce pronuntiatis ac sensu.

36 *Cf.* R. D. XVI fr. 4. Varr. L. L. V 72: Neptunus quod mare terras obnubit ut nubes caelum, ab nuptu id est opertione, ut antiqui, a quo Nuptiae, Nuptus dictus. Arn. III 31 p. 132, 25 sq.: Quod aqua nubat terram, appellatus est, inquiunt, cognominatusque Neptunus. *Quae a Varrone profecta esse probabilissimum est, sive ab illo de L. L. loco, sive ab hoc R. D. loco. Aliud Neptuni veriloquium profert* Cic. N. D. II 26, 66 (a nando), *aliud* Isid. or. VIII 11, 38 (myth. I 107) ('nube tonans'). *Cetera Isidorus ex Augustino hausit.*

37 *Vd. quaest. I p. 30;* R. D. I fr. 21. XIV fr. 32. *Cf.* Varr. L. L. V 72: Salacia Neptuni ab salo. Venelia a veniendo ac vento illo ... *Neptunus cum Salacia in comprecationibus iungitur apud* Gell. N. A. XIII 23, 1, *cf.* Senec. ap. Aug. C. D. VI 10 p. 269, 21. Serv. int. Aen. X 76, *cum scribit:* Salaciam a salo, Veniliam quod veniam dat †negan-

Aug. C. D. VII 30 p. 313, 9 sqq.: [[Qui **Solem** fecit corporalium clarissimum luminum eique vim congruam et motum dedit.]] 38

Aug. C. D. VII 3 p. 277, 14 sq.: Locum inter selectos dederunt . . . **Orco** . . . mortium receptori. Id. C. D. VII 30 p. 313, 11 sq. 39

5 Aug. C. D. VII 16 p. 294, 6 sq.: Ditem patrem, hoc est Orcum, terrenam et infimam partem mundi volunt. Id. C. D. VII 23 p. 302, 29 sq.: Orcus, *frater Iovis atque Neptuni,* quem Ditem patrem vocant. 40

Aug. C. D. VII 21 in.: **Liberum** liquidis seminibus ac per hoc 10 non solum liquoribus fructuum, quorum quodam modo primatum vinum tenet, verum etiam seminibus animalium praefecerunt. 41 a

Aug. C. D. VII 16 p. 294, 7 sqq.: Liberum et Cererem praeponunt seminibus, vel illum masculinis, illam femininis; vel illum liquori, illam vero ariditati seminum. Id. C. D. VII 30 p. 313, 15 12 sqq. 41 b

Aug. C. D. VII 19 p. 298, 17 sqq.: [[Quid ad semina dii alii requiruntur, maxime Liber et Libera, id est Ceres? De quibus rursus, quod ad semen adtinet, tanta dicit (sc. Varro), quasi de Saturno nihil dixerit.]] 41 c

20 Aug. C. D. VII 21 p. 299, 13 sqq.: Inter cetera (sc. sacra), quae praetermittere, quoniam multa sunt, cogor, in Italiae compitis quaedam dicit (sc. Varro) sacra Liberi celebrata [[cum tanta licentia turpitudinis]], ut in eius honorem pudenda virilia colerentur 42

---

5 horcum *C* 7 *sq.* patrem, *man. 2 sup. lin., C* 10 quodammodum *C* 10 *sq.* privatam uim obtinet *A* 13 uel illum *ante* 'masc.' *om. l*[1]

---

tibus, *de Salacia congruit, de Venilia differt a Varrone; de origine adnotationis nihil constat. Aliud Salaciae veriloquium exhibent* Paul. p. 327, 4; Serv. gen. Aen. I 144. — *Ex* Augustino *pendet* Isidor. *in Gloss. s. v.* Venitia; *idem legitur in* Gloss. Scal., Corp. Gloss. V p. 613, 39.

38 *Quid Varro de Sole dixerit, facile intelleges, si comparabis hos locos:* R. D. I fr. 16. 19; L. L. V 68: Sol . . . solus ita lucet, ut ex eo deo dies sit; R. R. I 1, 5: Invocabo . . . Solem et Lunam, quorum tempora observantur, cum quaedam seruntur et conduntur. — *Solem inter deos Tatianos enumerat* Varro R. D. I fr. 40, L. L. V 74, *cf.* Dion. Hal. II 50.

39 Aug. *exscr.* Is. or. VIII 11, 42.

40 *Cf.* Varr. L. L. V 66: Idem hic Dispiter dicitur Infimus, qui est coniunctus terrae, ubi omnia oriuntur et aboriuntur. *Similia sed ex parte contraria dicit* Cic. N. D. II 26, 66, *longe aliam 'Orci' etymologiam praebet* Fest. p. 202, 28 sqq. (ab urgendo). *Satis multa de hoc deo leguntur* ap. myth. Vat. III 6, 1, *quae tamen a Varronis doctrina L. L. prolata aliquantum differunt: mythographus enim 'Dis pater' cum 'dives' aequat similis Ciceroni l. l., dissimilis Varroni, qui* L. L. V 68 in. *'Dispater' cum 'Diovis' aequat; et 'Orcum' mythographus a Graecorum* ὅρκῳ *derivat.*

41 *Cf.* R. D. I fr. 5; XIV fr. 7; R. R. I 1, 5: Cererem et Liberum, quod horum fructus maxime necessarii ad victum: ab his enim cibus et potio venit e fundo. — *De Libera vel Cerere huc referenda vd.* Schwarz l. l. p. 488 adn. 19[b].

42 *De Liberalibus Romae celebratis agit* Varro L. L. VI 14.

⟦non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia⟧. Nam hoc ⟦turpe⟧ membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis inpositum prius rure in compitis et usque in urbem postea vectabatur. In oppido autem Lavinio unus Libero totus mensis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitiosissimis uterentur, donec illud membrum per forum transvectum esset atque in loco suo quiesceret. Cui membro ⟦inhonesto⟧ matrem familias honestissimam palam coronam necesse erat inponere. Sic videlicet Liber deus placandus fuerat pro eventibus seminum, sic ab agris fascinatio repellenda. Id. C. D. VII 24, p. 306, 5 sqq. 10

43 Aug. C. D. VII 28 p. 310, 27 sqq.: Dicturus de feminis, hoc est de deabus: 'Quoniam', inquit (sc. Varro), 'ut primo libro dixi de locis, duo sunt principia deorum animadversa de caelo et terra, a quo dii partim dicuntur caelestes, partim terrestres: ut in superioribus initium fecimus a caelo, 15 cum diximus de Iano, quem alii caelum, alii dixerunt esse mundum, sic de feminis scribendi facimus initium a Tellure' ... ⟦Ducitur (sc. Varro) quadam ratione verisimili,⟧ caelum esse quod faciat, terram quae patiatur, et ideo illi masculinam vim tribuit, huic femininam. 20

44 ⟨De **Tellure**⟩ Aug. C. D. VII 23 p. 301, 11 sqq.: ⟦Nempe una est terra ...; verum tamen ipsam magnum corpus in elementis mun-

b

3 plostellis C^1: plaustellis C^2 4 lau.ino *C*: lauino *l* 5 dieeius *C* 9 pro euentibus *C*: prouentibus *lAKF*

43 *Quae Varro e 'primo libro de locis' collaudat, Merkelius (l. l. p. CXVII) recte ad R. D. librum V refert; cf. Varr.* L. L. V 16: Loca naturae secundum antiquam divisionem prima duo, caelum et terra. *Krahnerus (Cur. p. 5) ea audacius quam verius ad R. D. libri XVI initium refert. — Eadem deorum divisio saepius apud Varronem occurrit, cf.* R. D. I fr. 12, L. L. V 57, Cur. de cult. deor. ap. Prob. Verg. ecl. VI 31 *(locum exscripsi p. 12 adn. 2); iam videas hunc locum* Non. p. 197, 5: Varro Rerum divinarum: Ut deum significas non partem mundi, sic Pater magnus Mater ⟨mag⟩na hi sunt coelus. *Post 'coelus' Schwarzius (l. l. p. 478 fr. 8^b) satis recte adiecit 'et terra', ego potius scribendum esse proposuerim 'Coelus et Tellus', quoniam, ut apparet, Varro illo loco deos quosdam a partibus mundi dinoscendos esse docuit, Tellus autem, non Terra, apud Romanos et Varronem propria terrae dea et Mater magna* (vd. fr. 46) *est, quamvis et Terram deam fuisse haud nesciam. Sed quis est Coelus vel Pater magnus? Si nostrum R. D. locum respicies, cum Schwarzio de Iano cogitabis; verum conferas cum Nonio, quae scribit* Varro R. R I 1, 5: Invocabo primum, qui omnis fructus agri culturae caelo et terra continent: itaque quod ii parentes, magni dicuntur, Iuppiter pater, Tellus mater ('terra' *post 'Tellus' recte eiecit Iordan ad Prell. R. M. II³ 2 adn. 3). Quem propter locum equidem de Iove Varronem ap. Non. dixisse puto, et cum in hoc R. D. XVI libro Iovem ad caelum referre non soleat, Nonii locum huic quidem libro ego non tribuo, sed 'primo illi libro de locis' quem ipse Varro hoc R. D. loco citavit. Fortasse etiam apud Non. pro* 'ut' *legendum est* V *(= quinto).*

44 *Vd. quaest. I p. 25 sq.*

dique infimam partem cur eam volunt deam? An quia fecunda est?]
Id. C. D. VII 30 p. 313, 14: [[Qui terram fundat atque fecundat.]]

Aug. C. D. VII 23 p. 303, 15 sqq.: Inquit (sc. Varro): Una 45a
eademque terra habet geminam vim, et masculinam, quod semina
5 producat, et femininam, quod recipiat atque nutriat; inde a vi feminae
dictam esse Tellurem, a masculi Tellumonem. Cur ergo pontifices, ut ipse indicat, additis quoque aliis duobus quattuor diis faciunt
rem divinam, Telluri, Tellumoni, Altori, Rusori? [[De Tellure
et Tellumone iam dictum est.]] Altori [[quare?]] 'Quod ex terra',
10 inquit, 'aluntur omnia, quae nata sunt'. Rusori [[quare?]] 'Quod
rursus cuncta eodem revolvuntur.'

Aug. C. D. IV 10 p. 158, 32 sqq.: Et hic aliquas differentias 45b
volunt esse atque in ipsa terra aliud *Terram,* aliud Tellurem,
aliud Tellumonem putant. Et hos omnes deos habent suis nomi-
15 nibus appellatos, suis officiis dictinctos, suis aris sacrisque veneratos.

Aug. C. D. VII 24 p. 304, 10 sqq.: Ipse Varro [[quasi de ipsa 46a
turba (*sc. multorum deorum*) verecundatus]] unam deam vult esse
Tellurem. 'Eandem', inquit, 'dicunt (sc. physici) Matrem Magnam;
quod tympanum habeat, significari esse orbem terrae; quod turres
20 in capite, oppida; quod sede⟨n⟩s finga[n]tur, circa eam cum omnia
moveantur, ipsam non moveri. Quod Gallos huic deae ut servirent
fecerunt, significat, qui semine indigeant, terram sequi oportere; in
ea enim omnia reperiri. Quod se apud eam iactant, praecipitur', inquit, 'qui terram colunt, ne sedeant; semper enim esse quod agant.
25 Cymbalorum sonitus ferramentorum iactationem ac manuum ⟨usum⟩
et eius rei crepitus, in colendo agro qui fi⟨un⟩t, significant; ideo
aere, quod eam antiqui colebant aere, antequam ferrum essent inventum. Leonem', inquit, 'adiungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant nullum genus esse terrae tam remotum ac vehementer ferum,
30 quod non subigi colique conveniat.' Deinde adiungit et dicit Tellurem matrem, et nominibus pluribus et cognominibus quod nominarunt, deos existimatos esse complures. 'Tellurem', inquit, 'putant
esse Opem, quod opere fiat melior; Matrem, quod cibum pariat;

---

5 *sq.* in deam faemine dicūt eē *l* femininae *C* 6 masculini *l*
9 quare *om. l* 10 nata] natura *l* 14 *sq.* suis officiis distinctos
suis nominibus appellatos *C* 19 orbem *ex* obrem *corr. l*: urbem C
20 sedes fingatur *G Zoega* (*cf. M Haupt in Herm. IV p. 333*) 23 repperiri *Cl* 25 iactationem *Dombartus*: iactandorum *codd.* usum *add.
Haupt* 26 crepitus *codd.*: crepitum *Dombartus* fiunt *pro* fit *corr.
Haupt* 30 subici *l* 31 quod *l*[1]: quos *l*[2] 33 *sq.* Matrem quod
plurima pariat, Magnam quod cibum pariat *edd. et codd.*: plurima *et*
cibum *commutavit Swoboda (P. Nig. Fig. opp. rell. p. 86 adn. crit.)*

---

45 *Vd. quaest. I p. 31 cf. p. 22. Terram fortasse ipse Augustinus
interposuit, etsi Terram deam Romanam fuisse constat, vd. Iord. ad
Prell. II*[2] *p. 2, 3.*

46 *Hunc locum a Varrone e Nigidio haustum esse frustra probare*

Magnam, quod plurimum pariat; Proserpinam, quod ex ea proserpant fruges; Vestam, quod vestiatur herbis. Sic alias deas, inquit, 'non absurde ad hanc revocant...' [Adiungit enim et dicit:] 'Cum quibus opinio maiorum de his deabus, quod plures eas putarunt esse, non pugnat... Sed potest', inquit, 'fieri, ut eadem res et una sit et in ea quaedam res sint plures...' Haec sunt Telluris et Matris Magnae praeclara mysteria, unde omnia referuntur ad mortalia semina et exercendam agriculturam.

46b Aug. C. D. IV 10 p. 159, 3 sqq.: Eandem terram etiam Matrem deum vocant... secundum... sacrorum libros. Id. C. D. VI 8 p. 261, 6 sqq.: Interpretationis huius, quando agitur de sacris Matris deum, caput est certe, quod Mater deum terra est.

†47 Serv. interp. Aen. III 113: Dominam proprie Matrem deum dici Varro affirmat. *Hanc eandem eram appellari, hoc est dominam tradunt.*

---

8 et exercendam *ClAKF*: et ad exerc. *ed. Par. Duebn.* 10 deum *C*: d͞m *Ll*, deorum *Dombartus*

---

conatur Swoboda *in* '*P. Nig. Fig. opp. rell.*' *p. 26 sq.* — *De Ope cf.* Varr. L. L. V 64: Terra Ops, quod hic omne opus et hac opus ad vivendum, R. D. XIV fr. 60, XVI fr. 20[b]. — *De Proserpina vd.* R. D. I fr. 21, XIV fr. 72, XVI fr. 51. *Cf.* Serv. int. Aen. III 113: Proserpina terra dicitur sicut et mater deum. *Quae ad Varronem redire eo facilius putantur, quod interpolator in eadem adnotatione Varronem laudat (vd. fr. 47).* — *De Vesta vd.* R. D. XVI fr. 64. — *Huic loco Varroniano similia leguntur apud* Lucr. II 598 sqq. 640 sqq. — *De hoc loco:* Arn. III 32 p. 133, 10 sqq.: Terram quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, Matrem esse dixerunt Magnam; eandem hanc alii, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant; nonnulli autem Vestam, quod in mundo stet sola, caeteris eius partibus mobilitate in perpetua constitutis *dictum est in quaest. IV p. 114 sq.* — *Similes huius deae eiusque rituum insigniumque interpretationes leguntur etiam his* Servii genuini *locis:* Aen. III 113: Ideo mater deum curru vehi dicitur, quia ipsa est terra, quae pendet in aëre; ideo sustinetur rotis, quia mundus rotatur et volubilis est; ideo ei subiugantur leones, ut ostendetur maternam pietatem totum posse superare; ideo Corybantes eius ministri cum strictis gladiis esse finguntur, ut significetur omnes pro terra sua debere pugnare. Quod autem turritam gestat coronam, ostendit superpositas terrae esse civitates, quas insignitas turribus constat. Id. Aen. X 252: Alma proprie est tellus, ab eo quod nos alat... Terram autem constat esse matrem deum: unde et simulacrum eius cum clavi pingitur, nam terra aperitur verno, hiemali clauditur tempore. Id. Aen. X 253: Civitates turritae: unde et cum corona turrita mater pingitur deum. Ad frena leonis] hoc fingitur, quod omnis feritas maternae subiacet adfectioni ac subiugata est. *Num quid ex his ad Varronem redeat, incertum est.* — *Ex* Augustino *et* Servio (*locis laudatis* et Aen. I 292) *pendet* Isid. or. VIII 17, 59—66, *indidem* myth. Vat. II 46, III 2, 3. — Ovid. fast. IV 179 sqq. *huc non pertinet.* — *De fr. 46*[b] *vd. quaest. I p. 31.*

47 *Serv. int. verba eo maiore cum probabilitate hic posui, quod ille ad eundem versum de Proserpina vel Terra vel Matre deum nonnulla adnotat, quae ad prius fragmentum redire verisimile est. Cf. eundem*

Aug. VII 25: ⟦Et Attis ille non est commemoratus nec eius ab isto (sc. Varrone) interpretatio requisita est .... Merito hinc aversatus est Varro noster, neque hoc dicere voluit, non enim hominem doctissimum latuit.⟧ Cap. 26: ⟦Itemque de mollibus eidem Matri Magnae ... consecratis ... nihil Varro dicere voluit.⟧ 48

Aug. C. D. VII 16 p. 294, 13 sq.: **Cererem nihil aliud dicunt esse quam terram.** Id. C. D. IV 10 p. 159, 7. 49

Aug. C. D. VII 30 p. 313, 14 sq.: ⟦Qui fructus terrae animalibus hominibusque largitur.⟧ 50

Aug. C. D. VII 20 p. 298, 23 sqq.: In Cereris autem sacris praedicantur illa Eleusinia, quae apud Athenienses nobilissima fuerunt. De quibus iste (i. e. Varro) nihil interpretatur, nisi quod attinet **ad frumentum**, quod Ceres ⟦invenit⟧, et ad Proserpinam, quam **rapiente** Orco perdidit. Et hanc ipsam dicit significare fecunditatem seminum, quae cum defuisset quodam tempore eademque sterilitate terra maereret, exortam esse opinionem, quod filiam Cereris, id est ipsam fecunditatem, quae a proserpendo Proserpina dicta esset, Orcus abstulerat et apud inferos detinuerat; quae res cum fuisset luctu publico celebrata, quia rursus eadem fecunditas rediit, Proserpina reddita exortam esse laetitiam et ex hoc sollemnia constituta. Dicit deinde multa in mysteriis eius tradi, quae nisi ad frugum inventionem non pertineant. Id. C. D. VII 23 p. 302, 31 sq.: Proserpina ... secundum aliam in eisdem libris (*sc.* Rer. Div.) positam opinionem ... terrae fecunditas ... 51

Aug. C. D. VII 16 p. 294, 14 sq.: Eamque (sc. terram) perhibent et **Iunonem** et ideo ei secundas causas tribuunt. Ibid. p. 294, 33 sq.: Iuno secundarum causarum domina *et Iuno aer* et Iuno terra. Id. C. D. VII 30 p. 313, 15 sqq.: ⟦Qui causas ... subsequentes novit atque ordinat.⟧ Id. C. D. IV 10 p. 158, 26 sq.: si Iuno terra ...; nam hoc quoque in libris suis habent eorum docti atque sapientes.⟧ 52

---

3 noster *om.* C^1 atque taceri neque hoc dicere, 'hoc' *sup. lin. add.*, *C* 14 horco, h *sup. lin. add.*, *l* (*item* 18)

Serv. int. Aen. III 438: Proprium hoc nomen (sc. domina) Matris deum est.

49 *Vd. quaest. I p. 29. Quod* Aug. l. l. p. 294, 12 sq. *scribit:* 'Matrem Magnam eandem Cererem esse volunt' *apud Varronem non legisse videtur, cf. quaest. I l. l. adn. 1. Cereris interpretationem et veriloquium praebet* Varr. L. L. V 64: Terra, quod gerit fruges, Ceres. — August. *exscr.* Is. or. VIII 11, 59 *in.*

51 *De altero loco vd. quaest. I p. 30. De Proserpina cf.* R. D. I fr. 21, XIV fr. 71, XVI fr. 46 a; *alia de hac dea docet* Varr. L. L. V 64. — *Arnob. III 33 Proserpinam Veneris cognomen esse tradit,* V 32 *de Proserpinae raptu et coniugio plane diversa refert.*

52 *Vd. quaest. I p. 29 sq. — Cur et terrae et aeris patrocinium eidem deae tribui potuerit, ex hoc loco* Macr. III 4, 8 *discendum esse recte indicat Schwarzius p. 494 adn.:* Iunonem vero imum aethera cum terra (e R. D. XV fr. 3). *Quid secundae causae sint, apparebit e fr. 43.*

53a Aug. C. C. VII 2 p. 274, 29 sqq.: Provinciam fluorum menstruorum in libro selectorum deorum Iunoni idem auctor (i. e. Varro) adsignat, quae in selectis etiam Regina est et hic tamquam Iuno Lucina cum eadem *(cf. R. D. XIV fr. 9)* Mena privigna ... sua eidem cruori praesidet.

53b Aug. C. D. VII 3 p. 275, 19 sqq.: Confert selecta Iuno, et hoc non sola sed cum Mena filia Iovis, fluores menstruos ad eius, quod conceptum est, incrementum.

53c Aug. C. D. VII 3 p. 276, 11 sq.: ... Iunonem non deesse purgationibus feminarum et partubus hominum. 10

54 Aug. C. D. VII 3 p. 276, 28 sqq.: Iuno selecta et Regina Iovisque *soror* et coniunx.

55 Aug. C. D. VII 3 p. 276, 34 sqq.: Inter selectos ... ponitur Iuno, quia Iterduca est et Domiduca [[quasi quicquam prosit iter carpere et domum duci ...]] Ib. p. 276, 29 sq.: Haec tamen (*sc.* Iuno) 15 Iterduca est pueris.

†56 Serv. interp. Aen. IV 59: Iunonem Varro Pronubam dicit.

---

7 hoc *Cl cett. codd.*: haec *ed. Par. Duebn.* 10 partubus (u *supra* i) *C* 12 coniunx *C*: coniux *l Dombartus* 14 domiduca, t *in fin. eras., C* quidquam, d *ras. in* c *mut., Cl*

---

53 *Vd. quaest. I p. 32. — Quamquam hic Iunoni 'Lucinae' id munus tribuitur, quo alibi 'Fluonia' fungi solet, tamen neque apud Augustinum 'Fluonia' reponendum esse cum O Muellero (adn. ad Paul. p. 92, 15) credo, cum pater nisi de Iunone 'Lucina' cogitasset, tertio illo loco dicere non potuisset Iunonem non deesse partubus hominum* (*cf.* R. D. XIV fr. 14, XVI fr. 57 *adn.*), *neque Augustinum Varronis verba confudisse cum Petero (Rosch. Myth. Lex. s. v. Indigitamenta p. 172) pro certo statuerim, cum* Varro L. L. V 69 (Luna ideo quoque videtur ab Latinis Iuno Lucina dicta, vel quod est e terra, ut physici dicunt, et lucet, vel quod ab luce eius, qua quis conceptus est usque ad eam, qua partus quis in lucem, luna iuvat, donec mensibus actis produxit in lucem, ficta a iuvando et luce Iuno Lucina) *Iunoni Lucinae tutelam tribuat non modo eorum, 'qui nascuntur', sed etiam eorum, 'qui concepti sunt.' — De dea Lucina vd. R. D. XIV fr. 14.*

54 *Cf.* R. D. I fr. 21; Varr. L. L. V 67: Quod Iovis Iuno coniunx et is caelum haec terra, quae eadem Tellus; et ea dicta, quod una cum Iove iuvat, Iuno; et Regina, quod huius omnia terrestria. *Cf.* C. I. L. I 1110, Ov. fast. VI 38; *quia Cicero* N. D. II 26, 66 *'secundum Stoicos' scribit:* 'Iuno, quae est soror et coniunx Iovis', *Varroni illud 'soror' non plane abrogaverim, quamquam 'soror et coniunx' Vergilium resipit.*

55 *Ceteri auctores, quod sciam, haec cognomina ad nuptias referunt* (vd. fr. 57 adn.); Varro R. D. XIV fr. 28 *deam Domiducam inter deos pueriles,* ib. fr. 58 *deum Domiducum inter nuptiales commemorat.*

56 *Haec Varro etiam scripsisse potest, ubi de nuptiarum ritu agebat; e tali quidem opere profectum videtur esse, quod apud eundem* Serv. int. Aen. IV 166 legitur: Varro pronubam dicit, quae ante nupsit et quae uni tantum nupta est. — Cf. Plac. lib. Rom., C. Gl. IV p. 38, 1 (= Plac. lib. Gloss., C. Gl. IV p. 95, 6): Pronuba est, quae nupti⟨i⟩s praeest, quaeque nubentem viro coniungit, quod officium ad Iunonem pertinet; deam coniunctionis. Gloss. Ampl. sec., C. Gl. V p. 325, 35: Pronuba, quae nubentibus praeest. *Vd. et. fr. 57 adn.*

Aug. C. D. VII 24 p. 304, 1 sq.: [[Tot cognominibus una Iuno.]] 57

---

57 *Ex his verbis colligo Varronem multa Iunonis cognomina enumerasse, ut antea de Iove fecit. Collectiones vero cognominum extant plures, de quibus dixi in quaest. IV p. 121 sq.* — Mart. Cap. II 149: Iuno pulchra, licet aliud nomen tibi consortium caeleste tribuerit (*vd. Iovis coniunx fr. 54*) et nos a iuvando Iunonem, unde et Iovem dicimus, nominemus (*cf. Varr. L. L. V 64. 67. 69*), sive te Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam convenit nuncupare, nam Fluoniam, Februalem ac Februam mihi poscere non necesse est . . ., Iterducam et Domiducam, Unxiam Cinxiam mortales puellae debent in nuptiis convocare, ut earum et itinera protegas, et in optatas domos ducas, et cum postes unguent, faustum omen affligas, et cingulum ponentes in thalamis non relinquas, Opigenam te, quas vel in partus discrimine, vel in bello protexeris, precabuntur, Populanam plebes, Curitim debent memorare bellantes . . . Myth. Vat. III 4, 3: Iunonem etiam coniugiis et partubus praeesse dicunt: unde et nomina ei complura attribuunt. Dicitur enim Lucina vel Lucesia, quod nascentes in lucem producat. Unde et portarum dicitur dea, quod nascentibus portam praebeat luminis (*e Serv. gen. Aen. II 610*). Dicitur et Fluonia a fluoribus seminum, quod feminas liberet in partu (*eadem Varro de Lucina docuit in fr. 53*), Februalis vel Februa, quod eas post partum secundis egredientibus purgat; februo enim graece, purgo latine . . . Unde et mensis in quo animarum purgationes, id est expiationes, apud antiquos celebrantur, februarius est appellatus (*cf. Varr. L. L. VI 34; R. H. XVII 1 Mirsch. ap. Cens. d. d. n. 22, 13 sq.*). Dicitur et Iterduca, quod nubentes puellas per iter ducat. Dicitur Domoduca, quod ad domos maritorum eas adducat. Unxia etiam dicitur ab ungendo, quod variis unguentis ungebantur nubentes vel quod postes domorum ungebant ingredientes, unde uxores quasi unxores dictas volunt. Soticena quoque dicitur, quod ipsa marem et feminam sociat, vel Saticena a satione: Iuno enim mulieres in labore operis coniugalis dicitur liberare (*Huic respondet Marciani Opigena; cf. Paul. p. 200, 7: Opigena Iuno*). Dicunt et Iunonem populonem, quod populos multiplicet. Curitim etiam id est regalem vel fortem vel potentem. Arn. III 30 p. 132, 11 sqq.: Si aer Iuno est . . ., nulla soror et coniux (*vd. fr. 54*) omnipotentis reperietur Iovis, nulla Fluvionia, nulla †Pomana (*Lucina coni. Prell. I³ 275, 5; Pronuba? Domiduca?*), nulla Ossipagina (*Opigena: Prell., sed cf. deam Ossipaginem ap. Arn. IV 7. 8.*), nulla Februtis, Populonia, Cinxia, Caprotina (*cf. Varr. L. L. VI 18*). — Serv. gen. Aen. I 8: Iuno multa habet numina: est Curitis, quae utitur curru et hasta . . . et Lucina, quae partubus praeest . . . est Regina . . .; sunt et alia eius nomina. Id. Aen. IV 16: Iuno Iugalis dicitur. Id. Aen. IV 59: Iuno est Curitis, est Matrona, est Regina. Id. Aen. IV 166: Et Pronuba Iuno, quae nubentibus praeest. (*cf. fr. 56*) Id. Aen. VIII 84: Variae sunt, ut diximus (Aen. I 8) Iunonis potestates: ut Curitis, Lucina, Matrona, Regina. — Cf. hos Verrii locos: Paul. p. 63, 9: Cinxiae Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio coniugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta. Id. p. 92, 15: Fluoniam Iunonem mulieres colebant, quod eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant. Id. p. 104, 13: Iunonis Iugae, quam putabant matrimonia iungere. Id. p. 200, 7: Opigenam Iunonem Matronae colebant, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant. Id. p. 49, 12: Curitim Iunonem appellabant, quia eandem ferre hastam putabant. *Cf.* p. 85, 13: Februarius mensis . . . vel a Iunone Februata quam alii Februalem, Romani Februlim vocant, quod ipsi eo mense sacra fiebant, eiusque feriae erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur a lupercis amiculo Iunonis, id est pelle caprina; quam ob causam is quoque dies Februatus appellabatur.

58 Aug. C. D. VII 30 p. 313, 17: ⟦Qui **Lunae** statuit modum suum.⟧

59 Aug. C. D. VII 16 p. 294, 1 sqq.: **Dianam** ⟦**germanam** eius (sc. Apollinis)⟧ lunam et viarum praesidem (sc. esse dixerunt), unde et virginem volunt, quod via nihil pariat, et ideo eam sagittas habere, quod luna de caelo radios terras usque pertendat. Id. C. D. VII 30 p. 313, 17 sq.: ⟦Qui vias caelestes atque terrestres locorum mutationibus praebet.⟧

60 Aug. C. D. VII 16 p. 294, 17 sqq.: **Minervam**, quia eam humanis artibus praeposuerunt . . ., eandem vel summum **aethera** vel etiam lunam esse dixerunt. Id. C. D. VII 30 p. 313, 18 sqq.: ⟦Qui humanis ingeniis . . . scientiam artium variarum ad adiuvandam vitam naturamque concessit.⟧

61 Aug. C. D. IV 10 p. 158, 12 sqq.: Aetheris partem superiorem

---

1 modum *Cl A K F*: motum *ed. Par. Duebn.*

---

58 *De Luna Varronem similia docuisse coniciendum est atque quae leguntur* R. D. I fr. 19: Propterea deam credi . . . Lunam, solacium noctium, patrocinium ⟨men⟩sum gubernaculis; L. L. V 68: Luna [vel] quod sola lucet noctu. Itaque ea dicta Noctiluca in Palatio; nam ibi noctu lucet templum; *cf.* ib. VI 79; R. R. I 1, 5: Invocabo . . . secundum Solem et Lunam, quorum tempora observantur, cum quaedam seruntur et conduntur. — *Dea a Tatio Romanis instituta est; vd.* R. D. I fr. 40, Varr. L. L. V 74, Dion. Hal. II 50. — Ov. fast. III 883 sq.: Luna regit menses. Huius quoque tempora mensis Finit Aventino Luna colenda iugo. *De Lunae cultu vd. Prell. I³ 327 sq.*

59 *De forma huius fragmenti videas, quae adnotavimus ad fr. 32.* Varr. L. L. V 68: Lunam, ut Solem Apollinem, quidam Dianam vocant; Apollinis vocabulum graecum, alterum (sc. Dianae) latinum; et hinc quod luna in altitudinem et latitudinem simul it, Diviana appellata. *Cf.* VII 16. Varr. in logist., qui inscribitur Messala de valet. ap. Prob. ad Verg. ecl. VI 31 p. 20 K: Antiquos agrestes venandi peritos, cum plurimum in silvis agerent, quod veluti Diana duce ad investigandas feras solas et devias silvas peterent, Devianam appellasse deam, mox Dianam, quod intellegerent eandem esse, quae diem nascentibus daret. *Cf.* R. D. XIV fr. 15. — Aug. *expilavit* Is. VIII 11, 56; *verum unde sumpserit ultima verba:* 'Dianam autem vocatam, quasi Duanam, quod luna die ac noctu appareat', *nescio.*

60 *Cf.* R. D. XIV fr. 43, XV fr. 3. C. D. VII 16 p. 295, 1 *sqq.* Augustinus *repetit, quae modo dixit* p. 294, 17 sqq. (= fr. 60) *ita ut ad verba:* 'Minerva summus aether et Minerva itidem luna' *adiungat* 'quam (sc. lunam) esse in aetheris infimo limite existimant'. *Quae his ultimis verbis Varronis impugnandi causa dixit, non ex hoc Varronis loco sumpsit, sed aut aliunde arcessivit, fortasse e praefatione huius libri physica* (fr. 3), *aut, ut pote sententiam vulgarem, ex nullo certo auctore accepit.* — *Cf.* Arnob. III 31 p. 132, 16 sqq.: Aristoteles, ut Granius memorat . . ., Minervam esse Lunam probabilibus argumentis explicat et litterata auctoritate demonstrat. Eandem hanc alii aetherium verticem et summitatis ipsius esse summam dixerunt memoriam nonnulli, unde ipsum nomen Minerva quasi quaedam Meminerva formatum est. *Quo de loco diximus in quaest. IV p. 120 sq.*

61 *Vd. quaest. I p. 31. Cf.* Serv. gen. Aen. IV 201: Minerva, quae supra aetherem est, unde de patris capite procreata dicitur.

[M]inervam tenere dicunt, et hac occasione fingere poetas, quod de [I]ovis capite nata sit.

*Aug. C. D. VII 15 p. 292, 32: Venerem esse etiam Lunam 62 [v]olunt.

Aug. C. D. VII 30 p. 313, 20 sqq.: [[Qui coniunctionem maris 63 [e]t feminae ad adiutorium propagandae prolis instituit.]]

Aug. C. D. VII 16 p. 294, 20 sqq.: Vestam quoque ipsam 64a [p]ropterea dearum maximam putaverunt, quod ipsa sit terra, quam-[v]is ignem mundi leviorem, qui pertinet ad usus hominum faciles, .. ei deputandum esse crediderunt.

Aug. C. D. IV 10 p. 159, 7 sqq.: Terram etiam Vestam volunt, 64b [c]um tamen saepius Vestam [[non nisi]] ignem esse perhibeant [p]ertinentem ad focos, sine quibus civitas esse non potest; et ideo illi [v]irgines solere servire, quod sicut ex virgine, ita nihil ex igne nascatur.

---

12 quum *Ll*: cū *ex* quā, *ut videtur, corr. C*

---

62 *Num Varro de stella, quae Venus nuncupatur, quidquam docuerit, atque Augustinus eam designare voluerit illis verbis, quae huic fragmento praemittit cap. 15 in., incertum est, cf. quaest. I p. 30.*

63 Cf. Varr. R. D. XIV fr. 58. L. L. V 61 sq.: Horum (sc. maris et feminae) vinctionis vis Venus . . ., non quod vincere velit Venus, sed vincire. — *Huius deae cognomina collecta praebet* Serv. int. Aen. I 720, *physicas fabularum interpretationes invenies ap.* Serv. gen. Aen. V 801.

64 *De altero loco vd. quaest. I p. 31.* — Ov. fast. VI 267 sqq.: Vesta eadem est et terra. Subest vigil ignis utrique: Significant sedem terra focusque suam. Terra pilae similis nullo fulcimine nixa Aere subiecto tam grave pendet onus. 277 sqq.: Cur sit virginibus quaeris dea culta ministris? Inveniam causas hac quoque parte suas . . . De tribus (sc. Iunone Cerere Vesta) impatiens restitit una (sc. Vesta) viri. Quid mirum, virgo si virgine laeta ministra Admittit castas in sua sacra manus? Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellege flammam: Nataque de flamma corpora nulla vides. Iure igitur virgo est, quae semina nulla remittit Nec capit, et comites virginitatis amat. 299: Stat vi terra sua. Vi stando Vesta vocatur. *Quin haec ad hunc Varronis locum referenda sint vix dubium est; verum num ea, quae Ovidius de templi forma v. 265 sqq., de foci et vestibuli veriloquio v. 295 sqq. dicit, huc pertineant incertum est, quamvis Varronem de foco eadem in R. D. libro V docuisse e* Serv. interp. Aen. III 134; XI 211 (*cf.* Serv. gen. Aen. XII 118), *de vestibulo nescio quo loco egisse e* Serv. gen. Aen. IV 273 (*cf.* eund. Aen. II 469) *sciamus.* — Serv. gen. Aen. I 292: Vesta pro religione quia nullum sacrificium sine igne est (*cf.* Serv. interp. Aen. III 133: Varro R. D. (lib. V) refert . . . non licere vel privata vel publica sacra sine foco fieri), unde et ipsa et Ianus in omnibus sacrificiis invocantur. Vesta autem dicta vel ἀπὸ τῆς ἑστίας, ut digammos sit adiecta . . . vel quod variis vestita sit rebus, ipsa enim esse dicitur Terra, quam ignem habere non dubium est, ut ex Aetna Vulcanoque datur intellegi. Id. Aen. II 296: Vestam] deam ignis, quae, ut supra diximus, terra est. Serv. interp. Aen. II 296: Vesta terra, quod in medio mundo vi sua stet et ignem intra se habeat. Id. Aen. IX 257: Canae Vestae] ipsa enim antiquissima dea Terra. *Cf.* Arnob. III 32 *et* R. D. XVI fr. 46 cum adnot. *Servii locis Varroniana quaedam inesse eo facilius conicitur, si per Cornelium Labeonem a Varrone rivulos illos perfluxisse iudicatur.* — *Vd.*

64c Aug. C. D. VII 30 p. 313, 22 sqq.: ⟦Qui hominum coetibus, quem focis et luminibus adhiberent, ad facillimos usus munus terreni ignis indulsit.⟧

65 Aug. C. D. IV 10 p. 159, 13 sqq.: ⟦Quis enim ferat, quod cum tantum honoris et quasi castitatis igni tribuerint *(cf. fr. 64b)*, aliquando Vestam non erubescunt etiam Venerem dicere?⟧

66 Non. p. 318, 25 sqq.: ⟦Habitare, uti.⟧ ... Varro ... Rerum Divinarum lib. XVI: Hoc nomine antiquos secundis rebus comam habitasse.

---

2 quem] quae *C*

7 Habitare *Turnebus*: habere *codd* utu *L* 9 comam *Quicheratus*: comas *codd,* cumas (*i. e.* Cumas) *ed. anni 1471.*

---

etiam Dion. Hal. II 66: Τινὲς μὲν οὖν οὐδὲν ἔξω τοῦ φανεροῦ πυρὸς εἶναί φασι τὸ τηρούμενον (sc. in templo Vestae)· τὴν δὲ φυλακὴν αὐτοῦ παρθένοις ἀνακεῖσθαι μᾶλλον ἢ ἀνδράσι ποιοῦνται κατὰ τὸ εἰκός, ὅτι πῦρ μὲν ἀμίαντον, παρθένος δ' ἄφθαρτον· τῷ δὲ ἁγνοτάτῳ τῶν θείων τὸ καθαρώτατον τῶν θνητῶν φίλον. Ἑστίᾳ δὲ ἀνακεῖσθαι τὸ πῦρ νομίζουσιν, ὅτι γῆ τε οὖσα ἡ θεὸς καὶ τὸν μέσον κατέχουσα τοῦ κόσμου τόπον (*cf.* Ov. fast. VI 267 sqq. 298; Serv. int. Aen. II 296; Arnob. III 32) τὰς ἀνάψεις τοῦ μεταρσίου ποιεῖται πυρὸς ἀφ' ἑαυτῆς. *Haec si e Varrone profecta sunt, id quod mihi quidem non dubium videtur, tamen num ab hoc ipso loco profluxerint incertum est. De similibus, quae apud* Plut. Num. 9 *leguntur, satis habeo repetere, quae Schwarzius scribit p. 499:* 'Res impeditior est, postquam virorum doctorum pars omnia Romana, pars nihil Varroni debere Chaeronensem statuit'. — Isidorus or. VIII 11, 67 *sua ex* Aug. C. D. IV 10, Serv. gen. Aen. I 292, Ovidio, Lactantio (I. D. I 12) *compilavit.*

65 *Vd. quaest. I p. 31.*

Indices sequuntur in fine huius fasciculi pag. 367 sq.

ÜBER DIE

BEI DEN ATTISCHEN REDNERN EINGELEGTEN URKUNDEN

VON

ENGELBERT DRERUP

Einleitung.

In den Werken der attischen Redner bewundern wir nicht allein die glänzenden Zeugen der künstlerischen Gestaltungskraft hellenischen Geistes, sondern aus ihnen schöpfen wir auch, wie aus einem vollen Brunnen, die Kenntnis des athenischen Staats- und Rechtslebens im 4. Jahrhundert v. Chr., von dem wir uns ohne dies Hülfsmittel nur eine dürftige Vorstellung machen könnten. Die Quelle fliefst freilich nicht völlig ungetrübt, da schon die attischen Redner es meisterhaft verstanden, die Wahrheit künstlich zu drehen und zu deuten; und darum sind für uns die Urkunden und Prozefsakten von besonderer Wichtigkeit, die als Einlagen der Reden in den Handschriften auf uns gekommen sind. Hier sind uns ja die offiziellen Dokumente erhalten, die um so mehr Glauben beanspruchen dürfen, als die Kunst des Redners erst an diesen πίστεις ἄτεχνοι anzusetzen hatte. Wie nun das Studium der Privatreden lange Zeit über Gebühr vernachlässigt wurde, so fanden auch die in diesen aufbewahrten Zeugenaussagen, Verträge, Klagschriften u. s. w. nur geringe Beachtung, während man sich der Erklärung der Gesetzesformeln schon früh mit Eifer zuwandte.

Im Vordergrunde des Interesses standen aber die in der *Kranzrede des Demosthenes* in beträchtlicher Zahl und grofser Ausdehnung überlieferten Urkunden, weil einmal dieses hervorragendste Denkmal antiker Beredsamkeit zu immer neuem und eindringendem Studium einlud, weil andererseits die weltgeschichtliche Tragödie des Falles von Athen jede Nachricht willkommen erscheinen liefs, die über die verwickelte Geschichte der letzten Jahre vor der Schlacht von Chaironeia Belehrung zu geben versprach. Sobald man indessen mit Ernst sich an die Aufgabe heranmachte, diese Volksbeschlüsse, Briefe, Zeugnisse in dem Rahmen der aus den Schriftstellern bekannten Zeitereignisse unterzubringen, erhoben sich ungeahnte Schwierigkeiten, die sich selbst mit den gewagtesten Annahmen nur unvollkommen beseitigen liefsen. Schon der gelehrte Vinz. Contarenus („Variae lectiones" 1606; ed. Traiecti ad Rhen. 1754 S. 94 fg.) hatte darum seinem Verdachte gegen die beiden ersten

Psephismata §§ 29 und 37/8 Worte verliehen; doch seine Stimme verhallte ungehört. In der Folgezeit bildeten dann besonders die *Archontes pseudeponymi* (nach einem von Corsini: Fasti Attici I S. 293 geprägten Ausdrucke) den Gegenstand der gelehrten Kontroverse, da nämlich in einer Reihe von Aktenstücken der Kranzrede Namen von Archonten zur Datierung beigeschrieben sind, die in der attischen Chronologie keinen Platz haben. Diesem Widerspruche suchte H. Dodwell („De veteribus Graecorum Romanorumque cyclis". Oxon. 1701 Dissert. III S. 192 fg.) durch die Erklärung zu entgehen, dafs unter den Archonten der Psephismata der ἐπιστάτης der Prytanen verstanden werden müsse, dem im Gegensatze zu dem der Bule präsidierenden jährlichen Archon die Leitung der Volksversammlung obgelegen hätte; Jac. Palmerius hingegen hatte in einer gelegentlichen Notiz („Exercitationes in optimos fere auctores Graecos". Lugd. Bat. 1668 S. 135) hier nicht den Archon eponymus, sondern ein anderes Mitglied des Archontenkollegiums (alium e Thesmothetis) bezeichnet sehen wollen, und diesen Gedanken griff E. Corsini („Fasti Attici". Florent. 1744—56. Tom. I. Dissert. VII S. 305 fg. 311 fg.) wieder auf, indem er die andere von Palmerius (S. 452) vorgebrachte Konjektur im Stiche liefs, die pseudeponymen Archonten müfsten als Ersatzmänner von verstorbenen oder abgesetzten Archonten (archontes suffecti) betrachtet werden. Ihn leitete dabei die Rücksicht auf die Zeitverhältnisse, da man andernfalls bis zu vier ersten Archonten in éinem Jahre annehmen müfste; trotz dieser Schwierigkeit aber kehrte G. F. Schömann („De comitiis Atheniensium". Gryphiswaldiae 1819 S. 136 fg.), wenn auch zweifelnden Sinnes, zur letzteren Ansicht des Palmerius zurück, indem er die Hoffnung auf eine glücklichere Lösung des Knotens aufgab. Hier griff A. Böckh ein, der in seiner berühmten Schrift „De archontibus Atticis pseudeponymis" (im ersten Teile gedruckt im Lektionsprogramm der Berliner Universität Winter 1827/8 S. 2—5, vollständig in den Abhandlungen der Berliner Akademie 1827 S. 129—159 = kleine Schriften IV S. 266—300) mit bewunderungswürdigem Scharfsinn die Deutung jener pseudeponymen Archonten auf den γραμματεὺς κατὰ πρυτανείαν zu begründen suchte: im attischen Staatsarchiv seien die Akten jedes Jahres in Fächern geordnet gewesen, die als gemeinschaftliche Etikette den Namen des Archon gehabt hätten, sodafs nun für die einzelnen Dokumente die speziellere Datierung mit dem Namen des Prytanienschreibers genügte; im Laufe der Zeiten seien dann jene Etiketten verloren und die Prytanienschreiber von den Sammlern der Dekrete irrtümlich für die Archonten gehalten worden. Voraussetzung war dabei, dafs die vorliegenden Dokumente der Kranzrede vom Redner selbst nicht mitveröffentlicht seien, dafs sie vielmehr von einem gelehrten Grammatiker aus den Beständen des attischen Staatsarchives oder aus einer hierauf beruhenden Sammlung ergänzt sein müfsten, wie es von F. A. Wolf

(Demosth. orat. adv. Leptinem 1789 S. 245) schon für die Gesamtheit der überlieferten Rednerurkunden ausgesprochen war: „Omnino factum videtur mihi saepius, ut in locis, ubi deessent scita, leges, aliaeve literae publicae, sicunde nota essent, aut ex ipsa oratione suppleri possent, a doctis lectoribus insererentur". Böckhs in ihrer konsequenten Durchführung blendende, nichtsdestoweniger äufserst künstliche Hypothese fand sogleich ungeteilten Beifall bei seinem Schüler F. Winiewski („Commentarii historici et chronologici in Demosthenis orationem de corona". Monasterii 1829 S. 291—361), der sich besonders um die Erklärung des historischen Hintergrundes der Dokumente bemühte, und auch A. Westermann (Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1837 n. 36/7 Sp. 297—312) stimmte zunächst rückhaltlos bei; ja noch J. Th. Vömel (Progr. von Frankfurt a. M. 1841 S. 4) bildete diese Ansicht dahin um, dafs „der Sammler von Dekreten das Kapitel, welches die Urkunden von einem Jahre enthielt, mit dem Archonten nur einmal überschrieben habe, ohne diesen vor jeder einzelnen Urkunde zu wiederholen, indem er diese blofs mit dem Namen des Prytanienschreibers versah, auch ohne jedesmal das ἐγραμμάτευε oder γραμματεύς zu wiederholen". Nur K. G. Böhnecke („Forschungen auf dem Gebiete der attischen Redner und der Geschichte ihrer Zeit" Berlin 1843), der mit grofser Gelehrsamkeit die sachlichen Dunkelheiten der Dokumente aufzuhellen und in seiner συναγωγὴ ψηφισμάτων die vom Philokrateischen Frieden bis auf die Zeit Alexanders ergangenen Dekrete an der Hand der Überlieferung in möglichster Vollständigkeit wiederherzustellen unternommen hatte, holte noch den Strategen hervor (S. 362), der seinen Namen den Aktenstücken zur Beglaubigung beigesetzt habe, dafs sie im Archiv niedergelegt werden könnten, während Vömel endlich (Programm von Frankfurt a. M. 1845 S. 17) in einem letzten verzweifelten Versuche nach Athen. IX 407 C einen besonderen über das Metroon gesetzten Archon hier erkennen wollte.

Inprimis antiqui sermonis proprium est nomen aliquid paulo post repetere, ne obliviscatur qui legat: tab. Bant. osc. v. 17 *eisuceu ziculud zicolom XXX nesimum.* cf. 312, 151. 275 *viam fecei ab Regio ad Capuam et in ea via.* 293, 32 *quom ea res agetur, quam in rem.* cf. 39. 54. 294, 5 *qua ager privatus ...., quem agrum.* ib. 24, 33. 295, 4, 12, 19, 27, 67. 294, 39—40 *invitis Langensibus ..... inviteis eis.*

307, 10 *quei eorum stipendia fecerit, quae stipendia.* cf. 312, 91. carm. evoc. apud Macrobium III, 9 *urbes agrosque eorum, quos me sentio dicere, uti vos eas urbes agrosque capita aetatesque eorum devotas consecratasque habeatis.* Cato de a. c. 46, 1 *locum quam optimum .... poteris .... eum locum.* Scipio Africanus minor p. 192 *ductus sum in ludum .... medius fidius in eo ludo.* Cato de a. c. 108, 1 *vini sextarium de eo vino.* Supervacuum etiam ex natura posteriorum sermonis additur homo ad nihil aliud spectans, nisi ut facilius intellegatur: 295, 2 *quantum unum hominem .... sumere licuit.* cf. ib. 93. 307, 6 *olleisque hominibus.* 311 B 3 *ad hominem liberum liberamve.* Cato or. V, 2 *si nemo esset homo.*[2])

II. Adverbia vel coniunctiones.

294, 4 *in poplico luuci.* ib. 17 *palam luci* cf. 292, 24.

Maxime antiqua lingua sequentem coniunctionem demonstrativo verbo quodammodo introducere solet, quae illi respondeat, nimirum ut perspicuitas augeatur. Sic verbo utei fere semper ita anteponitur. 293, 28, 61 *ob eam rem quod.* cf. 305, 7. 293, 65. 312, 15 *ibei ubei.* ib. 110 *ibei in eo ordine.* cf. ib. 131. Sempronius Asellio fr. 1 *demonstrabant ita quasi.* Cum hoc ibei postposito 312, 143 *qui in eis municipieis .... potestatem ibei habebit.* cf. Cato de a. c. 9. 76, 3. 308, 4 *ubi velint utei ibei iudicium ..... fiat.* Calpurnius Piso fr. 8 *ad cenam vocatum ibi non multum bibisse.* — Similiter 312, 143 *tum, cum censor ... censum aget.* ib. 150, 162. Cato de a. c. 31, 2 *tum erit tempestiva, cum semen suum maturum erit.* cf. 33, 2. tab. Ig. VI B 39 *pue persnis fust, ife endendu.* id. 41. VII A 6 *ape traha sahata combifiansust, enom erus dirstu.*

Coniunctiones dum, donec ita per usque introducuntur, quod postea non nisi ante ad aut ab retinetur, rarissime sicut apud anti-

1) ed. Bruns in: fontes iuris romani antiqui[5] cur. Th. Mommsen, Friburg. i. B. 1887.

2) cf. Plauti Trin. v. 305 *qui homo cum animo inde ab ineunte aetate depugnat suo.*

quos ante dum: Cato de a. c. 22, 2 *usque dum recte temperabitur.* ib. 30. Iam adeo auget ib. 56 *usque adeo dum ficos esse coeperint.* cf. 67, 2. 76, 4. 86. 95, 1. or. II, 11. de a. c. 106, 1 *demittito ad modum dum.* cf. 110. 112, 3. 156, 2.

III. Pronomina.

a) Demonstrativa. Si pronomen relativum antea legitur, semper demonstrativum sequitur simili ratione ac illud ibei postpositum, de quo modo disserui. Atque inprimis quidem adhibetur in apodosi atque in structuris hypotheticis, quae relativam explicant. Talia etiam in nostra lingua vulgari observare potes. Serviunt autem sententiis illustrandis. Sic in omnibus legibus sescenties: 97, 4 *sei ques esent, quei .... eeis.* cf. 292, 16, 19, 21, 23. 293, 11 *quei ex h. l. patronus datus erit, si is.* 311 II 2 *a quoquomque pecunia .... petetur .... sei is.* cf. ib. 25. Cato de a. c. 7, 2 *quas suspendas duracinas ...., eae.* cf. 20, 1. 28, 2. 51. 58. or. IV, 7. orat. 51. ad Marcum filium p. 82. Claudius Quadrigarius fr. 7 *Marcus Manlius, quem ...., cuiusque ...., is concedebat.* T. Annius Luscus orator p. 164 *imperium quod .... id.* C. Sempronius Gracchus p. 232 bis. Sempronius Asellio fr. 1. Varro l. l. VI, 42 *tertium, in quo quid facimus, id maximum.* tab. Bant. osc. v. 8 *piei ex comono pertemest, izic.* tab. Ig. VI A 19 *porsi .... ostensendi, eo iso ostendu.* cf. IV, 33. V A 5, 10. VI A 6, 19. cf. tab. devot. in libro Wordsworthii p. 231 *A. Letinium Lupum qui ....., hunc ego aput vostrum numen demando.*

Rarissime hoc demonstrativum in apodosi deest: 97, 3 *de Bacanalibus quei foideratei esent, ita exdeicendum censuere* — id quod iam Mommsenus C. I. L. I p. 44 adnotavit formulam *pecuniae quei volet petitio esto* comparans. Ac similem quidem habemus 292, 9 *eam pequniam quei volet magistratus exsigito.* cf. 293, 18. 312, 19, 97, 107, 125, 141. — Ex hoc *quei* in lege coloniae Genetivae paulo post Caesaris mortem prolata *cui* corruptum esse coniecit Mommsenus, ephemeris epigraphica III, 121.

Deinde omissum est 306, 6 *qui redemerit praedes dato.* 306 II 15. 311 B 18. tab. Ig. VI B 54 *pisest totar Tarsinater ..... eetu ehesu poplu.*

Videmus igitur paulatim hanc anxiam, ut ita dicam diligentiam dicendi remitti.

Aliquando demonstrativum postponitur, etiamsi relativum non antea scribitur. Hic saepe agitur de enumerationibus, quarum singulae demonstrativo postposito iam comprehenduntur: 294, 39 *prata invitis Langensibus et Odiatibus .... quem possidebit, inviteis eis.* Cato de a. c. 5, 3 *amicos domini eos habeat sibi amicos.* ib. 5, 8 *foenum cordum, sicilimenta de prato, ea arida condito.* 7, 4 *oleas orcites, posias, eae optime conduntur.* 8, 1 *africanas et herculaneas sacontinas, hibernas, tellanas atras, pediculo longo, eas in loco crassiore ..... serito.* cf. 8, 2. 51. 73. 83. 157, 3. or. VII, 4 *Fluvius Hibernus is oritur.*

Quocum usu dicendi cohaeret genetivus demonstrativi supervacuae cuiusdam accurationis causa adiectus sive notio eius iam alia forma pronominis sive alio verbo expressa est: 294, 30 *ceteri Langenses, qui eorum* — pro quo si quis posteriorum rationem partitivam significare voluisset, *ceterorum Langensium qui* scripsisset. 312, 10 *sei ex eis cos. et pr., ad quos ....., nemo eorum.* Varro l. l. IX, 51 *hi ea, quae natura declinari non possunt, eorum declinatus requirunt.* IX, 78 *ut signa, quae non habent caput, ... nihilo minus in reliquis membris eorum esse possunt analogiae,* X, 45 *analogia quae dicitur eius genera sunt duo.*[1]) Fortasse Gellius noctium atticarum III, 10 Varronem, quem initio laudat imitatur: *dies deinde illos, quibus alcyones hieme anni in aqua nidulantur, eos quoque septem esse dicit.* — Iam vero duo sine spatio exstant 312, 96 *quei eorum ex his quei.*

Eadem cumulatione loquendi explicandum est

b) pronomen possessivum satis superque additum: 293, 50 *tum praetor cum soveis viatoribus apparitoribusque.* — Magis mire 305, 6 *ea nos animum nostrum indoucebamus,* id. 11. Cato de a. c. 31, 2 *tum erit tempestiva, cum semen suum maturum erit.* — Denique

c) plura pronomina cumulantur: 293, 21 *quo quoiusque quisque nomen detolerit.* Cato or. V, 10 *quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est* — ubi verbi quisquam non nisi quicquam causa est, ut iam hic de assimulandi quadam ratione loqui possis. Hoc modo augeri quae dicuntur apparet.

Eiusdem etiam pronominis varii casus se excipiunt: 295, 90 *ei eius agri.* cf. ib. 99 *is eius pecuniae.*

IV. Verba.

Ac primum quidem plura verba coniunguntur, quorum significationes ut non synonymae ita cognatione quadam propinquae aliae aliarum vim augent. 292, 19 *imperium nei petito neive gerito neive habeto.* cf. 295, 32. 308, 27 *habere frui possidere defendere.* 310, 6 *utei tangere, sarcire, tegere, devehere, defigere, mandare, ferro oeti, promovere, referre [ius] fasque esto.* cf. 295, 58. 311, 27, 36. 311 II 31 *dare facere praestare restituereve.* cf. ib. 39. 312, 163 *si eae res ..,.. additae commutatae concretae essent.*

Deinde ex illa diligentissima sentiendi accuratione, qua auctor quoquo modo intellegi vult, singularis ille usus dicendi manat, ex quo eiusdem verbi plura tempora uno tenore vel dissolute vel particula disiunctiva ve dirempta ponuntur: 293, 13 (bis) *siet fueritve.* ib. 16. 22. 295, 44, 58, 67, 77. 309, 13, 16, 29. 293, 74 *est eritve* 294, 36. 295, 9, 12, 19, 70, 87. 307, 12, 20 sq. *oportet oportebit.* 309 II 17. 312, 52. cf. 309, 5. 311 II 3, 27, 54. 312, 20. *est erit*

---

1) Fere eadem ex ratione haec iam disseruit E. Norden in Musei Rhenani vol. XXXXVIII (a. 1893) p. 549.

312, 30, 56, saepissime. — *oportuerit oportebitve:* 292, 8. 295, 78. *faciet feceritve* 295, 64. *dixet dixerit* 312, 74. *fuit fueritve* 293, 73. cf. 295, 15, 16, 23, 32, 75. *fecit fecerit* 312, 110, 112, 113, 114, 116, 117, 121, 122. *est erit fuit fuerit* 312, 113. *esset fuisset* 311 II 15. tab. Ig. VI A 22 *teio subocau suboco.* id. 24. VI B 7, saepius. Iam vero idem verbum repetitur VI B 64 *sururont deitu, etaians deitu.*

V. Particulam negativam

sic geminatam invenio Cato de a. c. 66 *vaso aheneo neque uncleis ad oleum ne utatur.* cf. Varro sat. 45 τρόπων τρόπους *qui nón modo ignorásse me Clamat sed omnino omnis heroas negat nescisse* — rerum rusticarum exempla collegit H. Keil commentarii p. 21.[1]) qui dicendi usus quantopere ex natura vulgaris sermonis sit, Ziemer l. c. p. 140 sq. cum aliarum linguarum tum poetarum latinorum priscorum exemplis collatis optime enucleavit.

Caput II.

Asyndeton.

Ex simili animi motione affectuque quo copia verborum asyndeton oritur. Et cogitatione et pronuntiatione celerius progrediente verba inter se vinculo egere opus est, cf. Ziemer l. c. 51. Atque apud auctores antiquos de illo genere agi, quod dicitur enumerativum sive copulativum, iam Norden, index lectionum gryph. 1897 p. 29 adnotavit, qui cum in commune de hoc genere dicendi tum de historia eius ita disseruit, ut melius aliquid dicere mihi difficile sit. Idcirco mihi quidem restat, ut exempla, quae sermonis prisci plurima habeamus rationibus quibusdam distinguam. Videamus igitur primum dissolutionem bimembrem

I. Nominum.

In quibusdam usitatis formulis non solum a primordiis linguae latinae adhibitam sed etiam posterioribus temporibus hanc figuram servatam invenimus. Ac praesto quidem est ut linguae latinae semper in consulibus nominandis, ita apud Oscos in praetoribus et censoribus: lex osca tab. Bant. v. 28 *pr. censtur.* — Eodem modo 295, 33, 35 *consulis praetores.* — Itaque uno loco, quo in oratione contexta antiqua coniunctionem et lego: 308, 1 non recte ex graeca versione (latinae autem prima pars deleta est) restitutam esse per-

1) cf. Plauti Pseud. v. 136 *neque homines magis asinos numquam vidi.*

suasum habeo, immo: *Cos. Q. Lutatio Q. f. Catulo, M. Aemilio Q. f. M. n.* — latinae legi infuisse coniciam.

Item testium nomina sine copulativa particula posita esse iam Weissbrodt observavit in observationum in senatus consultum de Bachanalibus partic. I, index lectionum Brunsbergae 1879, p. 13. Agitur enim de 97, 2 *sc. arf. M. Claudi M. f., L. Valeri P. f., Q. Minuci C. f.* — Porro 292, 4 *in poplico luuci.* 293, 4, 6 *ioudicium ioudicatio.* 294, 15 *in monte pro cavo.* cf. ib. 19. 295, 2, 3, 5 sq. *agrum locum.* 295, 11 *viariis vicaneis.* cf. 307 II 15. 295, 85 *populorum liberorum perfugarum.* 307 II 9, 13 *eo iure ea lege.* 308, 23 *Asiam Euboeam.* cf. ib. 30. 309 II 4 *iudicia recuperationes danto.* cf. 310, 9. ib. *sine scelere sine piaculo.* 310, 17 *pelleis coria.* 312, 120 *kalumniae praevaricationis causa.* 312, 64 *municipis fundanos.*

Cato de a. c. 7, 2 *in olla in vinaceis* — quod exemplum non inveni in Keilii commentario in Catonis de agri cultura librum p. 110 ubi cetera collecta sunt. orat. II *qui eorum bona liberos diriperent.* VIII, 1 *indicta causa iniudicatis incondemnatis.* cf. XI, 1. XVIII, 1 *servi ancillae.* Cornelius Sisenna fr. 46 *assiduitate indulgitate victus.* fr. 76 *iumenta pecuda.* fr. 132 *multi populi, plurimae contionis.* Varro l. l. VIII, 30 *in vestitu aedificiis.* IX, 104 *ideoque in venditionis lege Ruta Caesa ita dicimus.* Dialecti oscae hoc affero tab. Bant. v. 21; *esuf comonei lamatir pr. meddixud toutad praesentid.* — Umbricae tab. Ig. VI A 1 *este persclo aveis aseriater enetu, parfa curnase dersva, peiqu peica merstu.* I A 5 *ukriper Fisiu, tutaper Ikuvina.* ib. saepius. VI B 59 *nerf sihitu ansihitu.* ib. *iovie hostatu anhostatu.* cf. 62. VII A 13—15. 28.

Porro 84 *dono dedet lubs mereto.* cf. 85. 86. 118. 312, 54 *is eam semitam eo aedificio perpetuo lapidibus perpetueis integreis continentem ..... habeto.* Cato de a. c. 21, 2 (bis) *inter cupam dextra sinistra.* cf. 21, 3. 160. 90 *ei fabam coctam tostam primum dato.* 139 *uti sies volens propitius.* cf. 141, 2. tab. Ig. VI A 23 *fos sei, pacer sei ocre Fisiei.* Cato de a. c. 103 *quarto quinto quoque die.*[1]

II. Adverbiorum.

292, 17 *palam luci.* cf. 293, 38, 65, 66. 310, 11 *melius honestius.*

III. Verborum.

268 III *vire agris iudicandis adsignandis.* cf. 269. 293, 26 *legerint ediderint.* ib. 69 *darei solvi.* 72 *abierit abdicaverit.* 295, 3 *dedit adsignavit.* cf. ib. 5, 7, 81. 295, 26 *pastum impulsum.* 306, 11 *oportet oportebit.* cf. ib. 307, 12, 20 sq. 309 II 17. 312, 49. 307 II 8 *legere seu sublegere.* cf. ib. 10, 11, 13, 14 sq. 307 II 26 sq. *sumito habeto.* ib. *dare subdere.* cf. 311, 26, 36. 309, 5 *sunt erunt.* cf. ib. 34 *sunt fuerunt.* 309 II 15 *dent praebeant.* ib. 17 *dare prae-*

---

1) cf. Plauti Trin. v. 287 *dies noctis canto.*

bere oportet oportebit. 309 II 30 *sint fiant.* 311, 12 *iubeto decernito.* cf. ib. 17. 311, 43 *includantur concipiantur.* cf. ib. 44, 48. 311 II 11 *damnatus esset fuisset.* 311 II 46 *ius deicito decernito.* 311 II 53 *sunt erunt.* cf. 312, 20. 311 II 54 *de familia erceiscunda deividunda.* 311 B 8 *arbiter addicatur detur.* 311 B 9 *iudicium fierei exerceri oportebit.* 312, 24 *queiquomque ..... faclei createi erunt.* 312, 110, 127 *sententiam deicere ferre licebit.* 312, 149 *legarei mittei.* carm. evoc. apud Macrobium III, 9 *do devoveo.* Cato de a. c. 2, 2 *si ei opus non apparet, dicit vilicus.* — Calpurnius Piso fr. 27 *dicitur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse.* — Coelius Antipater fr. 24 *commodum est, satis videtur.* fr. 46 *amisso exfundato pulcherrimo oppido.* — Claudius Quadrigarius fr. 36 *recessit, offendit montem, loca invenit.* fr. 49 *ne respueret verminaret.* fr. 57 *cito intellexit ...... descendere iussit.* C. Titius orator p. 204 *unguentis delibuti, scortis stipati.* Varro sat. 268 *viget veget.* l. l. VI, 39 *faciunt magnum, quae ex his constant in mundo, ostendunt.*[1])

Umbricae dialecti iam apud Leonem quaestionum Plautinarum p. 246 adn. 4 invenies tab. Ig. VI B 56 hoc exemplum: *ape ambrefurent, termnome benurent.* — Praeterea ego affero VI A 17 *tremnu serse combifiatu, arsferturo nomne carsitu.* VI A 22 *teio subocau suboco dei Grabovi.* VI B 7 saepius. II A 41 *kuveitu teđtu.* II B 8 *upetu eveietu.* IV, 21 *etu veltu.* ib. *persuntre antentu.* cf. quae Buecheler adnotat l. c. p. 167. VI A 24 *fos sei pacer sei.* 31, 33, 41. saepius. VI B 7, 27, 32, 62. VI B 56 *arsmahamo caterahamo.* 57 ape *ambrefurent, termnome benurent.* — Neque tamen Leoni doctissimo viro vera esse concedere possum quae his verbis l. c. contendit: zwei Verba, die von einer Conjunction oder Relativ abhängen, werden nur dann asyndetisch neben einander gestellt, wenn das zweite Verbum entweder einen Fortschritt des Gedankens, der Handlung bezeichnet oder zu dem ersten in Gegensatz tritt (sequuntur Plauti exempla). Dieses Asyndeton abhängiger Sätze ist italisch; genau so tab. Ig. VI B 56. Für sich ergänzende Synonyma, die im unabhängigen Satz so oft asyndetisch gestellt werden, wüfste ich in einer abhängigen Verbindung nur Stich. 206 *qui multum miseri sunt, laborent* anzuführen, — dico non me assentiri, si hanc legem ad priscum sermonem pedestrem pertinere censet, id quod mihi concludendum videtur ex illius verbis: dieses Asyndeton abhängiger Sätze ist italisch. — Cum enim ad singula exempla a me prolata respicio, non pauca illis tribuenda esse persuasum habeo, quae Leo *sich ergänzende Synonyma* appellavit. Nonne habemus talia synonyma 295, 3 *quem agrum locum quoieique dedit adsignavit?* idem 295, 5, 7. Nonne habemus 307 II 15 *neive inperato, quo quid magis iei dent praebeant?* idem 307 II 17.

1) cf. Plauti Pseud. v. 10 *gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis.* Trin. v. 210 *falsone an vero laudent, culpent quem velint.* 243 *ilico res foras labitur, liquitur.* — Ad quem versum Brix multa exempla Plautina collegit.

Nonne 311, 43 *utei ea nomina ..... in eo iudicio includantur concipiantur?* cf. ib. 44, 48 ut taceam de ceteris: 311 II 54. 312, 24, 149. — In omnibus his ex coniunctione vel relativo pendentibus Leonis condicionem non agnosco. Itaque quamquam plurimis locis illum usum praevalere concedo, quo iure lex dicatur non video.

Dissolutio trium vel plurium membrorum.

I. Nominum.

292, 24 *iouranto apud quaestorem ad aerarium palam luci.* 293, 8 *dictator consul praetor magister equitum.*

Paulo longior enumeratio 293, 16, 22. cf. 295, 35. 311 B 15. 293, 31 *in terra Italia in oppedeis foreis conciliaboleis.* cf. 295, 5. 295, 6 *quod quoieique de eo agro loco agri loci aedificiei.* cf. 309, 12, 29. II 26. 309 II 23, 27 *in rebus loceis agreis aedificieis oppideis.* 312, 126 *quoi h. l. inmunicipio colonia praefectura foro conciliabulo ..... senatorem decurionem conscriptum esse ..... licebit.* ib. 128, 130, 133, 138, 150. cf. 311, 42. B 5, 10. 312, 90, 95, 98, 108. carm. evoc. apud Macrobium III, 9 *ut ..... metum formidinem oblivionem iniciatis.* ib. *loca templa sacra urbs.* ib. *fuga formidine terrore.*

Cato de a. c. 7, 2 *eadem in sapa, in musto, in lora recte conduntur.*

Claudius Quadrigarius fr. 94 *pluvia imbri lutus erat nullus.* — Cornelius Sisenna fr. 113 *armis equis commeatibus.* — Scipio Africanus minor p. 184 *omnia mala probra flagitia.* — Varro sat. 22 *quibus seges praebeat domum, escam, potionem,* cf. 342. tab. Ig. VI A 2 *aseriaia parfa dersva, curnaco dersva, peico mersto, peica mersta, mersta avvei, mersta angla esona.* ib. 22 *teio subocau suboco dei Grabovi, ocriper Fisiu, totaper Iiovina, erer nomneper, erar nomneper.* Porro 293, 51 *sorticolam unam buxeam, longam digitos* IV, *latam digitos .....* 311 II 2, 25 *pecunia certa, credita, signata forma.* Coelius Antipater fr. 26 *nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam brevi spatio datas arbitror.* — Quamquam hic iam gradatio quaedam cognoscitur, ut non natura, sed arte asyndeton effectum sit.

II. Adverbiorum.

293, 23 *iouret palam, apud se, coram arvorsario.*

III. Verborum.

293, 71 *verba audeire in consilium eire iudicare liceat.* 294, 41 *prata inmittere defendere sicare.* 295, 11 *dederunt adsignaverunt reliquerunt* ib. 23. 295, 32 *habere frui possidere defendere licuit.* 295, 82 *ager ..... datus redditus commutatus.* 295, 85 *vectigalibus fruendeis locandeis vendundeis.* 310, 6 *utei tangere, sarcire, tegere, devehere, defigere, mandare, ferro oeti, promovere* [ius] *fasque esto.* 310, 11 *emere conducere locare dare.* 311 II 57 *ius deicito decernito*

iudicia dato, iudicare iubeto. 312, 163 *sei eae res ...... additae commutatae concretae essent.* Cato de a. c. 2, 2 *dicit vilicus sedulo se fecisse, servos non valuisse, tempestates malas fuisse, servos aufugisse, opus publicum effecisse.* cf. 4. Claudius Quadrigarius fr. 39 *comprehensare suos quisque, saviare, amplexare.* Valerius Antias fr. 45 *pecunia capta ablata coacta ..... est.* Varro sat. 454 *nimirum vigilant clamant calent rixant.* tab. Ig. II A 24 *purtuvitu vestikatu ahtrepuđatu.* cf. 29—32. VI B 59 *tursitu tremitu, hondu holtu.*

Eodem modo se habent legis Aquiliae de damno ed. veluti Wordsworth l. c. p. 272, cuius de verborum aetate non constat: *si quis alteri damnum faxit, quod usserit, fregerit, ruperit iniuria.*

Aliquando e structura dissoluta in structuram coniunctam priscos auctores transire videmus, quam mutationem quantum scio Cicero et aequales eius vitant cf. Madvig, lateinische Sprachlehre § 434 adn. I. — Sic habemus 312, 146 *eorum nomina praenomina, patres aut patronos, tribus, cognomina, et quot annos quisque eorum habet et rationem pecuniae ..... accipito.* Cornelius Sisenna fr. 105 *prores actuariae, tragi grandes ac faseli.* Cato de a. c. 2, 7 *boves vetulos, armenta delicula, oves deliculas, ..., servum morbosum et siquid aliud supersit, vendat.* cf. ib. 44. 61, 1 *si male arabit, radices susum abibunt, crassiores fient, et in radices vires oleae abibunt.* 84 *farinae selibram, casei p. II S una commisceto quasi libum, mellis p. et ovum unum.* 155, 1 *familiam cum ferreis sarculisque exire oportet, incilia aperire, aquam diducere in vias et segetem curare oportet.*

Unde sequi mihi videtur, ut priscae latinitatis auctores structurae disiunctae et coniunctae nondum genera peculiaria senserint, quae acriter aliud ab alio distinguantur. Libertate igitur multo maiore utuntur, quam auctores optimi, quos plerumque non nisi particula q u e asyndeton finire nota res est.

Caput III.

De coordinatione.

Omnium linguarum progressus quantopere cum ratione sentiendi ac cogitandi hominum cohaereant, nostris temporibus inprimis B. Dellbrück, Brugmann, ut de prioribus, qui novam grammaticae doctrinam excitaverunt, taceam, quaestionibus ad verborum compositionem pertinentibus docuerunt. Homines enim incultos illius de qua quaerimus aetatis quemadmodum cogitationem quamque indoles ac natura pepererunt ita lingua proferre satis constat. Quid quod etiam nunc, quicumque cum M. Luthero hominum plebeiorum sermonem explorare consuevit (sive ut ipsius verba apponam: *dem ge-*

meinen Mann aufs Maul sehen, cf. libellum cui inscripsit Vom Dolmetschen) volgus rarissime singula subiungendi ratione distinguere non ignorat. Quem morem omnium fere gentium in inferiore cultu et humanitate collocatarum esse communem maxime in verbis sentiendi et dicendi Ziemer l. c. p. 110 demonstravit. Hinc in linguae latinae monumentis etsi numquam non talia inveniri constat, tamen antiquissima monumenta prae ceteris tantopere his abundant, ut haec ipsa res maximo sit documento prisci populi romani lingua non nisi ex ingenii natura ac necessitate exculta illam acerbitatem horridiorem simplicitatemque repraesentari, quae fuerit potentiae atque auctoritatis origo. At iam de singulis videamus.

I. Coordinatio singularum notionum.

a) Nominum.

275, 5 *ad fretum ad statuam ..... sunt meilia CC XXXI* — quorum loco optimi auctores dixissent *freti* vel *quae ad fretum est.* 293, 2, 16 *tribunus mil. legionibus IV primis aliqua earum* — ubi accuratam illam pronominis demonstrativi postponendi diligentiam reperimus. Posteriores enim dubium non est quin haec ita fuerint enuntiaturi: *legionum IV primarum aliqua.* 293, 14 *quos legerit, eos patrem tribum cognomenque indicet* — pro *eorum.* ib. *in tabula in albo scriptos ..... habeto* — pro *in tabula alba.* cf. 312, 15, 18. 293, 31 *conquaeri in terra Italia in oppedeis foreis conciliaboleis* — pro *terrae Italiae.* 293, 44 *se facturum quo quis suae alterius sententiae certior fiet* — ubi ego quidem exspectarem *alterius suarum sententiarum.* Adiungendi causa sine dubio *suae* praepositum fuit. Varro l. l. V, 85 *in comitiis in sacris* — quem ad locum L. Spengel recte adnotavit: exspectamus *in locis sacris* vel *in comitio et in locis sacris.* Attamen coordinatio, quae ex prisci sermonis natura structa est, offensionem nullam praebet. 293, 60 *quei eiei iudiciei consilioque eius maiorei parti ..... satis fecerit* — pro *consilii.* cf. 293, 75 ubi quamquam plura deleta sunt, tamen dativus traditus *ei* et quae sequuntur *eorum maiorei parti* faciunt, ut eandem structuram fuisse suspicer. cf. 310, 15 *id veicus Furf. ma[ior] pars fifeltares sei absolvere velent.* 294, 25 *vectigal .... in puplicum Genuam dent* — pro *Genuae.* 294, 43 *Vituries qui .... damnati sunt, sei quis in vinculeis ob eas res est, eos omneis solvei .... videtur.* — Multo simplicius Ciceronis aetate scripsissent *Veituriorum quei .... sei quis .... omneis.* At in legum sermone, ut duae notiones comprehenderentur, ex more illo *eos* addi oportuit. Varro l. l. V, 23 *ab eo qui Romanus combustus est, si in sepulcrum eius abiecta gleba non est* — pro — *ab eo Romano, cuius combusti in sepulcrum abiecta gleba non est.* VII, 17 *Delphis in aede ad latus est quiddam* — pro *aedis.* VII, 109 *in illis qui ante sunt, in primo volumine* — pro *illorum.* IX, 9 *siquis in oratione in pronuntiando ita declinat verba.*

IX, 27 *non in terra in sationibus servata analogia.* X, 57 *videmus enim ex his verbis trabes duces de extrema syllaba E litteram exclusam.* sat. 399 *in quibus partibus in argumentis Caecilius poscit palmam.* r. r. I 2, 28 (laudat Catonis de a. c. 156, 1 quamquam non ipsis illius allatis verbis) *ante esse oportet brassicam crudam ex aceto aliqua folia quinque.* cf. II 1, 5. 5, 18.[1]) Cato de a. c. 6, 1 *oleam conditivam .., quam earum in iis locis optimam dicent esse, eam maxime serito* — pro *olearum conditivarum ..... quam ..... serito.* 294, 14 *agri iugra non amplius XXX possidebit* — ubi *iugra* quod praepositum est, sine dubio apud posteriores ex verbo *amplius* penderet, ut legeremus *iugorum non amplius quam.* — De ablativo comparativo infra verba faciam. — cf. 97, 19 *homines plous V oinvorsei virei atque mulieres sacra ne quisquam fecise velet* — ubi et *plus* et *quisquam* genetivum *hominum* postularet. Quo de loco nihil agit Wordsworth l. c. p. 419: *homines ,persons' is in loose apposition with quisquam.* — 294, 14 *pequdes maiores non plus X* — pro *pequdum maiorum.* 306 II 13 *introitu in area ..... pariete opstruito* — *introitu* aut ablativus aut locativus priscus est. At quis pro verbis *in area* non *in aream* vel *areae* exspectet? 307 II 40 *in eis decurieis ad aedem͡ Saturni in pariete intra caulas* — cum unus genetivus *aedis Saturni* multitudinem notionum paulum subiunxisset. Atque hic clare originem adiungendi vocabula perspici puto. Praesumitur enim lege ea notio, cui maxima vis tribuitur: *ad aedem Saturni* (qua de collocatione infra agam). Tum in mentem auctoris venit, ut hanc diligentius explanet ita, ut ratio grammatica prioris vocabuli non iam mutari possit. 341 *conlegiu* (= gium) *lani piscinenses* — quae formula quin vetus sit non dubito. Willmanns, exempla I, 85 inter annos 536—710 a. u. c. inscriptionem conceptam esse statuit. Cato de a. c. 8, 2 *hortum omne genus, coronamenta omne genus.* Varro l. l. IX, 110 *quod hoc genus omnia sunt* — pro *huius generis.* sat. 338 *si de id genus rebus ad communem vitae usum pertinentibus confabulemur.* r. r. I 29, 1 *seminaria omne genus.* — exempla collegit Keil commentarii p. 83. — Id quod semel Ciceronem: ad Atticum XIII 12, 3 *scis me,* inquit ille, *antea orationes aut aliquid id genus solitum scribere,* Caesarem numquam usurpasse legi veluti in Krebs, Antibarbarus der lateinischen Sprache [6.] vol. I p. 568.

Porro Cato de a. c. 10, 1 *oletum agri iugra CCXL instruere oportet* — pro ablativo qualitatis: *iugeris*; sive pro genetivo *iugerum* quem Schneiderus falso in orationem contextam recepit. ib. 13, 1 *in torcularium in usu quod opus est* — pro *torcularii.* 27 *Sementim facito ocinum viciam* — pro *ocini viciae.* — Explicanda est haec adiungendi ratio assimilatione, qua structura simplicis verbi

1) Alia exempla inprimis ex libro de rebus rusticis conscripto attulit Norden in Musei Rhenani XXXXVIII p. 547.

serere in circumlocutionem *sementim facere* transit. cf. Ziemer l. c. p. 117. 28, 2 *aperito terra radicibus fini* — pro *radicum*. 46, 1 *locum quam optimum et apertissimum et sterocosissimum poteris et quam simillimum genus terrae eae ubi......, eum locum bipalio vertito*. — Hic iuxta accusativum *locum* paulo post *simillimum genus* habemus, quasi genetivus *loci* anteisset, cum optimorum aliquis auctorum, si omnino tot verba cumulasset, certe dixisset *et cuius genus quam simillimum est*. At sententiae tantopere se praecipitant, ut Cato ex more suo non minus quam ex omnium priscorum usu omni dicendi arte neglecta libertate utatur maxima. — 93 *amurcam cum aqua commisceto aequas partes* — pro *amurcae et aquae*. 108, 1 *polentam grandem dimidium acetabuli..... indito* — pro *polentae grandis*. cf. 109. 127, 1. 127, 2 *conterito et mel coctum drachmam unam et vini sextarium origaniti* — hic iuxta accusativum *mel* genetivus *vini* extat. Cassius Hemina fr. 23 *in area in Capitolio* — pro *Capitolii*. cf. Varro ant. rerum humanarum VII apud Festum 285.[1] 34 *in Capitolio in ara*. r. r. I 2, 4 *in oceano in ea parte*. Calpurnius Piso fr. 27 *hi contemnentes eum assurgere ei nemo voluit* — pro *horum contemnentium*. tab. Ig. VI A 8 *verfale pufe arsfertur trebeit ocrer peihaner, erse stahmito eso tuderato est*.

Quae exempla cum respicimus, adiungendorum vocabulorum causam invenimus esse hanc: duae notiones in eodem ordine positae aut eandem vim praestant (ex priscorum animis) aut secunda quasi ad primam accuratius explanandam additur, postquam illa iam sua ratione grammatica stabilita est. Cuius structurae neglegentia ea re etiam aucta est quod, ut hoc loco repetam, vetusti illi Romani lingua non exprimere volebant, nisi quod sentiebant.

Inprimis hanc coordinationem in comparativo adiectivi vel adverbii invenimus, cum comparatio omissa quam particula instituitur[1]). Atque iam XII tab. talia praebent: III, 2 *vincito aut nervo aut compedibus XV pondo ne maiore aut si volet minore vincito*. — Nam si in *pondo* ablativum vivere contendis, praesumptum *XV pondo* ipsum docet illum non ablativum comparationis qui vocetur esse, sed ablativum ex verbo *vincito* pendentem. Itemque interpreter X, 2 *hoc plus ne facito*. — 97, 22 *exdeicatis ne minus trinum noundinum*.[2]) 97, 19 *homines plous V oinvorsei virei atque mulieres* — dro *oinvorseis vireis atque mulieribus*. — Contra in eodem S. C. pe Bacchanalibus iam ea notio quae confertur per ablativum subiungitur: v. 6 *ne minus senatorbus C adesent*, id. v. 9, 18. — ib. 20 *neve inter ibei virei plous duobus mulieribus plous tribus arfuise velent*.

1) Hanc rem iam Wölfflin docuit, lat. u. roman. Comparation, Erlang. 1879, ut postea mihi indicavit E. Norden summa qua semper erga me fuit humanitate.

2) cf. Wordsworth l. c. p. 420 *(noundinum) is here apparently a neuter accusative agreeing with trinum*.

Deinde quam neglegitur 293, 23 *neive amplius de una familia unum.* ib. 48 *amplius* bis. ib. 63 *nei longius C dies edat.* cf. 295, 14 bis. 151. 295, 14 *minus annum gnatae.* 312, 89 *qui minor annos XXX natus est erit* — contra ib. 99 *quei minor anneis XXX natus est erit.* Cato de a. c. 17, 2 *plus menses VIII.* cf. 45, 3. 49, 2 *binas gemmas ne amplius relinquito.* cf. 89. 113, 2. 150, 2. 161, 2. or. II, 16 *saliunt e saxo pedes plus sexagenos.* cf. V, 5. orat. 18, 3 *non minus XV milia.* Coelius Antipater fr. 54 *non minus pedes XV.* Sempronius Asellio fr. 6 *minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur.* tab. Bant. osc. v. 16 *neip mais pomtis com privatud actud.* Varro l. l. VII, 13 *omne templum esse debet continuo septem nec plus unum introitum habere.* — id. de vita populi romani apud Plinium nat. hist. XIV, 14 *Lucullus..... numquam lautum convivium vidit, in quo plus semel graecum vinum daretur.* — ib. *millia cadorum congiariorum divisit amplius centum.* — ant. rerum humanarum XVIII apud Gellium I 16, 3 *ad Romuli initium plus mille et centum annorum est.* — r. r. I 1, 7 *plus quinquaginta.* cf. 2, 9. III 8, 11. 10, 3. 16, 11, 34.[1])

Priscos imitatum esse Livium XXXIII 30, 1 *ne plus quinque milia* verisimile est.

At si comparativum adiectivi vel adverbii tota aliqua comprehensio sequitur, iam prisci quam particula utuntur XII tab. VIII, 24 *si telum manu fugit magis quam iecit.* — 294, 42 *dum ne ampliorem modum praetorum habeant, quam proxuma aestate habuerunt.* 295, 2 *quod non modus maior siet, quam quantum unum hominem ex lege ...... sumere [licuit].* cf. ib. 40, 60. 306 II 21 *nive maiorem (parietem) caementa struito, quam quae caementa pendat.* — tab. Bant. osc. v. 5 *siom ioc comono mais egmas tovticas amnud pan pieisum brateis avti cadeis amnud.*

b) Verborum.

Omnium maxime facere verbum cum solo coniunctivo struitur. Neque priscos sensisse secundum verbum pendens, mihi videtur demonstrare veluti 293, 23 *quos is Cviros ex h. l. ediderit, de eis ita facito iouret.* — Hic enim iouret non nisi explicat primum verbum, quo iam ita mihi spectare videtur. Quare distinguere potes si vis *ita facito: iouret.* 292, 11 *facitoque ioudicetur,* ib. 21. 293, 15 *facito recitentur.* ib. 18, 23, 44, 57. 295, 28 *faciunto pateant.* 312, 36 *renuntietur facito.* Varro l. l. IX, 43 *lucerna in tenebris allata non facit quae ibi sunt posita similia sint.*[2])

Ab altera parte facere non solum cum ut: 293, 16 *facito utei ..... legat.* cf. ib. 21, 30 sed inprimis cum quo minus vel quo maius componitur: 292, 7, 19. 293, 71 *neive facito quo quis eorum*

---

1) cf. Plauti Trin. v. 402 *minus quindecim dies sunt.*

2) Plauti ad hunc usum dicendi aestimandum iam rectum vidit Brix ad Trin. v. 68.

minus ad id iudicium adesse possit. ib. 72, 84. 309 II 10, 15. 311, 52. 312, 117, 164. Atque adeo quin semel pendere invenio: Claudius Quadrigarius fr. 58 *paene factum est, quin castra relinquerent.*

Cato multo saepius facere sicut alia verba cum solo coniunctivo struit; quam rem nempe iam H. Keil observans nonnulla exempla affert commentarii p. 104, 105, sed ut est proprium illarum adnotationum, de causa nihil disputatur. — En praesto sunt: de a. c. 5, 7 *opera omnia mature conficias face.* cf. 20, 2. 25. 26. 31, 1. 32, 1. 41, 3, 4. 43. 46, 2. 69. 71 (bis). 76, 3. 77. 87. 101. 108, 1. 143, 1. 161, 4.

Ceterorum verborum plurimum sinere coniunctione ut vacat: Cato de a. c. 24 *sinitoque cum musto distabescat* cf. 91 bis. 92. 95, 2. 96, 1. 109. 112, 2. 116. 128. Varro epistolicarum quaestionum IV, apud Diomedem I (quem locum inveni in editione Bipontina 1788 I p. 197) *ad mortem perduceres non sii* — quamquam in duobus codicibus exstat *perducere*[1]). Porro Cato de a. c. 5, 2 *consideret quae dominus imperaverit fiant.* 14, 1 *faber haec faciat oportet.* cf. 21, 5. tab. Ig. III, 1 *esunu fuia herter sume ustite.* cf. V A 5 *piđe uraku ri esuna si herte.* cf. V B 8, 11, 14, 16. VII B 3. Varro r. r. I 2, 2 *morere oportet.* cf. II 3, 1.

Tum Cato de a. c. 1, 4 *caveto alienam disciplinam temere contemnas.* cf. 28, 1. 31, 2. 34, 2. 66. — Atque huius verbi cavere structuram etiam Ciceronis et Caesaris temporibus servatam esse constat. ib. 43, 2 *si voles vinea cito crescat.* cf. 46, 2. — Et hoc verbum velle Ciceronis aetate aliquando coniunctione caret. Livium autem qui saepius coniunctivo solo utitur, annalium dicendi modo vel scientem vel inscientem commotum esse conicio; veluti XXXVI, 14 *haec cum renuntiata essent, solutis religione animis patres rogationem ad populum ferri iusserunt, vellent iuberentne . . . . . . bellum iniri.* — Rogatione enim quae facillime causa illius coloris antiquioris esse potuit, mea sententia fulcitur.

Dein Cato de a. c. 54, 1 *pascantur satius erit.* cf. 69. Varro r. r. I 2, 26 *est satius dicas.* Cato de a. c. 73 *dato bubus bibant omnibus.* cf. 156, 6. 157, 9 (bis). — Praeterea autem hoc verbum dare liberius cum infinitivo structum videmus, ib. 89 *meridie bibere dato; nisi prius dato bibere.* 103 *dato rarenter bibere.* Quocum usu dicendi comparem Coelius Antipater fr. 12: *Sempronius Lilybaeo celocem in Africam mittit visere locum, ubi.* Infinitivus qui hic finalis est, ab obiecti vi non multum abest; quamquam non in hoc coordinationis caput spectat, tamen aliquid simile praebere mihi videtur illius neglegentiae, quae illa verba modo cum coniunctivo struit.

Porro Cato de a. c. 83 *liber licebit faciat.* cf. 158, 2. 161, 3. Varro de vita populi romani IV apud Nonium: *rumores famam differant licebit.*[2]) Quod verbum cum solo coniunctivo structum in con-

---

1) cf. Plauti Casinae II 2, 32 *sine amet sine quod lubet id faciat.*
2) cf. Plauti Trin. 1179 *et tute item videas licet.*

iunctionem quasi petrefactum esse iam docet eiusdem l. l. VII, 2 *multum licet legeret* — atque hanc rationem apud posteriores praevalere constat. Cato de a. c. 87 *eam patinam in sole ponito arescat.* — Eodem referam Claudii Quadrigarii fr. 10 *significare coepit utrisque quiescerent.* Scipio Africanus maior p. 7 *sed censeo relinquamus nebulonem hinc, eamus.* Varro l. l. VI 91 *patres censeant exqueras.* r. r. III 7, 11 *emas censeo.*[1]) tab. Ig. II A 18 *faśia tiśit* — cui Buecheler l. c. p. 131 comparat Plauti Poen. prol. v. 21 *diu qui domi otiosi dormierunt, decet animo aequo nunc stent, vel dormire temperent.*

Denique Cato de a. c. 73 *boves aquam bonam et liquidam bibant semper curato.* ib. 142 *curato faciat.* Coelius Antipater fr. 25 *curabo tibi cena sit.* — Item in commentario anquisitionis quem tradit Varro l. l. VI, 92 *uti curent, ..., in arce classicus canat.* — Ita his novis exemplis confirmatus Lucretii illum versum VI, 231 *curat item vasis integris vina repente | diffugiant* — prorsus persuasum habeo recte traditum esse, cum Lachmannus, commentarii p. 362 paucis prisci sermonis exemplis parum confisus *item* in *utei* mutandum esse censuerit. Ceterum de usu talium verborum apud posteriores disputat Lachmannus l. c., C. F. W. Müller, observationes criticae in prosaicos latinos, Landsbergae 1865 p. 12.

Iam ad duo verba in eodem ordine (vel tempore vel modo) posita progrediar, quorum alterum subiunctum alium tempus vel modum postulet: Cato de a. c. 2, 1 *vilicum vocet, roget* — pro *cum vocasset* — vel *vocatum.* 5, 7 *frondem iligneam legito, eam substernito* — pro *lectam substernito.* 44, 3 *manibus carpito, id renascetur* — pro *carptum renascetur.* cf. 157, 10.

Varro l. l. V, 61 *natura ad nascenda cum imbre et frigore luctare non volt et potius ver exspectat.* tab. Ig. VI A 17 *sve anclar procanurent, eso tremnu serse combifiatu, arsferturo nomne carsitu* — pro *arsferturer nomne carse* (dico: *flaminis nomen appellans*). I A 28 *suđum pesuntru fetu, esmik vestiśam preve fiktu, Tefri Iuvi fetu.* cf. 25, 32. I B 9, 40. IV, 21 *etu veltu.* VI B 51, 56.

---

1) cf. Plauti Trin. 591 *tandem impetravi abiret* — et quae alia exempla affert Brix. Plautini sermonis etiam indicativus enuntiationum secundariarum sic intellegendus est, cuius loco posteriores auctores ad sententias subiungendas coniunctivo potius utuntur; enoto veluti Trin. 847 *viden egestas quid negoti dat homini misero mali?* 850 *scin quid cantari solet?* 580 *dic hoc negoti quo modo actumst*; cf. quae ad hunc versum Brix optime explanat. tab. Ig. V A 7 *revestu puđe teđte eru emantur herte.* cf. Buecheler l. c. p. 31. Denique eadem ratione interpretatus quae traduntur in Varronis l. l. V, 140 *plaustrum ab eo quod non ut in his quae supra dixi, sed ex omni parte palam est, quae in eo vehuntur* — refuto quae A. Spengel adnotat: *scribendum vid. aut vehantur aut palam sunt.*

II. Coordinatio periodorum.

Qua observatione ad periodos contemplandas producimur. Ac primum quidem penuriam quamdam eius rationis significandae invenimus, quae inter singula enuntiata intersit. Ita nascuntur illa brevissima inprimis XII tabularum ac Catonis praeceptorum de agri cultura; cf. quae pulcherrima paucis perscripsit E. Norden in libro, quo his de rebus ample disputabit I, p. 163. — At tamen non illa obscurior brevitas posteriorum, veluti Taciti efficitur; immo simplicem sensum volgi inculti praestat, quod nec alia meditandi ratione utitur nec aliam rationem intelligit: XII tab. III, 2—4 *post deinde manus iniectio esto. in ius ducito. ni iudicatum facit ...... secum ducito. vincito aut nervo aut compedibus. quindecim pondo ne maiore aut si volet minore vincito. si volet suo vivito. ni suo vivit — libras farris endo dies dato. si volet plus dato.* cf. I, 6—9. — Coniunctiones fere semper desunt, ut suam quodque enuntiatum vim habeat cf. 19. 95; legem regiam apud Festum p. 189 (Müller). — Unum subiungendi genus perfectum in relativis et hypotheticis usurpatur cf. XII tab. II, 2. IV, 2. VII, 7. VIII, 2, 3, 4, 11 sq., 21, 22. XII, 3, 4. veluti II, 3 *cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.* — Ceterum de hac re cf. Schoell l. c. p. 100.

Similem simplicitatem praebet tab. Ig. I B 1—8, ubi multitudo protaseon, quamquam subiungenda erat, adiungitur; apodosis autem, quae consecutionem continet, non nisi particula inuk significatur. cf. II A 18—40. IV 21 sq. Singularem structuram praebet II A 16 *huntia katle tišel stakaz est sume ustite antermenzaru šersiaru. heriiei fašiu ađfertur.* Loco optativi *heriiei* aut si aut vel exspectamus; ceterum quomodo coniunctio vel ortum sit, hinc perspici potest cf. Buecheler l. c. p. 130. cf. tab. Bant. osc. v. 14 usque ad 18 et 28 sq. Praepositae condicioni fere semper statutum respondet. Si illae plures sunt, copula coniunctiva maxime se excipiunt. Uno loco copulam adversativam invenio: v. 20 *aut svaepis censtomen nei cebunst.* — Atque hac quidem auctor omnibus locis uti debuit, ubi de eo praescribitur, qui contra legem aliquid agit. Iam cumulantur hae coniunctiones 97, 10 sq. 24 sq. cf. columnam rostratam (391). 275 *viam fecei ab Regio ad Capuam et in ea via pontes omneis miliarios poseivi* —, cuius prima pars sine dubio structura ablativi absoluti polita esset: *in via ab Regio ad Capuam facta ...... poseivi.* cf. Cato or. II 25 *in campo Tiburti ubi hordeum demessuit, idem in montibus serit, ibi hordeum idem iterum metit* — pro — *eodem in montibus sato.* — Varronis cf. r. r. I, 20, 3.

Sed structurarum participialium quas vocamus, ut desunt antiquissimo sermoni XII tab. (cf. Schoell l. c. p. 106) primum vestigium inveni in fragmento 290 *L. Mumm]ius L. f. imp. [ded. Co]rintho capta* — quamquam non certum est. Non prius quam circa a. 100 a. Ch. n. in sermonis pedestris inscriptionibus pro certo habetur:

295, 84 *invito eo.* ib. 88 *inviteis eis.* cf. 294, 5. tab. Ig. I A 1 *aves anzeriates.* id. II A 17. VI A 1.[1]) — Poetarum priscorum exempla vide apud Holtze l. c. I, 112; sed quatenus illis locis de absoluto ablativo agatur accuratioris quaestionis sit, quamquam E. Bombe (cf. adn. 1) ablativum absolutum ex ablativo temporali repetit et *Plauti et Terentii temporibus vere absolutam structuram fuisse* (cf. p. 28 illius dissertationis) contendit. At structurae participiales per omnem legum linguam huius aetatis rarissimae sunt, in primis ablativus absolutus, quem veluti vidi 306 III 16.

Eandem penuriam particulae postquam adhibendae in legibus observamus cf. 295, 19. 305, 9. tab. Ig. I B 40 *pustertiu pane.*

Una si saepissime usae omni loquendi varietate egent. Adversativae vero at, autem, sed prorsus desunt. Talem maxime desideramus apud Catonem or. V, 5 *siquis illud facere voluerit, mille minus dimidium familiae multa esto.* — Dicit autem de lege aliqua. Post *mille* (supplendum est *sestertii* cf. XII tab. VIII, 4) exspectas sine dubio aut at aut dum taxat cf. 292, 12. Talium loco brevitas placuit.

At primum de brevioribus structuris verba faciam. Ut leges XII tabularum sic etiam Bantina ex alia aliam sententiam nectit tantum copula coniunctiva usa: v. 3 *[neive is testimon]ium deicito neive quis mag. testimonium poplice ei de[ferri neive den]ontiari [sinito. neive ioudicem eum neive arbitrum neive recupe]ratorem dato. neive is in poplico luuci praetextam neive soleas habeto neive quis [mag.* — cf. ib. v. 10 sq. Non dubitari potest, quin hic primum subiungendum sit: *postquam recuperatores ... dedit* — tum: *eum ...... cum condumnari populo iussisset, facito ioudicetur.* — At ne unum quidem horum auctor consecutus est. 294 a v. 2 pro tribus membris per et annexis facilior auctor sic diceret: *Q. M. Minucieis ...... controversias ...... cognitas cum ...... composuissent, qua lege agrum possiderent ...... dixserunt.* 305 a v. 4 usque ad 11 una periodo comprehendenda erant fere sic: *nosque quamquam ea ita audiveramus, ut vos deixsistis vobeis nontiata esse, tamen ea nos animum nostrum non indoucebamus ita facta esse propter ea quod scibamus, ea vos merito ...... oitile esse facere. Itaque postquam vostra verba senatus audivit, tanto magis animum nostrum indoucebamus.*

Maxime idonea ad docendum mihi videntur quae legimus 307. Ac primum quidem a v. 12 aut eidemque aut deinde continuo se excipientes sententias peragunt; tum in v. 32 semel cum solo que auctor pergit; in v. 35 novam annectendi formam cum invenisset, bis utitur ea, sed iam in secundo loco iterum suum que repetens non multo post bis in aciem producit. Quam sententias adiungendi rationem etiam exhibent carmina evocationis apud Macrobium III, 9 ubi et notiones et enuntiationes etiam atque etiam per que copu-

1) Catonis exempla invenies apud E. Bombe, de ablativi absoluti apud antiquissimos Romanorum scriptores usu, diss. gryph. 1877.

lantur. Quid, quaeso, magis simplicitatem, ne dicam paupertatem illius sermonis demonstret, quam eaedem coniunctiones iterum atque iterum anxie adhibitae?

Structuras dissolute sententias peragentes iterum 310 a v. 9 deprendimus. Neque aliter in ceteris inscriptionibus res se habet.

Ad Catonis rationem perspiciendam vide veluti de a. c. 1 cuius non paucae enuntiationes nulla coniunctione nisi semel et semel si introducuntur. Quibus caret c. 143. orat. 47. 65. ad M. filium p. 77. De primordiis artis orationum Catonis cf. Norden l. c. I 165 sq. De multitudine ceterorum taceo. Contra eadem coniunctione et abundat veluti de a. c. 157, 4 sq. — Qui singularis dicendi usus ut oritur ex natura vel remediorum vel praeceptorum enumerandorum, ita utpote qui congruat cum graviore illo tenore morum simplicium maximo cum pondere in mente legentis quasi insculpitur. Quantopere Cicero in legibus haec imitari conatus sit, infra paucis tractabo.

Aliorum auctorum haec adnoto: Cassius Hemina fr. 9 *et tum quo irent, nesciebant, ilico manserunt. His persuadetur, ilico manerent. pars ilico manent* — pro *cum nescirent, ilico manserunt. His postquam persuasum est, ut ilico manerent, pars ilico manerunt.* — Calpurnius Piso fr. 8. 27. Coelius Antipater fr. 30 *imperator conclamat de medio, ut velites in sinistro cornu removeantur, Gallis non dubitatim immittantur* — pro *remoti* . . . . . . *immittantur.* fr. 41 *omnes simul terram cum classi accedunt navibus atque scaphis egrediuntur, castra metati signa statuunt.* cf. fr. 44. Claudius Quadrigarius fr. 10. 12. 41. 57. 76. 81 *venit accessit, ligna subdidit, submovit Graecos, ignem admovit; satis sunt diu conati, numquam quiverunt incendere: ita Archelaus omnem materiam obleverat alumine.* Valerius Antias fr. 21 *Timochares* . . . . . . *ad C. Fabricium consulem furtim venit ac praemium petivit et, si de praemio conveniret, promisit regem venenis necare, idque facile esse factu dixit.* C. Sempronius Gracchus p. 236 *nuper Theanum Sidicinum consul venit, uxor eius dixit se in balneis virilibus lavare velle. quaestori Sidicino a M. Mario datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. uxor renuntiat viro.* M. Aemilius Scaurus p. 260 *M. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait convocasse. M. Scaurus princeps senatus negat, testis nemo est. utri vos, Quirites, convenit credere?* ib. *Varius Sucronensis Aemilium Scaurum, regia mercede corruptum, imperium populi romani prodidisse ait; Aemilius Scaurus huic se affinem esse culpae negat. utri creditis?*

Iam mihi agendum est de quibusdam locis, quibus condicio et consecutio (ἀπόδοσις) omni particula omissa in eodem gradu positae sunt. Cato de a. c. 95, 2 *hoc vitem circum caput et sub bracchia unguito: convolvolus non nascetur.* — Nulla ratione posteriores hic particula si aut alio simili carere possunt. 122 *id mane ieiunus sumito cyatum: proderit.* 156, 2 *ubi occipiet fervere paulisper, demittito unum manipulum, fervere desistet.* 157 bis. 157, 10 *eo hominem demittito, cito sanum faciet hac cura: expertum hoc est.* — ib. *eo lotio inun-*

guito, plus videbunt. cf. Varro r. r. I 2, 25 *cucumerem anguinum condito in aquam eamque infundito qua voles, nulli accedent.*

Scipio Africanus minor p. 184 *nos vis (defendere) nequitiam, age malitiam saltem defendas.*

Omnia vero superat Cato de a. c. 34, 2 *ager rubricosus et terra pulla, materina, rudecta, harenosa, item quae aquosa non erit, ibi lupinum bonum fiet.* — Hic non solum particula ubi (vel relativo qui) sed etiam verbo deficiente, nimis libertate illa auctor abusus mihi videtur. Illis autem locis, concedo, haec abrupta brevitas, e maiore animi concitatione parta, absolutissimam quamdam efficit gravitatem. Atque hic praesto est Cato ille non minus severissimis moribus quam solidissimo ac quasi aspero sermone.

His simplicioribus coordinationis generibus tractatis ad difficiliora animum intendamus. Ex eodem autem fonte quo illa accuratior verborum abundantia, de qua in capite I egi, sententiae coacervatae manant, quae totum verborum ambitum complectantur. Ut illic in copia verborum studium quam maximae perspicuitatis cognoscitur, ita hic alia aliam enuntiationem premit, ut priorem explicet, ut corrigat, ut moderetur. Nam totum enuntiatum aliquando invenimus, quod ex natura adultae linguae latinae prorsus supervacuum est: 291 *Vaarus haec quae infra scripta sunt ...... facienda coiravit.* cf. tab. Ig. VI A 16 *hondra esto tudero, porsei subra screihtor sent.* 293, 7 *post k. Septembr. quae eo anno fuerint* — quorum loco *eius anni* satis fuisset. At totum illud enuntiatum vim auget, id quod auctor intenderat. Calpurnius Piso fr. 36 *occipit saeculum his consulibus qui proximi sunt.* tab. Ig. VI A 5 *sersi pirsi sesust, poi angla aseriato est, erse neip mugatu nep arsir andersistu, nersa courtust, porsi angla anseriato iust.* — At quanta crebritas sententiarum, tanta paupertas sermonis. Nam enuntiationum secundariarum fere nihil aliud legum sermone usurpatur nisi aut relativae aut condicionales, cum rarae sint coniunctiones temporales ubi vel postquam vel cum, cum rarae sint constructiones participiales, ut iam vidimus. Illae ipsae autem cum nimia ubertate usurpatae gravitatem illam duritatemque effingunt, quae in legibus maioribus primum legenti non parvas difficultates praebent. Quae quales sint, qui creverint, considerare operae pretium sit.

XII tab. VIII, 11 *si nox furtum faxit, si im occisit, iure caesus esto.* — Hic sententiae condicionales alia aliam excipit, cum priorem subiunctam esse appareat. Itaque, ut supra dixi, exspectas: *qui nox furtum faxsit, si ......, iure caesus esto.* V, 7 *si furiosus escit, ast ei custos nec escit, adgnatum ..... potestas esto* — pro si *ei qui furiosus escit, custos nec escit ....* Quamquam Schoell l. c. p. 110, 111 huic *ast* aliquid rationis adversativae = ἐὰν δέ inhaerere contendit, ut de hac re dubitem, num rectum videam. tab. Bant. osc. v. 23 *eituo sivom, paei eizeis fust, pae ancesto fust.* — Hic satis fuisset:

eituo sivom eiseis, pae ancesto. cf. carm. evoc. apud Macrobium III, 9 *si deus si dea est.* cf. Varro antiq. rer. div. VIII apud Gellium II, 28 (quem locum iam attulit R. Merkel in editione Ovidii fastorum Berolin. 1841) *hostiam si deo si deae immolabant.* cf. etiam tabulae devotionis (apud Wordsworth l. c. p. 231) *Q. Letinium Lupum qui et vocatur Caucadio qui est filius Sallusties ....., hunc ego ..... demando* — quam dicendi rationem Mommsen Hermae IV p. 282 appellat: *ungenaue Ausdrucksweise des gemeinen Lebens.* — 293, 7 *quoius eorum ita nomen ex h. l. post k. Sept. quae eo anno fuerint, delatum erit, quei eorum eo iudicio condemnatus erit, quanti eius rei slis ae[stumata crit, tantam pecuniam solvito].* — Quae quattuor relativa quin lenta languidaque sint, quis dubitet? Quam facile erat vitatu, si forte scripsisset: *quei eorum nomine eius ex h. l. post. k. Sept. eius anni ita delato eo ioudicio condemnatus erit, quanti eius rei slis aestumata erit, tantam pecuniam solvito.* ib. 21 cur non scripsit: *C viros ex CDL vireis in eum annum ex h. l. lecteis qui vivat legat?* — Rudiori autem animo illud prius relativum nimio momento est, quam ut propria enuntiatione excudere desistat cf. ib. 75. ib. 27 *quei iudices e[x h. l. lectei erunt] quam in rem eis iudices lectei erunt, eius rei ....* — Quanto simplicius attamen non minus idoneum ad intellegendum: *quam in rem iudices ex h. l. lectei erunt, eius rei.* cf. ib. 66. Varro l. l. V, 147 *quod ibi domus fuerit cui cognomen fuit Macellum, quae ibi publice sit diruta, e qua aedificatum hoc quod vocetur ab eo macellum.* — tribus relativis quorum duo ad unum nomen: domus pertinent, structuram aliquid duri impeditique praebere omnes concedent. cf. 161. VIII, 40. VI, 37 *quare si quis primigeniorum verborum origines ostenderit, si ea mille sunt.* cf. VIII, 27. IX, 33 *pugnant volsillis, non gladio, cum pauca excepta verba ex pelago sermonis populi minus trita afferant, cum dicant propterea analogias non esse* — pro *cum propter pauca excepta verba .... minus trita allata analogias non esse dicant.* cf. X, 5. r. r. II prooe. 6. 3, 6.

De omni Varronis genere dicendi quid nobis iudicandum sit, Norden l. c. I p. 194 sq. ita docuit, ut mihi quidem tacendum sit.

tab. Ig. VI B 54 *nosve ier ehe esu poplu, sopir habe esme pople, portatu.*[1])

Aut alterum relativum alterum condicionale invenimus, quae facillime in unum comprehenduntur. 293, 39 *quam rem pr. ex h. l. egerit, si eam rem proferet* — pro *si praetor rem ex h. l. actam proferet.* cf. 294, 43. 295, 33. 294, 5 *qua ager privatus casteli Vituriorum est, quem agrum eos vendere heredemque sequi licet, is ager ......* — pro *qua agrum privatum casteli Vituriorum eos vendere .....* cf. 28. 295, 18, 29, 52, 65, 67, 68, 80 (bis), 83, 86. 306 III 4. 312 68—69. — Relativa eadem forma grammatica in

1) cf. Plauti Trin. 88 sq. 471 sq.

unum subiectum spectantia, quantum vidi, in ultimis huius aetatis inscriptionibus rariora sunt.

Iam vero quid relativa nimis adhibita efficiant, ex 295, 21—23 cognoscas, quae non minus quam dimidiam paginam complexa unam periodum effingant, cuius subiectum primo loco, praedicatum (nempe subiecto per demonstrativum repetito) ultimo positum est. Omnem autem mediam partem fere nihil aliud complet nisi explicationes singulis notionibus iterum atque iterum per relativa additas ita, ut ad monstruosas quodammodo claudicantesque ambages producantur.

Cum breviores sint illis adnoto veluti 295, 43—45 ..... (deleta sunt) *quemve agrum locum de eo agro lo[co ..... ex] pl. sc. quod M. Baebius tr. pl. III vir coloniae deducend[ae rogavit .... da]tum adsignatum esse fuisseve ioudicaverit, utei in h. l. sc. est, quei l[ocus ....] extra eum agrum locum, quei ager locus in ea cen[turia .... extraque] eum agrum locum, quem ex h. l. colonei eive, quei in colonei numero [scriptei sunt] ...... oportebitve, quod eius agri locei quoieique emptum est [. .... m]anceps praevides praediaque soluti sunto.* cf. ib. 75—76, ubi quinque quidem relativa in idem subiectum spectantia cumulantur. cf. 309 I 12 sq.

Enuntiationes secundarias enumerandi causa aliquando repeti iam e legum natura intellegi potest: 293, 56 *quei ex h. l. condemnatus] aut absolutus erit, quom eo h. l. nisei quod post ea fecerit, aut nisei quod praevaricationis causa factum erit, aut [. .... nisei de litibus] aestumandis, aut nisei de sanctioni hoiusce legis, actio nei esto* cf. 294, 38. 295, 5. cf. Cato de a. c. 14, 4 *tegula integra quae erit, quae non erit, unde quarta pars abierit, duae pro una ..... putabuntur.* Praeterea Cato non tam relativas enuntiationes repetere quam eadem particula condicionali uti solet: de a. c. 2, 1 *pater familias ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit* ...... — Apparet actionem veniendi actioni salutandi anteire. Quare ei dicendum fuit: *pater f. cum ad villam venerit, ubi* ...... — aut *pater f. ubi ad villam venit lare familiari salutato ..... fundum circumeat.* — id. orat. 51 *memoria sic accepi, siquis quid alter ab altero peterent, si ambo pares essent, sive boni sive mali essent* — pro *siquis quid alter ab altero, qui* (vel: *cum*) *ambo pares essent, peterent, sive* ..... — cf. ib. 52 ubi exspectas: *siquis vestrum qui belli superfuerit, non invenerit pecuniam, egebit* — aut *siquis vestrum belli superstes non invenerit pecuniam.* Valerius Antias fr. 45 (Peter hist. r. p. 167) *velitis iubeatis, Quirites, quae pequnia capta ablata coacta ab rege Antiocho est quique sub imperio eius fuerunt, quod eius in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpicius praetor urbanus ad senatum referat, quem eam rem velit senatus quaerere de eis, qui praetores nunc sunt* — pro *quod pequniae captae ..... ab rege Antiocho ...... in publicum relatum non est.* — Ceterum haec verba apud Livium XXXVIII, 54 tradita rogationem agunt (cf. Livii verba:

fuit autem rogatio talis) Valerio Antiate non nominatim laudato. At praeter hoc structurae priscae specimen praebentur I. *velitis iubeatis* II. copia verborum: *capta ablata coacta* III. vocabulum *rem* accurationis causa repetitum. Huc accedit quod in fine praeeuntis capitis (53) non solum Antiatis nomen exstat: *(Antiatem auctorem refellit tribunus plebis)* sed etiam huius in fine: *has ego summas auri et argenti relatas apud Antiatem inveni* — praeterea in c. 45 ineunte legis: *ut Valerius Antias auctor est.* — Quibus de causis hic (c. 54) Antiatis verba nobis tradita esse ego conicio.

In his periodis multitudine relativarum vel aliarum enuntiationum secundariarum porrectis mirari non debemus constructionem aliquando ab auctoribus neglegentia quadam commotis mutari. Sic 311 II 29 *sei is eam rem, quae ita ab eo petetur deve ea re cum eo agetur.* — Auctorem ex relativa structura in demonstrativam constructionem transire sic explicem: quamvis ex relativo id quo sententia variatur, pendere debeat, tamen ex anteeunti condicione: *si is eam rem* — structum est, cum haec animo auctoris iam inhaeserit. Nempe legitimum hoc esset: *quae ita ab eo petetur aut qua de re cum eo agetur.* cf. 295, 66, 67. 311, 7—9. 311 II 38 *tum de eo, a quo ea res ita petetur quomve eo de e. r. ita agetur* — pro *quomve quo.* cf. ib. 30. 312, 91—93 *nisei quei eorum stipendia....., fecerit, quae stipendia ....., aut bina semestria, quae ..... procedere oporteat, aut ei vocatio rei militaris erit ....* — pro *aut cui.* — Hic quamquam coniunctio si vel alia non praecessit, tamen ei quasi ex tali pendens structum est. Neque recusarem, quominus cum Mommseno ante haec verba addens ex 103 *dum taxat quod ei legibus pl. sc. procedere oportebit* cf. C. I. L. I p. 125 — vocabulum *ei* in constructionem illius enuntiationis pertraherem, si non eiusdem legis simile aliquid legerem: 158 *qui pluribus in municipieis coloneis praefectureis domicilium habebit et is Romae census erit* — ubi iterum Mommsen inscriptioni parum confisus coniecit *si is.* Itaque ego quidem persuasum habeo hoc loco (158) traditum servandum esse; illo (91—93) quod ad verba pertineat nihil suppleri opus esse. Ceterum etiam haec attractione quadam effecta esse nescio an iudicandum sit.

Iam coniecturam afferre mihi liceat. 312, 103 traditur: *C.VM·EO* quod sensum non praebet. Iam Mommsen proposuit C. I. L. I p. 125 *dum,* praesertim cum litteram *D* nihil aliud esse nisi versam *C* appareat. At *EO* ex litteris *TA* (= taxat) corrupta esse coniciens mihi quidem non persuasit, cum *O* nulla ratione fragmentum litterae *A* esse possit. Contra ego propono: *DVM EORVM.* Spatium autem trium ultimarum litterarum in monumento liberum esse, ex F. Ritschl: priscae latinitatis monumenta epigraphica Berolin. 1862 mihi ipse persuasi. *Quod* tum pronominis indefiniti formam esse posse docet eiusdem legis 71 *neve eorum quod.* Ac refero quidem *eorum quod* ad antecedentia *bina semestria.* Sententiam igitur

quantum video, mea coniectura quamquam non mutat, tamen commendetur, quod magis signa tradita sequitur.[1])

Simpliciora quaedam structurae mutatae haec affero: 294, 5 *quem agrum eos vendere heredemque sequi licet* — ubi *quem agrum* simul obiecto et subiecto fungitur. cf. 308, 9 *utei eis legatos venire mittereque liceret.*

Cato de a. c. 16 *calcem partiario coquendam qui dant, ita datur* — recte Keil supplet *ab eis.* Similia in illius commentario p. 43 invenies. — c. 90 *postea fabam puram fresam et far purum facito et fabae tertia pars ut infervescat.* 141, 1 *quota ex parte sive circumagi sive circumferenda censeas.* cf. 294, 4 *eos fineis facere terminosque statui iuserunt.* tab. Bant. osc. v. 19 *pis cevs bantins fust, censamur esuf* (nominativus) *in eituam* (accusativus). — Sic saepe etiam hic illam neglegentiam scribendi cognoscimus, quae omnem congruentiam aequabilitatemque ignoret.

Caput IV.

De attractione syntactica.

Causa attractionis ex illa linguae natura repetenda est, quae rationibus paribus formas pares reddere aut duas rationes, quibus iam aliquid aut formae aut sententiae commune est, magis adaequare studeat. Nam est animi hominum, ut cogitationes (ideas) ita enuntiationes earum, ut ita dicam associare. Quae exaequatio quantopere quodammodo conscientiam eorum fugiat, ex illis generibus eius inprimis apparet, quae formales nominamus, veluti ex litterarum attractione. Atque exempla enotare supervacuum sit, cum et notissima res sit et in recentioribus libris de arte grammatica conscriptis, ut fere fit, iam satis demonstretur. Haec autem auctoris inscientia quam memoravi nobis ostendit, in quibus regionibus prae ceteris talia nobis quaerenda sint: ubicumque lingua statim cogitationem sequitur, ubicumque nullo studio nec artis nec elegantiae recta nativas animi motiones reddit. Et inveniri in omnium gentium inprimis primordiis linguarum Ziemer l. c. p. 55 sq. edocet. Haec igitur alia species illis nobis tribuenda est, quae non tam logica quam psychologica appellanda sunt.[2]) — Ac primum quidem dividens Ziemerum secutus agam

1) Ceterum Wordsworth l. c. p. 215 omnem enuntiationem litteras incertas continentem usque ad *oportebit* omittit nulla causa in commentarii p. 469 allata. Cui quae ratio subsit, non prorsus video.

2) De casuum quam dicunt attractione apud Plautum et apud Terentium ample quaesivit H. Bocksch, diss. vratisl. 1865, qui de hac ratione explicanda nonnumquam iam rectum vidit, quamquam ego non semper cum eo facio.

I. De assimilatione formae.

a) Generis.

Varro l. l. V, 113 *purpura a purpurae maritumae colore, Poenicum quod a Poenis primum dicitur allata.* — Ex *purpura*, cum primo loco caput positum sit, verbum structum est. Itaque supervacuum puto, ut Laetus voluit, emendare *allatum.*

b) Casus.

97, 21 *neve inter ibei virei plous duobus mulieribus plous tribus arfuise velent.* — Cum nominativus *virei* ante legatur, certe ea aetate, cuius auctores aliquam concinnitatem verborum consequuntur, *mulieres* dixissent; sed ablativus interiectus qui animo scribentis inhaesit, sequentis verbi ablativum effecit.

Cato de a. c. 23, 4 *tortivum mustum circumcidaneum suo cuique dolio dividito* — pro *suo quodque* — aut *suum cuique.* — Hanc formulam inprimis adaequationi idoneam esse, iam Ziemer l. c. p. 70 perspexit hoc exemplo allato: *sui quique mores fingunt fortunam hominibus* (Ribbeck, comic. latin. rel. I p. 108). — cf. 312, 91 *quae stipendia in castreis inve provincia maiorem partem sui quoiusque anni fecerit* — ubi genetivum *quoiusque* (pro nominativo) non nisi ex ceteris duobus genetivis, quippe qui eum circumdent, procusum esse apparet. — Idem 312, 102. Varro l. l. X, 48 *(cum) debeant sui cuiusque generis in coniungendo copulari.* — Idem statuendum mihi videtur de 294, 31 *ni quis posideto nisi de maiore parte Langensium Veituriorum sententia* — pro *maioris partis.* — Si causam quaeris, in praepositum *de* animum intendas; nam hoc factum est, ut primum nomen, quod sequitur, inde strueretur. Cato or. I, 4 *agrum quem Volsci habuerunt, campestris plerus Aboriginum fuit* — pro *ager.* — In verbo *agrum* pronuntiando auctoris animo iam enuntiatio relativa inest, ut huius structura cum structura illius misceatur. cf. ib. 32, 2.

Versa vice de nominativo agitur 294, 43 *Vituries* (flectitur autem secundum o-declinationem cf. v. 5 *Viturioram*), *quei . . . . . . iudicati aut damnati sunt, sei quis . . . . . . eos omnes* — pro *Viturios.* cf. carm. evoc. apud Macrobium III, 9 *teque maxime ille qui urbis huius populique tutelam recepisti, precor.* — Quis non exspectet *illum?* tab. Ig. VI A 19 *vasor verisco Treblanir, porsi ocrer pehaner paca ostensendi, eo iso ostendu* — pro *vaso* (accusativo). Nominativum ad *porsi* attractum esse iam Buecheler, Umbricorum p. 51 observavit.

Calpurnius Piso fr. 19 *quia Tarquinio nomine esset* — pro *Tarquinius.* — Quem ad locum Gellius XV 29 adnotat: *duae istae in loquendo figurae notae satis usitataeque sunt: mihi nomen est Iulius* — et *mihi nomen est Iulio* — *tertiam figuram novam repperi apud Pisonem* (sequuntur illius verba). — Ita ego in hoc loco interpretor *Tarquinio* ablativum, qui sequenti *nomine* exaequatus est;

nam hic prior est cf. veluti *ego sum nomine.* Nempe in illa formula quae apud optimos auctores semper floruit *mihi est nomen Iulio* non minus attractionem casus nobis statuendam esse verbo nullo opus est. Cato de a. c. 134, 3 *Iane pater, uti te strue ommovenda bonas preces bene precatus sum, eiusdem rei ergo macte vino inferio esto.* — Vocativus *macte* (pro nominativo) antecedenti *Iane* effictus est; qua de re iam Ziemer l. c. 71 disseruit aliud exemplum (Vergilianum) afferens. Praeterea eodem Catonis loco bis. Apud Livium etiam, ni fallor, similia inveniuntur. Varro r. r. II 2, 5 *iure utimur eo, quo lex praescripsit.*[1]) l. l. VII, 110 *in secundis tribus quos ad te misi item generatim discretis primum* (intellegendus est accusativus, cum de libris verba faciat) *in quo sunt origines,...... secundum quibus vocabulis tempora sint notata,...... tertius hic, in quo .....* — In hac structura quae iam in capite 109 incepta monstri instar producitur, cum nominativus *tertius* sententiam expediat, etiam illorum *primum, secundum* loco nominativum exspecto; accusativi autem ex anteeunti *quos* structi mihi videntur. Gellius III 10, cum de Varrone disputet, illum his imitatus esse mihi videtur: *pericula quoque vitae fortunarumque hominum, quae climacteras Chaldaei appellant, gravissimos quosque fieri septenarios.* — Fortasse sic intellegitur Varro l. l. VIII, 13 *cum de his nomen sit primum — prius enim nomen est quam verbum temporale et reliqua posterius quam nomen et verbum — prima igitur nomina.* — Dico *posterius* secundum *prius* structum mihi videri, nisi *orta sunt* vel simile aliquid supplendum esse censes.[2])

Sicut in lingua graeca, ut de aliis taceam, etiam in latina ea nomina quorum notiones infinitivo vel participio proximae sunt, cum eo casu struuntur, quem primum verbum postulat cf. Ziemer l. c. p. 94. Sic 94 *manum iniectio.* XII tab. III 2 *manus iniectio.* — Atque hic accusativum nobis intellegendum esse Schoelli acumen l. c. p. 102 sq. similibus collatis comprobavit. Ceterum plura talia in Plauti fabulis legimus. Similiter 295, 54 *emptor siet ab eo* — ubi substantivum secundum verbum suum structum esse apparet. — Eodem modo enodo 97, 23 *senatuosque sententiam utei scientes essetis* — quasi verbum finitum usurpatum. Participium futuri cum verbo esse coniunctum in memoriam revoco, quod posteriores sicut verbum finitum componere omnes consentiunt. cf. 312, 148 *qui tum censum populi acturus erit.*[3])

---

1) Quem locum sic explicans pugno contra Keilii commentarii p. 146.

2) cf. Plauti Trin. v. 137 *ille qui mandavit, exturbasti ex aedibus?* — Alia Plautina invenies in Brixi editione Trinummi ad versum 985, qui iure laudat, quae explanavit Reisig-Haase: Vorles. über lat. Sprachwiss, III lat. Syntax ed. Schmalz-Landgraf Berlin 1888: adn. 558 *der Sprechende, nicht im Stande, oder nicht geneigt, den Bau des Satzes im voraus zu berechnen, schliefst das als Hauptsache voraufgestellte Nomen an das ihm zunächst im Sinne liegende Verbum an.*

3) cf. Varro antiq. rer. hum. XXI apud Gellium XIII, 13.

c) Temporis.

293, 8 *de heisce, dum mag. aut imperium habebunt, ioudicium non fiet.* — Posterioris aetatis auctores post *dum* praesenti contentos fuisse inter omnes constat. Hic autem, quamquam studii accurationis rationem ducendam esse non nego, tamen causam futuri in omni interdicti natura sitam esse persuasum habeo, cum id in futurum tempus spectet. Dico *habebunt* sequenti *fiet* adaequatum esse. cf. 294, 29, alias saepius. Varro l. l. V, 13 *non cum de locis dicam, si ab agro ad agrestem hominem, ad agricolam pervenero, aberraro.* — C. Fannius p. 201 *si Latinis civitatem dederitis, credo, existimatis, vos ita ut nunc constitisse, in contione habituros locum.* — Infinitivum *constitisse* in structuram accusativi cum infinitivo utpote qua inclusus sit, pertractum esse statuendum est. cf. Norden l. c. I p. 172 adn. I.

Iam progrediar ad singularem illum sermonis usum infinitivi perfecti loco infinitivi praesentis adhibendi, quem maxime in praeceptis interdictisque et votis inveniamus. Quicumque enim iubet, vetat, optat, eius animum voluntatis motiones tanta vi afficiunt, ut iam id perfectum esse velit, quod non nisi consecutio futuri temporis esse possit. Iterum hic maior quaedam animi concitatio causa nobis statuenda est. (cf. Ziemer l. c. p. 76 sq.). 97, 4 *neiquis eorum Bacanal habuise velet. cf.* 6, 10, 12, 13 (saepius), 14 cet. Cato de a. c. 5, 4 *nequid emise velet.* — ib. *nequid dominum celavisse velit.* — Saepius. C. Sempronius Gracchus p. 236 *edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet.* — Varro antiq. rer. hum. XX apud Nonium: *nequis lectorem spurcum, hominem liberum prehendere iussisse velit.* cf. l. l. IX, 111 *artifex reprehendendus qui debet in scribendo vidisse verum.* tab. Ig. VII B 2 *pifi* (hostiae) *reper fratreca parsest erom ehiato.* — quam rationem Buecheler l. c. p. 118 his verbis exponit: *moris erat edicentes legemve sancientes non instantia sed facta ut hoc modo aversarentur.*[1]) Poetarum latinorum exempla collegit Holtze l. c. II, 80. Eodem spectat coniunctivus perfecti, quo lex Bant. osc. ad interdictum significandum utitur v. 10 *meddis . . . . . . nep fefacid pod.* ib. 8, 17 *ni hipid.* — Varro sat. 34 *et me Iuppiter Olympiae, Minerva . . . . . . vindicassint.* 245 *cave attigeris hominem.* — carm. evoc. apud Macrobium III, 9 *ut me meamque fidem . . . . . bene salvos siritis esse.* — Qui usus dicendi in optimorum latinitate quantum ego quidem scio, in secundam personam concluditur.

Tum ex verbis voluntatis infinitivum perfecti passivi pendere invenimus, quippe qui vim ac gravitatem consilii agitati magis

1) Plauti haec comparo: Trin. 384 *di te servassint mihi.* cf. 627. Asin. 654. Pseud. 14. 37. Has autem formas quamvis obscuriores certe ex perfecto fictas esse, quantum ego vidi, inter omnes constat. Trin. 625 *huc aliquantum abscessero.* cf. 710. 1007. Asin. 685 *factum volo.* Iam modi assimilationem addo Pseud. 562 *suspiciost mihi nunc vos suspicarier me idcirco haec tanta facinora his promittere, quo vos oblectem, hanc fabulam dum transigam, neque sim facturus.*

illustret. 293, 30 *utei q]uod rectum factum esse volet.* ib. 65. 67. 73. — Ita verisimile est 308, 10 ex graecis verbis recte restituta esse: *verba facit...... eos se ex senatus consulto domos dimissos velle* (latinae autem legis initium deletum est).

d) Generis verbi.

293, 66 *apud forum palam, ubi de plano recte legi possitur.* Cato de a. c. 154 *uti transferri possitur.* or. I, 23 *id nequitum exaugurari.* Coelius Antipater p. 7 *cum iure ..... bellum geri poteratur.* Claudius Quadrigarius fr. 33 *cum non possetur decerni.* fr. 47 *adeo memorari vix potestur.* — Dubito num huc mihi referendum sit tab. Ig. II A 4 *fetu puze neip eretu.* Omnibus his locis secundum passivum proximum talium verborum passivum adhiberi videmus, quae alias eo non fungi solent. Atque ita structuram passivam verborum desinere, coepisse intellegendam esse, iam Ziemer l. c. p. 85 cognovit. Ceterum poetarum priscorum exempla nonnulla invenies apud Draeger histor. Syntax der lat. Sprache I p. 140.

Denique de duplici comparativo in enuntiatis comparativis mihi agendum est, quem Ciceronis aetate frequentem esse constat. Hunc usum optime, ut est illius viri, Ziemer l. c. p. 67 explicat. At erravit, quod disserens: *während das alte Latein von solchen Vergleichen nichts weiſs* — Ciceronem primum usurpasse contendit.[1] Ostendo enim ego Catonis orat. X, 2: *quantoque suam vitam superiorem atque ampliorem atque antiquiorem animum inducent esse quam innoxiorem.*

II. De adaequatione rei (structurae ad sensum).

Ut illic affinitate quadam duarum formarum ita hic similitudine quadam notionum adaequatio perficitur. Quae duae rationes ex animi natura emanant. Quaecumque in animo hominis sibi proxima sunt, eadem in sermone. Si altera notio in alteram notionem transiit, illi etiam forma huius accipienda est. Sic quamvis cum formae damno tamen res exaequantur. Ac quanto maiore vi auctor ad has exprimendas nititur, tanto plures structuras ad sensum efficit. Maxime autem apud priscos, qui omnem formae discrepantiam vitare nondum consueverint, hoc studium praevalere iam hac quaestiuncula demonstratum esse putem. Nam illi nullam artis grammaticae legem secuti nihil contendunt ac laborant, nisi ut rem significent; haec est illis *suprema lex.*

a) Numeri.

Ac primum quidem notiorem illum dicendi usum contemplemur, cum subiectum collectivum sit verbi pluralis adhibendi 310, 10

1) cf. quae disputat Wölfflin l. c. p. 71 obschon diese Construction kaum vor Cicero und Varro de ling. lat. 10, 75 *diligentius quam apertius* nachzuweisen sein wird.

quemcumque veicus Furf. fecerint. 312, 150 *quos maior pars decurionum ..... mittei censuerint.* Cato or. V, 2 *haut scio an partim eorum fuerint.* cf. orat. 26. Cassius Hemina fr. 9 *pars ilico manent.* cf. fr. 11. Licinius Macer fr. 23 *pars magna levius clipea portant.* Varro l. l. VI, 51 *quae pars agendi est a dicendo ac sunt aut coniuncta cum temporibus aut ab his, eorum hoc genus videntur ἔτυμα.* — antiq. rer. hum. III apud Priscianum IX 10, 53 (cf. leipzig. Studien V, 92) *postquam adoluerunt haec iuventus.* cf. r. r. III 7, 2 *fit miscellum genus atque incedunt.* — 293, 57 *de consili maioris partis sententia, quanti eis censuerint* —. Verbum *censuerint* quasi *consiliatorum* anteierit structum est, qua notione hic abstractum *consili* fungitur. tab. Ig. V A 25 *sve mestru karu fratru Atiieđiu, pure ulu benurent, prusikurent.* cf. 28. V B 4.[1])

Cato de a. c. 70 *bosque ipsus et qui dabit facito, ut uterque sublimiter stent.* Varro l. l. V 180 *qui petebat et qui inficiabatur, de aliis rebus uterque quingenos aeris ad pontem deponebant.* — Quam attractionem etiam posteriores auctores secuti sunt. cf. VIII, 26. 84.[2]) Cato orat. 51 *siquis quid alter ab altero peterent,* — ib. *si sponsionem fecissent Gellius cum Turio.* Claudius Quadrigarius fr. 85 *sagittarius cum funditore utrimque summo studio spargunt.* — His proximis locis duas notiones per cum coniunctas easdem sentiri ac si per et aunexae sint luce clarius est. cf. tab. Ig. VI B 57 *eno com prinvatir peracris sacris ambretuto.* Quamquam ex eis quae praecedunt, subiectum singulare auctori repetendum erat, tamen cum animo eius iam aliud additum esset, plurali adhibet.

Ita etiam explicandum est, sicubi verbum enuntiationis secundariae secundum nomen collectivum vel similem notionem unde pendeat componitur. 97, 9 *isque de senatuos sententiad, dum ne minus senatoribus C adesent, quom ea res cosoleretur, iousisent* (sic in tabula traditur). — Contra eos qui ediderunt (Mommsen, Schneider, alii) plurale verbum defendendum est, quod maxime e vetustioris sermonis ingenio est, ex illis *de senatuos sententiad* alterum subiectum, ut ita dicam animo attrahere ita, ut verbum strui possit, quasi duo subiecta — *is et senatores* — ante scripta sint. Atque haec Weissbrodti (observationum in S. C. de Bacchanalibus particula I, Brunsbergae 1879 p. 6) sententia eo comprobatur, quod eiusdem legis in v. 18 eadem tradita sunt.[3])

Similem numeri discrepantiam praebet tab. Bant. osc. v. 9 *factud povs tovto deivatuns tanginom deicans, siom dat eizasc idic tangineis deicum, pod valaemon tovticom tadait ezum.* cf. tab. Ig. VII A 52 *hon-*

---

1) Plauti Trin. v. 35 *faciunt pars hominum.* — alia affert Brix hoc loco. 286 *publicum privatum habent, hiulca gens.* 425 *mille drachumarum tarpessitae Olympico, quas de ratione debuisti, redditae.* 624 *celeri gradu eunt uterque.*

2) cf. Plauti Trin. 237[a].

3) cf. etiam Buecheler l. c. 92.

dra furo schemeniar hatuto totar pisi heriest. pafe trif promom habu·rent, eaf acersoniem fetu Turse Iovie..... (sequitur saepius III. persona singularis.) III, 32 *ererek tuva tefra spantimað prusekatu, eðek peðume purtuvitu.* — Quem dicendi morem iam observavit Buecheler l. c. p. 161. Si alterius verbi singularis forma usurpata est, spectavit auctor ad singulas personas, quasi quisque, ut saepius in legibus latinis, dixisset. Quo modo accurationem augeri ac qui legant, magis commoveri quis est qui neget? Cum suo iure Buecheler: Bruns, fontes iuris romani p. 48 adn. 4 comparat tab. Bant. lat. v. 24, 25 *iouranto [.....se]se advorsum hance legem facturum esse.* — Ego addo ib. 18. — Tum Buecheler 293, 36, 37 *iudices..... [iouranto ..... facturumque se, uti quod recte factum esse vo]let, utei testium, quei....., verba audiat.* — Legis annorum 81—84 p. Ch. n. (Salpensanae) cap. 26 *iuranto se, quodcumque..... censeat, recte esse facturum.* — Addo 293, 21 *Cviros ex eis, quei lectei erunt, quei vivat.* ib. 64, 67, 73 *ea omnia quod ex h. l. factum non est.* cf. Mommsen, unterital. Dialecte, Leipzig 1850 p. 120 adn. b. Porro 293, 59. Varro l. l. VIII, 3 *quod propagatum legi declinatu est, duo simul apparent quodam modo eadem dici et non eodem tempore factum.* — 294, 45 singularem pluralis sequitur. 295, 27 *is ager locus domneis privatus ita, utei quoi optuma lege privatus est, esto.* cf. 309, 16, 27. 310, 14. cf. Sempronius Asellio fr. 1 *nobis non modo satis esse video, quod factum esset, id pronuntiare, sed etiam, quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare.* 312, 32 *quemquomque...... tueri oportebit, quei eorum...... non tuebitur.* cf. 89, 152, 38. Cato de a. c. 39, 2 *inde laterculos facito, ... eum conterito.* or. II, 11 *sus usque adeo...... crescere solet, ut...... non possit...... itaque eas, siquis quo traicere volt, in plaustrum imponit.* Denique XII tab. VII, 7 *viam muniunto, ni sam delapidassint, qua volet, iumenta agito.* cf. I, 6. Quibuscum comparem Cato or. V, 2 *unus quisque nostrum, siquis advorsus rem suam quid fieri arbitrantur, summa vi nititur.* — Ut verbo plurali utatur, commotus est pronomine *nostrum*, ex quo subiectum *nos* animo auctoris obversabatur. Sic iudico, quod *quis* hic optime traditum nusquam nominativus pluralis exstat; coniecturam *ques* facillimam concedo, at causam ullam esse nego. — cf. 312, 81 *quoi] quisque eorum apparebunt.* — Fortasse sic intellegi potest Cato de a. c. 106 *siquis plus voles aquae marinae concinnare, pro portione ea omnia facito* — quamquam Keil l. c. p. 123 sic dici posse negans *siquid* coniecit. 97, 13 *neque virum neque mulierem quisquam fecise velet. neve posthac inter sed coniurase...... velet.* — Subiectum grammaticum secundae partis supplendum esse *quisquam* verbum *velet* docet. Animo autem auctoris cum iam subiectum plurale obversaretur, *inter se* ex sententia dicere licuit, quamvis nec subiecto supplendo nec verbo satisfactum sit. cf. ib. 14. En videmus, quantopere sententia praevaleat, cum auctor non recuset discrepantiam grammaticam efficere. Ceterum *quisquam* etiam in Caesaris aetatis legi-

bus sic componitur. Varronis cf. rer. r. II 7, 15 *neque idem qui vectorios facere volt ad ephippium ..... quod ibi ad castra habere volunt.* cf. 8, 2, 4. III 10, 2 — quaeque explicat Keil com. p. 197.

b) Generis.

293, 14 *quos legerit, eos patrem tribum cognomenque indicet ..... quei ex h. l. CBL vireis in eum annum lectei erunt, ea nomina omnia in tabula ..... scriptos, patrem tribum cognomenque tributimque discriptos habeto.* Habes participii *scriptos* e nomine neutrius generis pendentis masculinum. Structum igitur est, quasi auctor enuntiationem antecedentem — *quei..... lectei erunt* — cum *eos* excepisset, ut — *nomina omnia, tribum cognomenque* — quasi interiecta accipienda essent. Ac subest masculinum omnibus his enuntiatis, quamquam verbo non expressum est. cf. ib. 18. 295, 7 *ager locus aedificium omnis quei supra scriptu[s est].* — Exspectas nimirum *omne quod,* cum antecedat neutrum *aedificium.* At regit ille *ager* constructionem, praesertim cum haec lex agraria sit. cf. ib. 8, 72. Contra 309, 12 iam diligentius distingui genera observamus: *quei agrei, quae loca aedificia.* cf. ib. II 19 *quae leges quodque ious quaeque consuetudo.* Illis autem proximum est 295, 12 *quo magis is a]ger locus aedificium privatus siet.* 295, 46 *manceps praevides praediaque soluti sunto.* — Item genus masculinum praevalet tab. Ig. VI A 1 *peiqu peica merstu.* — Qualibus quodammodo illa conferenda sunt, quae Ziemer l. c. p. 87 adnotat veluti: *capita coniurationis virgis caesi ac securi percussi.* — Iam addo structuram quamdam ad sensum, quam cum Buechelero l. c. p. 138 insolentius adhibitam iudico: tab. Ig. II A 41 *struhšlas fiklas sufafias kumaltu.* Neque enim possum non assentiri illi, qui explicat: *pars tantum liborum et crudae carnis comminuenda et in ignem spargenda praecipitur neque vero tota.* — Id quod auctor si non verbo at structura expressit.

c)

agam de **adiectivo** quod **adverbii vi** fungitur. Notio igitur illius, quo verbum explicari debet, ad nomen transit, quamvis adverbium quod respondeat linguae non desit. Talia autem in sermone incultae multitudinis finguntur, quod magis sensibus percipiuntur (cf. Ziemer p. 89 sq.): 84 *dono dedet lubs mereto.* cf. 85. 86. 118. tab. Ig. VI A 56 *tases persnimu sevom.* id. 59, saepius. VI B 2. VII A 4, 8, 47. I A 26. II A 39. IV, 27.

Omnibus structuris ad sensum libertatem quamdam rationum grammaticarum subesse vidimus. Quam viam persecutus iam animum in similia intendam, quae etiamsi non signa attractionis prae se ferunt, tamen liberius atque ex sensu dicta explicanda mihi videntur. Inprimis talia afferam, quae generi neutri favent ita, ut ad genus masculinum aut femininum antecedens referantur. 293, 68 *unde ea pequnia redacta erit quantumque in eo fisco siet.* — ib. 69 *quoi] pe-*

quniam.....solvi iuserit, id quaestor....dato. 294, 13 *agri poplici quod Langenses posident.* 306, 14 *antas duas.....proicito.....,* *insuper id limen imponito.* cf. ib. II 10, 17. 312, 38. Cato de a. c. 25 *erit lora familiae quod bibat.* 145, 3 *quae eius pars erit, omne deducetur.* — Cuius discrepantiae quae est causa? Cum neglegentia quaedam tum studium auctoris mihi videtur, qui notionem quam communem possit, significaturus sit. Illa sine dubio ex linguae vulgaris ingenio est. — His iam variationem verborum addo, cuius causam singularem non cognosco: 293, 63 *ubi ea dies venerit, quo die.* cf. ib. 66. 306 II 17 *calce harenato lita politaque et calce uda dealbata recte facito.* 311, 24 *eo nomine qua de re agitur.* cf. ib. 30, 33, 40. 311 II 4 *a quoquomque pecunia certa.....petetur, quae res non plus HS XV erit.* cf. Valerius Antias fr. 45. —

Caput V.

De subiecto aut non significato aut mutato.

Ut iam in praeceptis Catonianis duritiam quamdam cognovimus, quod auctor supervacuum putat condicionem ac consecutionem exprimere, sic aliam speciem illius brevitatis vere italicae in subiecto significando reperimus, quam cum suo iure maxime admirabilem esse iudicat Schoell l. c. p. 73.[1]) Atque alteram huius usus causam simplicitatem et sentiendi et loquendi esse maxime verisimile est. Hanc brevitatem summam deprehendimus antiquissimis temporibus ita ut aliquando perspicuitas sententiarum nobis minuatur, inprimis in lege XII tab. veluti VIII, 11 *si nox furtum faxsit, si im occisit, iure caesus esto.* Apparet enim primae ac tertiae parti idem subiectum vindicandum esse, scilicet fur, mediae autem aliud subesse, scilicet is qui compilatus est. At neutrum expressum vides. Rectius igitur sic haberent: *qui nox furtum faxsit, si quis eum occisit, iure caesus esto.* — Attamen fac ut sentias, quanto graviora illa sint, quamquam abrupta, ut ita dicam. ib. VIII, 24 *si telum manu fugit magis quam iecit.* En in secundo verbo subiectum, quamvis novum intellegendum sit, non significatur. X, 9 *cui auro dentes iuncti erunt, ast im cum illo sepeliet uretve, se fraude esto.* — Sic saepius illic invenies cf. I, 1. V, 3. — De obiecto exprimendo disseruit Schoell l. c. p. 77. Lex regia apud Festum p. 189 (Müller) *qui cepit, aeris CC dato,* ib. *C, qui ceperit, ex aere dato.* Catoniana haec comparo: de a. c. 14, 2 *(faciat) paullulum pilam, ubi triticum pinsat* — sc. *pistor.* ib. 5, 2 *vilicus si volet male facere, non faciet.* — scilicet *familia,* de

1) cf. Wordsworth l. c. 509 qui Schoellium sequitur.

qua antea egit. cf. 10, 1, 4. 11, 1 bis. 150, 2. — Catonis igitur sicut legum XII tabularum proprium est subiectum omittere, sicubi per se ceteris verbis suppleri potest. Idem apud Varronem observamus; antiq. rer. div. III apud Macrobium I 16, 19 *viros vocare feriis non oportet, si vocavit, piaculum esto.* — r. r. I 4, 2 *nemo enim eadem utilitati non formosius quod est emere mavult pluris, quam si est fructuosus turpis* — supplendum autem est fundus.[1]) tab. Ig. V A 16 *kumnahkle Atiieđie, ukre eikvasese Atiieđier, ape apelust, muneklu habia* — deest nomen flaminis. VI B 48 *pone poplo afero heries, avif aseriato etu.* — cf. Buecheler l. c. p. 33. 86. — alia ib. 51. 52.

Simili ratione iudicandum est 97, 13 *neve posthac inter sed coniourase neve comvovise neve conspondise neve compromesise velet, neve quisquam fidem inter sed dedise velet.* — Subiectum *quisquam* quamvis iam inter primum *neve* et *posthac* suo loco fuisset, tamen illic omissum est, quod, si rectum video, non multo ante usurpatum hic suppleri potuit. — In ceteris legibus subiectum inprimis structurae accusativi cum infinitivo deesse reperimus: 293, 19 *sei deiuraverit calumniae causa non postulare* — deest autem se. 295, 69 *quoi ita emptum esse comperietur* — deest eum. cf. ib. 68. 312, 106. Cato de a. c. 2, 2 *dicit vilicus sedulo se fecisse, servos non valuisse, tempestates malas fuisse, servos aufugisse, opus publicum effecisse* — in ultimo membro deest se. cf. 148, 2. Cassius Hemina fr. 37 (bis) *propterea arbitrarier non conputisse.* cf. Calpurnius Piso fr. 18. 27. Valerius Antias fr. 21.

Quae ad mutatum subiectum pertinent, haec affero: 312, 72 *quominus eis loceis porticibusque populus utatur pateantve* — apparet ex ablativis *loceis porticibus* nominativum illi fingendum esse. Etiam haec attractione ad sensum sis interpreteris. Cato de a. c. 155, 1 *aquam diducere in vias et segetem curare oportet uti fluat.* Quin supplendum sit *uti aqua* non dubium est. tab. Ig. VI B 52 *ape desva combifiansiust, via aviecla esonome etuto.* 53 *ape acesoniame hebetafe benust, enom termnuco stahituto.* cf. 63, 64, saepius. Buecheler l. c. p. 93 hunc sermonis usum sic finit: *mutatur subiectum nec tamen significatur, quia uter utrum conveniat verba facturus, res ipsa docet.* Qua dicendi libertate illam personarum mutationem explicem, quam praebet 19: *Iove Sat. deivos quoi med mitat, nei ted endo cosmis virco sied* — dico transitum ex tertia persona in secundam.

---

1) Qua re recte cognita H. Keil commentarii p. 25 tradita iure defendit. cf. cap. 21. 40, 6.

Caput VI.

De collocatione verborum.

Suprema lex ut rationum grammaticarum significandarum ita collocationis verborum condita est in colligatione sententiarum, quocumque modo animus fingit. Quo minus homines cogitationes lingua inlustrare ornareque student, eo magis nativam illarum et coniunctionem et consecutionem reddunt. Eam partem, quae summa vi animo impressa est, prae ceteris lingua edi verisimile est. Ceterae sicut quaeque animum commovit, lingua pronuntiatae suum locum retinebunt. Quae sermone vetere maxime confirmari videbimus. Inde enim explicanda sunt haec: 19 *Iove Sat. deivos qui med mitat.* — Praeposita sunt deorum nomina, quod de illorum sacrificiis agitur. 33 *Retus Gabinio Cai servus Calebus fecit.* — Sine dubio post *Retus* exspectas *Cai servus*, vel si legere mavis *cum servis*; at *Gabinio* auctori cum caput esset, praesumpsit. 94 *in hoce loucarid stircus nequis fundatid.* 97, 3 *de Bacanalibus quei foideratei esent, ita exdeicendum censuere.* — cf. ib. 7, 10. 293, 2 *in annos singolos pequniae quod siet amplius.* cf. ib. 46. 294, 13. 295, 20 *ager locus publicus populi romani quei.* cf. ib. 75. 306, 10 *in area trans viam paries qui est* — ubi subiectum aliis notionibus maioribus cessit.

Talium ex omnibus huius aetatis legibus multitudinem afferre possum. cf. XII tab. III, 1 *aeris confessi iudicatis XXX dies iusti sunto.* V, 2 *uti legassit super pecunia tutelave suae rei, ita ius esto.* — tab. Bant. osc. 23 *pr. svae praefucus pod post exac bansae fust, svaepis.* ib. 28 *pr. censtur bansae ni pis fuid.* tab. Ig. I B 1 *Vukukum Iuviu, pune uvef furfat, tref vitluf turuf Marte Huđie fetu,* ib. II B 22. *vitlu vufru pune heries faśu.* VI A 19, 26, 36, 46. VI B 29. Saepissime ita Cato struit: de a. c. 6, 1 *agrum quibus locis conseras, sic observari oportet,* ib. 16 *calcem partiario coquendam qui dant, ita datur.* cf. 37, 2. 108 *vinum si voles experiri duraturum sit necne.* cf. 112. 142 *vilici officia quae sunt.* or. II 11 *in Italiam Insubres terna atque quaterna milia succidarum advehere.* ib. 21 *Lucum Dianium in nemore Aricinio Egerius Laevius Tusculanus dedicavit.* orat. 58, 1 *vir cum divortium fecit, mulieri iudex pro censore est.* cf. ib. 2. Valerius Antias fr. 45 *velitis iubeatis, quae pecunia capta ..... est, ... quod eius ....., uti de ea re.* cf. Weifsenborn ad Livium XXXVIII, 54. Varro r. r. I 2, 25 *scribit cimices quem ad modum interfici oporteat.*

Inde sequitur, ut ea notio inprimis quae auctori caput est, in primo loco ponatur, saepissime vero omnino ea, de qua acturus est. Itaque Keilio l. c. (commentarii in Catonis de agri cultura librum) p. 32 non possum non assentiri, cum haec verba quasi titulos significat, qui argumentum indicent. — Atque eadem de causa omnis offensio nobis tollenda est, quam nescio an haec praebere possint:

292, 9 *eam provinciam quei volet magistratus exigito.* Hoc *quei volet* nomini praesumptum non intellegitur nisi sua vi fungi concedis. cf. 293, 19 *ad iudicem, in eum annum quei ex h. l. [factus] erit, in ious educito.* ib. 58 *quei ex] hace lege condemnatus erit, ab eo quod quisque petet.* cf. legis Siliae de ponderibus (Wordsworth l. c. p. 273) *eum quis volet magistratus multare....liceto.* — His simile exsistimo illud tabulae Bantinae oscae v. 18, quod iam Kirchhoffio, das Stadtrecht von Bantia, Berlin 1853, Nordeno l. c. p. 181 adn. I mirum fuit: *ionc svaepis herest, meddis moltaum licitud.*

Ex eadem ratione, qua huc usque usus sum, non minus collocatio nominum cognationis, quae cum titulis componuntur, nobis ducenda est: 96 *L. Aemilius Lucii filius imperator.* 97 *Marcius L. f., S. Postumius L. f. consules.* 101 *M. Mindios L. fi., P. Canddelios Va. fi. aidiles.* cf. 293, 74. — Primo igitur loco cognationes significantur, quod maiore vi visae sunt, tum magistratus. — Contrarium modum primum apud Calpurnium Pisonem inveni fr. 36: *consules M. Aemilius M. filius, Lepidus C. Popilius II absens.* — Titulum solum semel praepositum vidi 295, 81 *regis Masinissae.*

Cognomen non maioris momenti quam tituli erat, cum legum auctores non recusarent illud a nomine proprio dirimere. cf. 32 *L. Canoleios L. filius fecit Calenos.* 125[b] *M. Folvius M. f. Ser. n. Nobilior.* cf. 129. 268. 291. 294, 1. 299. Idem in omnibus legibus observavi.

Si cognomen et magistratus cumulantur, sic ponuntur: *Domitio Cn. f. Athenóbarb. cos.* 302, 17.

Iam singulorum generum verborum collocationem contemplemur

I. Adiectivi, (numeralis), adverbii.

Earum notionum significationes, quae in animo auctoris sibi affines colligataeque sint, etiam in pronuntiatione propinquitatem retinere supra demonstravi. Ita nobis inprimis omnia inquirenda sunt, quae substantivo attributa sunt. Quaeritur, num haec in prisco sermone dirimantur ac quot verba intericiantur. In legibus XII tabularum ac S. C. de Bacchanalibus diremptionem nullam esse iam Norden l. c. p. 179 sq. disseruit. Deinde 291 *semitas in oppido omnis.* 293, 52 *in eos ceteros singilatim iu[dices versus ostendi].* 294, 11 *inde alter trans viam Postumiam terminus.* 295, 86 *quae vectigalia in Africa publica.* cf. 309 II 35. Cato de a. c. 14, 2 *clatros in fenestras maioris bipedalis X.* cf. 38, 1. 20, 1 *circumfigi oportet bene.* 37, 5 *ligna in caminum ficulnea.* cf. 38, 1. 45, 1 *beneque terra tenera siet.* cf. 75. 73. 157, 1, 11. 88, 1 *amphoram defracto collo puram impleto.* 107, 1 *sapae congios VI quam optimae infundito.* cf. 127, 1. 110 *testam demittito in dolium infimum leniter.* cf. 160. or. VII, 5 *mons e salo mero magnus.* IV, 7 *operam rei publicae fortem atque strenuam.* — ad M. filium p. 82, 3 (Jordan) *tertia e castris eductio.* Fabius Pictor fr. 4 *aequali editorum numero.* Calpurnius Piso fr. 27

ad collegam venisse visere aegrotum. Cornelius Sisenna fr. 10 *ad unam belli faciendi viam.* cf. 39. — Praetermitto eiusdem fr. 42, 45, 83, in quibus divisionem rhythmi causa effectam esse Norden l. c. p. 180 demonstrat. — Scipio Africanus maior p. 7 *victoriam vobis peperi insperabilem.* C. Laelius Sapiens p. 175 *neque tanta diis immortalibus gratia haberi potest.* Caecilius Metellus Numidicus p. 275 *tanto vobis quam mihi maiorem iniuriam.* — 275 *suma af Capua Regium meilia* hic me ponere, ut olim volui, indicis C. I. L. I p. 596 confirmatus, in quo *suma* sub *summus* enumeratur, iam vetat Catonis sermo, cui quin id vocabulum substantivum sit, non dubito: cf. de a. c. 10, 1 *vilicum vilicam ..... subulcum I opilionem I summa homines XIII.* ib. 18, 3. cf. Varro l. l. V, 142.

Respicientibus ad singula nobis hoc statuendum esse censeo: auctores vetustiores substantivum et adiectivum ne maiore spatio dirimant, ut fere fit, vitant. Hac re cum Nordeno l. c. p. 179 facio. Ita plurimum unum vocabulum interiectum esse observamus. Neque de illis locis verba faciam, quibus de duobus verbis insertis, cum quasi unam notionem efficiant, agitur. Contra quantum spatium fieri licuisse nobis iudicandum sit haec demonstrabunt: 293, 15 *eosque viros quos ex h. l. legerit, is pr. omnes in taboleis......scriptos in perpetuo habeto.* 295, 74 *quo pro agro loco satis ex h. l. arb. pr. supsignatum non erit.* cf. 311 II 35, 40. Cato de a. c. 10, 1 *asinos ornatos clitellarios qui stercus vectent, tris.* 10, 4 *dolia quo vinaceos condat decem.* 14, 2 *pilam ubi triticum pinsat, unam.* 41, 2 *obliquo inter sese medullam cum medulla libro conligato.* 156, 2 *alvum si voles deicere superiorem.* Cornelius Sisenna fr. 73 *inermos armati, impeditos expediti sine ullo suorum vulnere cunctos interficiunt.* C. Titius p. 204 *nulla apud me fuit popina.* C. Sempronius Gracchus p. 231 *nulla est in angiportu amphora.* Caecilius Metellus Numidicus p. 275 *quanto probi iniuriam facilius accipiunt.* — ib. *tanto ille vobis quam mihi peiorem honorem habuit.* tab. Ig. IV, 18 *inumek vesteša persuntru supu erešle Hule sevakne......purtuvitu.* id. 19, 22. VII A 3 *fondlire abrof trif fetu heriei rofu, heriei peiu.* VII B 1 *erec sveso fratrecate portaia sevacne fratrom Atiersio desenduf.*

Iam aliqua gerundiva, quae huc referenda sunt: 309 II 32 *quam legem portorieis terrestribus maritumeisque Termenses maiores Phisidae capiundeis intra suos fincs deixserint.* 312, 50 *vieis in urbem purgandeis.* ib. 51 *vieis extra propiusve urbem Romae passus purgandeis.* cf. ib. 70. ib. 58 *aedium sacrarum deorum immortalium caussa aedificandarum.*

Sic primum quidem enuntiationem relativam interponere neque Cato neque leges recusant. Tum praeter illam in 293, 15 etiam subiectum attributo praepositum est. Deinde 295, 74 duas diversas notiones interiectas habemus, quamquam utramque et cum adverbio *satis* et cum verbo *supsignatum* artius cohaerere non nego. Non idem iudico de Catonis de a. c. 41, 2 ubi qua ratione *inter sese* cum

obliquo libro magis coniunctum sit quam cum verbo *conligato* non video. Hic igitur mea quidem sententia liberius attributum a nomine dirimitur. Confirmor vero ceteris locis: Catonis de a. c. 112, 1. Cornelii Sisennae fr. 33. C. Titii p. 204. C. Sempronii Gracchi p. 231. Metelli Numidici p. 275. — Itaque Nordeno l. c. p. 180 adn. II: Catonem non plus una notione intericere — non assentiri possum.

Varronis haec mihi enotavi: l. l. V, 7 *ostendit, quemadmodum quodque poeta finxerit verbum.* 43 *quod commune Latinorum ibi Dianae templum sit constitutum.* cf. 38. 52. 64. 73. VII, 75 *possunt triones dicti, septem quod ita sitae stellae.* VIII, 5 *duo igitur omnino verborum principia.* cf. 21. IX, 4. ib. 32 *quis est tam tardus qui illas quoque non animadverterit similitudines.* cf. 94. 103. X, 72 *neque vocis similitudo ad has duplicis quas in loquendo quaerimus analogias verborum ..... satis est.* r. r. I 2, 9 *quod nullus in eius fundo reperiri poterat stolo.* — Orestes vel de insania, apud Gellium XIII, 4: *malum mihi prorsus illa magnum dabit.* cf. r. r. III 10, 1 *horum greges Scipio Metellus et M. Seius habent magnos aliquot.* — Varro igitur quamquam Ciceronis maiorem illam libertatem in attributo collocando non saepe adhibet, tamen aliquantum ultra legum et Catonis dicendi usum progressus esse mihi videtur. Qua de causa in medio huius rationis grammaticae gradu non minus quam multarum aliarum eum esse statuendum mihi est.

Quae de attributo aut postposito aut praeposito observavi afferam hac tabula:

	Praepositum	postpositum		Praepositum	postpositum
XII tab.	4	10	tab. Ig. I	31	55
inscr. 19	0	1	tab. Bant. osc.	8	12
97	1	7	Cato de a. c. prooe.	3	6
275	0	5	cap. 1	12	11
292	3	6	- 3	3	20
293	23	41	- 11	0	37
296	0	4	- 10	0	26
295	18	37	- 39	0	7
306	3	27	- 76	3	16
307	7	16	- 156	6	15
309	1	8	Cato or.	47	42
310	2	1	- orat. I—X	31	21
311	1	6			
312	17	45			
	80	214			

His numeris iam satis doceri puto, quanto antiquissimis temporibus adiectivum postpositum praevaleat. In formulis quibusdam

semper sequitur: *dolo malo, in diebus proxumeis* et legum et tabulae oscae. Si vero in simili formula *sine malo pequlatu* 293, 69. 307, 6 praesumptum videmus, sequitur, ut proprium verborum pondus non solum illa collocatione effici nobis iudicandum sit. Quae sententia illis Catonianis confirmatur, ubi ad idem nomen eiusdem enuntiationis adiectivum modo ante modo post ponitur: de a. c. 1, 6 *campus frumentarius, septimo silva caedua, octavo arbustum, nono glandaria silva.* cf. 1, 3. 93 *ad arborem maxumam urnam commixti sat est, ad minores arbores pro ratione indito.*

Deinde apud auctores optimos quaedam adiectiva substantivi vi functa veluti medius, summus, infimus (cf. *summus mons* = *Spitze des Berges*) anteponi notissima res est. Contrarius vetustioris sermonis usus est: 294, 10 *inde flovio Procuberam deorsum usque ad rivom Vinelascam infimum* — ubi *infimum* non pro aliis rivis intellegendum est, cum non nisi de uno rivo Vinelasca agatur, sed *infima pars*; at posterioris aetatis scriptores dicerent *ad infimum r. V.* cf. ib. 14, 16, 19. 306, 10 *in eo pariete medio.* cf. 306 II 12.

Cato de a. c. 40, 3 *surculum .... eum primorem pracacuito.* 72 *pice liquida cornua infima unguito.* cf. 110. 113, 2. Varro l. l. V, 52 *collis latiaris sexticeps in vico instelano summo ..... est.* cf. 111. sat. 512. Scipio Africanus minor p. 185 *per vineas medias.* Contra iam illum Ciceronis aetatis usum praebent Cassius Hemina fr. 37 *in media arce.* Cornelius Sisènna fr. 59 *et prope mediam ad finem ripae pervenerant.* Varronis Gallus de admirandis, cuius Macrobius III 15, 8 haec tradidit: *in Sicilia quoque manu capi murenas flutas, quod eae in summa aqua prae pinguitudine flutantur.* — antiq. rer. div. XIV apud Gellium XVI, 17 (cf. Merkel l. c. p. CLXXXVI) et antiq. rer. hum. XVI apud Gellium III 2, 2 = Macrobius I 3, 2 (cf. Leipzig. Studien V p. 122.).

II. Genitivi substantivi.

97, 29 *si quid ibei sacri est.* 293, 9 *quoius eorum ex h. l. ante k. Sept. petitio erit.* cf. ib. 41, 58. 293, 9 *eius hace lege nihilum rogato.* cf. 295, 34, 36. 309 II 31. 312, 52. 295, 6 *quod quoieique de eo agro agri locei.* cf. ib. 95. 309 II 23 *quodque quibusque in rebus loceis agreis aedificiis oppideis iouris.* 312, 39 *quantum quoieique ante aedificium viae.* cf. 19, 97, 107, 125, 141. 312, 83 *queiquomque in municipieis coloneis pracfectureis foreis conciliabuleis civium Romanorum.* Cato de a. c. 58 *salis unicuique in anno modium satis.* 114, 1 *quantum putatis ei rei satis esse vini.* cf. 145, 3. 149, 2 (bis). 156, 2. 157, 1. or. V, 1 *ne quid in consulendo advorsi eveniat.* orat. IX, 1 *quod illos bono genere natos, magna virtute pracditos opinamini animi habuisse.* Coelius Antipater fr. 45 *septuaginta lictoris domum deportavisse fascis.* Claudius Quadrigarius fr. 20. *cum tantus ...... arabo penes Samnites populi romani esset.* tab. Ig. III 6 *puře fratru mersus fust kumnakle.* V B 17 *Casilate dirsans*

herti frateer Atiersiur ..... pelmner sorser posti acnu vef XV. Varro l. l. V, 9 *anima quae flatur omnium apparet.* cf. VIII, 16. sat. 484 *alteram viam deformasse Carneadem virtutis.* — antiq. rer. div. II apud Servium ad Aen. I 382 (cf. Merkel l. c. p. CXIII) *Veneris eum per diem cotidie stellam vidisse.* Ex his exemplis videmus genetivum non solum partitivum, cuius plurima sunt, sed etiam possessivum et subiectivum ab eo nomine, ex quo pendent, saepe dirimi, aliquando etiam maiore verborum ambitu.

III. Verbi finiti.

De collocatione verbi finiti Ziemer l. c. p. 50 docet: *Tradition war es im Sanskrit und Latein, das Verbum ans Ende des Satzes zu stellen. Man bildet Sätze nach dem Muster eines gewissen Satztypus, der als Abbild der gehörten Sätze unserer Seele vorschwebt, z. B. Scipio Carthaginem delevit. Sagt der Römer aber, delevit Carthaginem Scipio, so sind die Motive dieser occasionellen Wortstellung zu ermitteln, und nach Dellbrück wird meist das stärker Betonte an die Spitze des Satzes treten.* — Huius sententiae prior pars antiquissimo praeter illam fefaced-inscriptionem, quae vocatur monumento XII tab. comprobatur, cum illic verbum finitum fere ultimo loco positum sit. Neque minus verbo anteposito propriam gravitatem effici concedo illi his locis I, 9 *com peroranto ambo praesentes.* II, 2. III, 3. V, 3. VII, 16 quamquam hic non habeo quod liqueat. VIII, 22. cf. Cato de a. c. 6, 4 *nam convenit harundinetum cum corruda.* — XII tab. VI, 1 *cum nexum faciet mancipiumque.* — Hic coniunctio *que* ipsa artius vinculum duarum notionum significat. Verbum cum interiectum non postpositum sit, eo duabus illis eodem modo proprium exprimitur. Itaque pugnandum mihi est contra Nordenum l. c. p. 180: *ebenso scheint die bei Cicero so beliebte Zwischenstellung eines zu zwei Begriffen gehörigen Verbum der alten Sprache fremd zu sein.* — Deinde vetustissimas dedicationes reputa: *Manios med fefaced Numasioi.* 19 *Duenos med feced en manom.* cf. 116. 118. 127 *Cn. Afranius magister donum dat Taniae Detrone.* cf. 291, 16. — Hic verbi notionem maiorem esse persona, cui aliquid dedicetur, apparet. 275, 2 *hince sunt Nouceriam meilia JI* — nescio an enumerandi ratione effectum sit. Contra 275, 14 *ut de agro poplico aratoribus cederent paastores* — non nisi libertate quadam auctor usus esse mihi videtur; aut etiam hic statuendum est auctori caput fuisse aliquem cessisse, hunc autem (paastores) quasi additamenti causa significatum esse. cf. 291, 13 *censorem fecere bis.* cf. 312, 145. 302. 305. tab. Bant. osc. v. 5 *deivatud sipus comenei perum dolom mallom.* cf. ib. 11, 15, 20, 21, 25. — Notiones verbum secutae quasi explicationes adduntur. tab. Ig. I A 21 *preveres Vehiies tref buf kaleřuf fetu Vufiune Krapuvi ukriper Fisiu.* cf. 15, 25, 28. VI A 59. — Legum cf. deinde 293, 10, 20. 298. 300. 302. Cato de a. c. 5, 1 *haec erunt vilici officia.* — In his quattuor proximis verbum ab ultimo

loco retractum esse videtur, ut alia notio illic posita sua vi afficeretur. cf. Holtze l. c. II p. 218. In verbo finito igitur collocando magnam varietatem deprehendimus, quae sicut multa alia ex illa vetustioris sermonis indole ad notiones pro animi motione pronuntiandas explicanda est.

Verbi finiti a nomine praedicativo dirempti haec videamus: 19 *nei ted endo cosmis virco sied.* 293, 15 *omnis in tabulis puplicis scriptos in perpetuo habeto.* cf. ib. 26. 295, 26 *quod ..... impulsum itineris causa est.* 306 III 1 *locumque purum pro eo opere reddito.* 311 II 33 *obligatumve se eius rei noxsiaeve esse.* cf. 312, 54. Cato de a. c. 2, 5 *ubi ea cognita aequo animo sunt.* Varro l. l. VI, 1 *atque si qua erunt ex diverso genere adiuncta.* cf. 92. VII, 2. antiq. rer. hum. I apud Gellium XIII, 17 *Praxiteles qui propter artificium egregium nemini est paulum modo humaniori ignotus.* —

Ergo spatium divisionis non plus duabus notionibus complectitur.

IV. Pronominum.

In antiquissimis votis italicis, quorum gravitas pietasque summa verecundia nos afficit, ut *faveamus linguis,* nativam simplicemque sentiendi rationem admiramur, quae eum qui oret se primo deorum tutelae commendare non vetet. Ab altera parte inde sequitur, quantum e prisco more Italicorum patris familias auctoritas valuerit. Cato de a. c. 139 *uti sies volens propitius mihi domo familiaeque meae libereisque meis.* ib. 141, 2, 3. cf. or. V, 7 *obiectantes quod mihi et liberis meis minime dici velim.* orat. I, 10 *mihi atque classi obviam fiunt.* — carm. evoc. apud Macrobium III, 9 *veniam a vobis peto, ut vos ..... mihique populoque romano militibusque meis praepositi sitis.* — ib. *ut me meamque fidem imperiumque legiones exercitumque nostrum ..... bene salvos siritis esse.* tab. Ig. VI A 5 *mehe, tote Iioveine, esmei stahmei.* cf. VI B 51. Buecheler l. c. p. 45 comparans Scipionis verba apud Livium XXIX 27, 2 et 4 *mihi populo plebique romanae.* XXXI 7, 15 *mihi senatui vobisque* — addit: *at enim cultiora ac delicatiora veniunt saecula: in fratrum Arvalium actis a Tiberio ad Domitianum mihi magister extremum dicit, postea non dicit usquam.* — In legibus latinis simile quicquam non inveni. De accusativo pronominis personalis in structura accusativi cum infinitivo usurpato Buecheler Musei Rhen. XXXIII p. 27 sq., Norden l. c. p. 181 adn. I dubitaverunt, num subiectum (cum nomine praedicativo) ab infinitivo dirimi possit. Agitur autem de hoc loco votivae tabulae oscae (cf. inscriptionum italicarum infer. dialect. ed. Zvetaieff n. 129): *svai nep, avt svai tiium idik fifikus pust eis* (suppletur infinitivus notione facere). Eadem autem ratione verbum finitum interiectum praebet XII tab. VIII, 22 *qui se sierit testarier* — quamquam illic iam nomen praedicativum accedere me non fugit. cf. Cato orat. X, 2 *quantoque suam vitam superiorem atque ampliorem atque antiquiorem animum inducent esse quam innoxiiorem.*

Pronomen relativum in dialecto osca saepius a nomine longius abest: tab. Bant. osc. v. 8 *pis pocapit post exac comono hafiest meddis.* cf. ib. 12, 18, 26. tab. Ig. VI A 26 *persei ocre Fisie pir orto est, toteme Iovine arsmor.* cf. ib. 46, 36. VI B 29. — Latinarum legum memoriam repeto neutrius generis relativi cum genetivo nominis coniuncti, cum ea structura saepissime utantur. Hic addo 294, 39 *quem quisque eorum agrum posidebit.* 295, 88 *quod in eis agris pequs pascetur.* 307, 35 *quam in quisque decuriam.* cf. ib. 37, 41. II 6.

V. Particularum.

quominus qui ortum sit, satis persequi possumus. Nam prior pars quo antiquissimis temporibus non aliud erat nisi qua re, dico non tam coniunctionis vi fungebatur quam pronomen sentiebatur. Quod docet 309 II 10 *neive facito, quo quis eos milites introducat quove ibei meilites hiement* — quae verba sic explico: neive facito ullam rem, qua .... cf. 295, 88 *neive .... scripturae pecoris legem deicito quo* .... cf. ib. 20, 72. Atque huic sententiae iam eo fides additur, quod particula composita quominus initio ita divisa est, ut antiquior vis servata videatur. Sic tab. Bant. osc. v. 10 *nep fefacid pod pis dat eizac egmad mins deivaid.* 293, 71 *neive facito, quo quis eorum minus ad id iudicium adesse possit.* — Sine dubio *minus* hic suam vim retinuit. Id quod comprobatur illis locis, quibus pro minus magis adhibetur 293, 74 bis. 295, 12. 312, 117, 159. 309 II 15 *neive imperato, quo quid magis iei dent.* cf. 311 B 17. — Neque ita causa caret, si ex verbis omnis generis hae particulae pendent, velut a facere, rogare, clausum habere, defendere, imperare. Quanto pauperior posteriorum sermo legibus suis constitutus, qui pro duabus formis unam quominus condiderit, qui duas partes arto vinculo coniunxerit (quamquam sic iam lingua legum), qui usum eius ad certa verba restrinxerit.

Ne particula aut verbo praescribitur, ut saepe in lege XII tab. I 3 *arceram ne sternito.* cf. VI, 9. X, 1. X, 2 *hoc plus ne facito; rogum ascea ne polito.* 293, 35 *is praetor ei moram ne facito.* 295, 42 *sed fraude sua nei iurato.* 311 I 1 *id ratum ne esto* cf. II 20. Cato de a. c. 4 *familiam ne siveris peccare.* ib. 5, 2 *familiae male ne sit, ne algeat* — saepius. cf. 61, 1. 93. Varro l. l. VI, 16 ex vetere quadam lege: *vinum novum ne vehatur.* 74 *vadem ne darent.* — ib. *vadem ne poscerent.* tab. Bant. osc. v. 8 *izic eizic zeicelei comono ni hipid.* cf. v. 14, 17, 29. tab. Ig. IV, 33 *eðek ures punes neiðhabas* cf. quae Buecheler disserit l. c. p. 171. cf. legum dubiarum quae feruntur regiarum (Wordsworth l. c. p. 253, Bruns l. c. p. 1) § 2 *vino rogum ne respargito.* § 3 *pellex aram Iunonis ne tangito.* —

Similiter uti apud Catonem de a. c. 2, 6 *reliqua quae sint, uti compareant.* cf. 7. Varro l. l. VI, 21 *is cum eat, suffibulum ut habeat.* — Cato aliquando pro sua loquendi libertate vetare pergit per et ne pro neve, quod sic ne verbo propius maius pondus affert: de

a. c. 1, 1 *neve opera tua parcas visere et ne satis habeas.* ib. 5 *videto, quam minimi instrumenti sumptuosusque ager ne siet.* cf. 32, 2.

Aut ne pronomini praescribitur: 19 *nei ted endo cosmis virco sied.* 97, 4 *nei quis eorum Bacanal habuise velet.* ib. 19 *ne quisquam* — saepius. tab. Bant. osc. v. 25 *ne pim pruhipid.*

Aut comparativo: XII tab. III, 3 *pondo ne maiore.* — 97, 22 *ne minus trium noundinum.* Cato de a. c. 5, 2 *ne plus censeat sapere se.* cf. 113, 2. 161, 2. — Omnibus his rationibus collocandae *ne* particulae eadem causa est: ei notioni annectere, quam auctor prae ceteris negaturus est.

De promiscue adhibitis negationis formis ne, non, nec, quarum haec inprimis XII tab. amant, neque Varro repudiat cf. l. l. X, 54, Holtze l. c. II 321 sq. planius disseruit.

Que denique, qua particula coniunctiva prisci auctores longe plurimum utuntur, Cato aliquando singulariter secundo verbo affigere videtur: de a. c. 143, 2 *coronam in focum indat, per eosdemque dies ..... supplicet* — pro *perque.* cf. 153. An etiam hic praepositio quasi secundario momento sentitur ita, ut cum nomine unam notionem efficiat?

Iam breviter agam

De Ciceronis legibus.

Cicero ipse de legibus illis, quas Platonem imitatus quasi specimina fictas optimae rei publicae formae adiunxit haec promittit: leg. II 7, 18 (ed. Vahlen, Berolin. 1883) *legum leges voce proponam* — quae ipse sic explicat: *sunt certa legum verba, neque ita prisca ut in veteribus XII sacratisque legibus, et tamen quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora quam hic sermo est: eum morem igitur cum brevitate, si potuero, consequar.* — Ut ipse verbis inprimis priscum legum habitum effingi putavit, sic viri docti ea inquisiverunt, quae Cicero arcessiverit et quocum iure usurpaverit. Et hoc studium inprimis praeter Buechelerum et Vahlenum H. Jordan subiit: krit. Beiträge zur Geschichte der lat. Sprache, Berlin. 1879 a. p. 225. Qui cum formas et verba doctrina atque ingenii acumine illustraverit, nostram quaerendi viam fere non intravit. Ego autem, priusquam de imitatione ipsa iudicem, singula afferam, quae cum priscarum legum sermone congruentia invenerim.

Quod ad sententias inter se coniunctas attinet, aut ἀσυνδέτως Cicero struit, ut II 8, 19 *ad divos adeunto caste. pietatem adhibento, opes amovento. qui secus faxit, deus ipse vindex esto.* II 8, 22 *sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapsitve, parricida esto. periurii poena divina exitium, humana dedecus. incestum pontifices supremo supplicio sanciunto.* III, 3, 8 *militiae summum ius habento, nemini parento, ollis salus populi suprema lex esto.* cf. III 3, 9 — aut πολυσυνδέτως, inprimis sicut priscae leges coniunctione que annectit, ut II 8, 19 *Feriis iurgia amovento, easque in famulis operibus pa-*

tratis habento; idque ut ita cadat in annuis anfractibus descriptum esto. certasque fruges certasque bacas sacerdotes publice libanto: hoc certis sacrificiis ac diebus, itemque alios ad dies ubertatem lactis feturaeque servanto; idque ne committi possit . . . . . cf. III 3, 7. Ceterum de hac dicendi varietate iam Iordan l. c. p. 250 rectum adnotavit.

Tum copiam verborum veluti his assecutus est II 8, 21 *quaeque augur iniusta nefasta vitiosa dira deixerit, inrita infectaque sunto.* — ib. *prodigia portenta.* II 9, 22 *clepsit rapsitve.* III 3, 6 *ius ratumque.* III 3, 11 *promulgata proposita.*

Ἀσύνδετα verborum multa exstant: II 8, 21 *quaeque augur iniusta nefacta vitiosa dira deixerit.* cf. II 9, 21. 22. III 3, 6 *per populum multae poenae certatio esto.* cf. III 3, 7, 8, 9, 10 *creatio magistratuum, iudicia populi, iussa vetita cum suffragio cosciscentur.* III 4, 11 *promulgata proposita.*

Coordinatio casus: III 3, 9 *oenus ne amplius sex menses. . . . idem iuris. . . . teneto.*

Assimilationem praebent II 8, 19 *separatim nemo habessit deos* — agitur hic de perfecto ad vetandum adhibito. Verbi autem formam a perfecto ductam esse inter omnes, quantum video, constat cf. Neue, Formenlehre der lat. Sprache II p. 421. Schweizer-Sidler-Surber, Gram. der lat. Sprache I § 193, 3. — III 3, 6 *ni par maiorve potestas populusve prohibessit, ad quos provocatio esto.*

Subiectum non significatur II 9, 22 *caute vota reddunto.* — ib. *popularem laetitiam in cantu et fidibus et tibiis moderanto eamque cum divum honore iungunto. ex patriis ritibus optima colunto.* quamquam dubium mihi est, num non multo antecedens *sacerdotes* hic supplendum sit. Contra prorsus deest II 7, 18 *ad divos adeunto caste. pietatem adhibento, opes amovento.* — ib. *privatim colunto delubra habento.* — Sic saepius.

Tum notio quae praevalet anteponitur III 4, 10 *ast quid erit quod extra magistratus coerari oesus erit, qui coeret, populus creato.*

Particula ne praescribitur verbo II 9, 21 *nocturna mulierum sacrificia ne sunto.* II 9, 22 *impius ne audeto placare.* III 3, 7 *probrum in senatu ne relinquonto.* cf. III 3, 9. III 4, 11 (bis).

Praescribitur pronomini II 9, 22 *praeter Idaeae matris famulos eosque iustis diebus ne quis stipem cogito.* cf. III 3, 9 bis. — Contra illum priscarum legum morem accurationis causa pronomen demonstrativum post antecedens relativum repetere, fere semper neglectum videmus cf. veluti II 8, 20 *quaeque quoique divo decorae grataeque sint hostiae providento.* cf. II 8, 21. III 3, 6. Uno loco illa antiquorum accuratione usus est III 3, 9 *plebes quos pro se contra vim auxilii ergo decem creassit, ei tribuni eius sunto.*

Iam ad singula respicientibus Ciceroni peculiarem legum morem et formarum fingendarum et verborum adhibendorum et verborum

sententiarumque struendarum plerumque cognitum fuisse nobis concedendum est. Hunc imitatus quamquam 'praeter simpliciora fere nihil effinxit,[1]) tamen graviorem illum habitum non numquam assecutus est. At ne quid nimis ab eo postulemus, monendum est illud, quod ipse satis perspicue professus est II 7, 18: *sunt certa legum verba neque ita prisca, ut in veteribus XII sacratisque legibus, et tamen quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora quam hic sermo est.*

---

1) cf. Jordan l. c. p. 250 *nur mit schüchterner Hand hat Cicero einige wenige Eigentümlichkeiten der archaischen Orthographie und Formenbildung ausgewählt.*

Conspectus capitum.

DE POSIDONII LIBRIS

ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS POHLENZ.

Stoici quid de affectibus docuerint ut cognoscamus, haud paucis veterum testimoniis uti possumus. Licet enim libri quibus ipsi περὶ παθῶν egerunt, non modo ad nostram aetatem sed ne ad medium quidem aevum pervenisse videantur[1]), primum quidem in eis libellis, quibus universa Stoicorum doctrina summatim redditur, haec quoque pars satis accurate illustratur (cf. Diog. Laert. VII, 110 sqq. Stob. ecl. II, 166 sqq. H., Barlaami episcopi ethica secundum Stoicos[2]), in quae Kreuttner recte animum intendit; quibus adde libellum illum, Andronici nomen qui in capite praefert[3]), et Nemesii librum περὶ φύσεως ἀνθρώπου, de quo infra agam).

Multo maioris autem momenti ii libri sunt, quibus aliarum sectarum philosophi, cum de affectibus ipsi agerent, Stoicorum doctrinam sive ut commendarent sive ut refutarent accuratius tractaverunt. Sequitur enim Stoicos Cicero in Tusc. disp. ll. III. IV., Peripateticorum sententiam contra eos defendit Plutarchus in libro, qui inscribitur περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς, Galenus denique in ll. IV. V. eius disputationis qua de Hippocratis et Platonis placitis agit, ut Chrysippi sententiam redarguat, ad Posidonii qui ipse quoque Stoicum se profitetur, argumentationes confugit.

His autem libris usi quamquam saepius iam viri docti operam dederunt[4]), ut quid Stoici de affectibus docuissent imprimisque quibus in rebus Posidonius a Chrysippo discessisset investigarent, tamen res ad eum finem ad quem perduci potest perducta esse mihi non videtur. Quominus autem hoc fieret, maxime obstitit, quod illi qui in eos libros inquisiverunt singulos locos ex parte perbene illustraverunt, at totorum librorum conexum sententiarum neglexerunt. Qui nisi examinatus est, neque de auctoribus Plutarchi et Ciceronis ut recte iudicetur neque ut in Galeni libris quid sit ipsius Galeni quid Posidonii quid Chrysippi distinguatur, fieri potest. Accidit igitur, ut quid de affectibus illi docuerint quaeramus necdum quid scripserint probe sciamus.

---

1) Velut Chrysippi libros περὶ παθῶν ab ullo homine post Origenem inspectos esse adfirmari non potest.

2) in Canisii Lect. Ant. t. VI a. 1604 primum impressa.

3) Andronici qui fertur libelli περὶ παθῶν pars prior de affectibus. Rec. Kreuttner Heidelb. 1886.

4) Poppelreuter, quae ratio intercedat inter Posidonii περὶ παθῶν πραγματείας et Tusc. disp. Ciceronis. Diss. Bonn. 1883. Hirzel, Untersuchungen zu Ciceros philosophischen Schriften II. III. Leipzig 1882 ff. Apelt, Beiträge zur Geschichte der griechischen Philosophie. Leipzig 1890 (p. 287 sqq. 'die stoischen Definitionen der Affekte und Posidonius'). — Adde Kreuttneri disputationis quam iam nominavi p. 22 sqq., Schmekelii librum 'Die Philosophie der mittleren Stoa' Berlin 1892, Bonhöffer 'Epiktet und die Stoa' Stuttgart 1890, Dyroff 'Die Ethik der alten Stoa' Berlin 1897.

Quamobrem cum id potissimum agendum sit, ut iis libris quos nominavi examinatis ipsas Chrysippi Posidonii reliquorum disputationes quantum fieri possit restituamus[1]), quaeritur, a quo libro ut ratione ac via progrediamur proficiscendum sit. Cum autem de Chrysippi libris iudicium ferri non posse adpareat nisi quid Posidonius scripserit constet, Posidonii autem ipsam disputationem Galenus solus saepius nominet, dubium non est, quin in huius libros primos inquirendum sit. Itaque hoc libello cum omnes eos libros quos nominavi perscrutari nequeam, de Posidonii disputatione ita dicam, ut primum quidem quid e Galeni libris ad eam restituendam lucremur ostendam, deinde hoc tamquam fundamento nisus quid e reliquis libris adpetendum sit addam.

A. De Galeno.

I.

De Galeni περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα δογμάτων libris IV—IX.

De libro IV.

Galenus cum disputatione sua id efficere studeat, ut Hippocratem et Platonem eadem plerumque de natura hominis probasse et utrumque verum vidisse ostendat, inde a primo libro non modo argumenta adfert, quibus illorum doctrinam defendat, sed etiam eorum philosophorum et medicorum, qui aliter iudicaverint, sententias refellit. Cum igitur neque Peripatetici neque Stoici tres esse animi partes diversis in partibus corporis collocatas concedant, sed totius animi sedem cor esse dicant, de hac sententia multis disserit. Postquam enim primo modice id fecit, Stoicorum repugnantia coactus (cf. p. 307, 3. 250, 16 sqq. Ml.) per totum librum III nihil agit, nisi ut Chrysippi librum I περὶ ψυχῆς[1]) percenseat singulaque argumenta quibus

1) Fragmentorum enim collectiones a Bagueto (De Chrysippi vita doctrina et reliquiis. Annal. Lovann. IV.) et Bakio (Posidonii Rhodii rell. coll. Bake Lugd. B. 1810) confectas nunc non sufficere consentaneum est.

1) Cum a Galeno p. 253, 6. 307, 15. 331, 17. 334, 11 hic liber τὸ πρότερον περὶ ψυχῆς nominetur, illi plures duobus libris quibus Chrysippus de anima egisset non innotuisse cognoscimus. Quamquam autem non plures compositos a Chrysippo esse inde non sequitur, tamen Diogenes Laertius errasse mihi videtur, cum VII 86 τὴν δυωδεκάτην περὶ ψυχῆς commemoraret. Quae enim ibi a Chrysippo de differentia inter φαντασία et φάντασμα intercedente proferri dicit, potius ἐν τῇ δυωδεκάτῃ τῶν φυσικῶν locum habuisse videntur, si quidem in hoc libro τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν a Chrysippo tractatam esse ipse Diogenes proxima paragrapho dicit. An libri περὶ ψυχῆς pro parte librorum physicorum habendi sunt?

ille cor sedem animi esse probaverit refutet. Hoc enim eius ratiocinatione effici, ut iram in corde nasci videamus, sed neque de cogitatione neque de cupiditatum sede quidquam probari. Cum autem secundum Chrysippi sententiam ira a cupiditatibus et a ratione diversa non sit ob eamque rem ubi ira sit, ibi etiam rationis sedem esse necesse sit, in l. IV ad maiorem quaestionem transiens (cf. p. 305, 1—11) totam eius doctrinam, qua unum indivisumque esse animum neque iram aut cupiditatem h. e. affectus a ratione seiungi posse statuerit, inanem esse ostendit. Priusquam tamen ad libros π. παθῶν, quibus maxime illam doctrinam Chrysippus mandavit, perveniat, ad librum I π. ψυχῆς denuo redit ibique Chrysippum ita sentire contendit, ut tres animi partes agnoscat[1]) (331, 16 sqq. Chrysippi orationes ex parte iam 315, 16 sqq. adlatae sunt).

Sed ne in ipsis quidem libris π. παθῶν Chrysippus sibi constat, si quidem in exponendis affectus definitionibus irrationalem quandam facultatem agnoscit, contra postea tantum quaerit, utrum affectus iudicia sint an iudicia subsequantur, Platonis vero sententiae, qui affectus motus vehementes irrationalium facultatum esse statuit, omnino rationem non habet (p. 335).

Nec minus definitiones generalium affectuum testimonio sunt eum non semper idem de hac re sentire. In iis enim quos primos proposuit[2]), cum aegritudinem opinionem recentem esse mali praesentis statuit ceterosque affectus eodem modo circumscribit, in ratione consistere eos censet; paulo post autem quae dicit: affectus demissiones vel elationes animi esse, ad Epicuri et Zenonis sententiam magis quadrant, irrationales facultates agnoscentium (p. 336, 7).

Neque in his tantum[3]) secum ipse pugnat, sed etiam in eis quae tuendarum affectus definitionum causa dicit, ad Platonis magis sententiam accedit. Cum enim affectus ita definiatur (sc. a Zenone), ut sit ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν κίνησις ψυχῆς vel etiam πλεονάζουσα ὁρμή, Chrysippus contra naturam affectum ob eam rem esse putat, quod animal rationale natura rationem sequatur, affectus autem irrationalis sit; ipsum autem verbum 'irrationalis' ita interpretatur, ut motum rationi non oboedientem et ab ea aversum significet, quo homo ad aliquid feratur ac tamquam propellatur. Hanc autem interpretationem vulgari sermoni respondere censet; nam vulgo similiter aliquem irrationali motu propelli dicimus. Non enim si per

1) Scilicet Chrysippus ita exorsus est, ut de sede principalis animi partis homines dissentire diceret maximeque Platonis sententiam commemoraret (p. 252, 13). Postea vero ut consensum omnium sibi favere probaret, cum alia tum hoc protulit a poetis omnes animi partes *quae a Platone statuerentur* in corde poni.

2) Miror Dyroffium in libro suo qui inscribitur 'Die Ethik der alten Stoa' p. 14 his verbis uti, ut generales affectus a Chr. prius definitos esse quam ipsum affectum comprobet.

3) Οὐ κατὰ ταῦτα (codd. οὐκ αὐτὰ ταῦτα) recte Corn. p. 338, 2.

errorem vel quod aliquid minus recte perspexit fertur, hoc verbo utimur, sed maxime secundum illum motum, quem indicat (sc. Zeno quem in definitionibus enarrandis commemoratum antea esse adparet).[1] Ut autem quid sibi velit πλεονάζουσα ὁρμή illustret, Chrysippus comparatione quadam utitur. Sicut enim ambulantes motum femorum voluntate sua regunt atque terminant, contra currentes longius quam ratio imperavit efferuntur, sic animi impetus aut rationi obtemperat eiusque imperio finitur aut modum ab ea praescriptum excedit et redundat. — Haec fere sententia Chrysippi; Galenus autem primo exponit illum verbis ἀπειθεῖν τῷ λόγῳ et ἀπεστράφθαι τὸν λόγον usum esse, ut hominis affectum ab irrationali motu et rerum inanimarum et ceterorum animalium quae ratione non uterentur, distingueret; proximis vero verbis eum recte statuisse interesse aliquid inter affectum et errorem. Quod quam recte fecerit, duobus exemplis illustrat. Is enim qui servandae patriae causa liberos morti tradit, iudicio quodam commovetur, at Medea dum idem facit, a ratione aversa iram sequitur (p. 343).

Ex ea autem ipsa re, quod ἄλογος is est motus, qui rationi non oboedit et ab ea avertitur, adparet non ipsa ratione eum moveri. Neque enim ut aliquid sibi ipsum non oboediat aut a se avertatur, fieri potest (343, 11. 2). Nec magis in altera definitione explicanda a Platone Chrysippus discedit. Quod quo manifestius sit, exemplum ab illo adlatum Galenus amplificat accuratiusque illustrat. Non enim omnibus qui currunt accidit, ut motus compotes esse desinant, sed iis qui per declive vel prono corpore currunt; ii contra qui per acclive vel supino corpore feruntur, ubi voluerunt, consistunt. Id quod ob eam rem fit, quod hi voluntate animi sola moventur, illi corporis pondere et in currendo adiuvantur et consistere prohibentur. Unde concludendum est etiam animi motum cum a ratione sola proficiscatur, etiam eius imperio statim terminari, tum autem rationi non obtemperare neque ubi illa iusserit consistere, si ex alia quoque facultate originem duxerit. Itaque irrationales facultates in animo extare coniciendum est. Atque ut in imagine eius motus, qui aut voluntate sola aut solo corporis pondere efficitur, etiam finis eius facultatis solius imperio determinatur, sic in animo quoque res se habet. Porro ut illic ubi utriusque causae effectus cernitur, voluntas cum corporis pondere aut congruit aut pugnat, sic in animi motu nunc ratio cum ira vel cupiditate consentit nunc cum illis pugnat. Quamobrem hominis vita aut aequabilis est ita ut aut semper in

---

1) καὶ γὰρ οὐχὶ εἰ (codd. ὡς εἰ, Ml. οὐχὶ εἰ) διημαρτημένως φέρεται καὶ παριδών τι κατὰ τὸν λόγον, ταῦτα ἐπισημαινόμεθα ἀλλὰ μάλιστα καθ' ἣν ὑπογράφει φοράν, οὐ πεφυκότος κτλ. — sine necessitate ultima huius enuntiati verba, quae nihil habent difficultatis, a Muellero propter 342, 10. 358, 10 mutata esse in excursu demonstrabo.

Ad totum locum cf. etiam Dyroff, die Ethik der alten Stoa p. 152 sqq.

affectu sit aut numquam, aut plena pugnarum, ita ut modo ratione modo irrationalibus facultatibus regatur; qua in re intemperantium et incontinentium hominum discrimen positum est. — Ipsius igitur Chrysippi exemplum declarat non a ratione modo affectus originem ducere sed etiam ab irrationalibus facultatibus h. e. cupiditate et ira, et Platonis sententiae suffragatur (347. 8).

Haec omnia quae inde a p. 338, 1 de definitionum expositione a Chrysippo data legimus, tam continuam disputationem efficiunt, ut sententiarum conexus nullo loco interrumpatur. Quantum autem haec ab exili illa disputatione distet, qua Galenus p. 335—337 de definitionibus affectuum agit, dicere non est necesse. Mirum praeterea est, quod Galenus rem ita disposuit, ut prius de singulis affectibus, cupiditate eqs. diceret quam de ipsius affectus definitione ageret.

Antequam autem quid inde concludendum sit videamus, proxima examinemus. — Galenus enim cum antea Chrysippum in enarrandis affectibus minime ea protulisse affirmaverit quae Platoni adversarentur, plane eum a veteribus discedere statuit, cum quaerat, utrum affectus iudicia sint an iudicia subsequantur[1]) et ita hanc litem diiudicet, ut iudicia eos esse dicat. Qua in re non modo Platonis vestigia deserit sed etiam Zenoni multisque aliis Stoicorum repugnat, qui affectus contractiones et demissiones a iudiciis ortas esse statuerunt. Posidonius vero neutrum eorum quae Chrysippus in quaestionem vocavit probat, sed irrationalibus facultatibus non minus quam Plato affectus gigni putat et saepenumero Chrysippeos interrogat, quae sit causa redundantis impetus. Cum enim ratio ultra modum a se praescriptum redundare non possit, alia facultas statuenda est, qua haec redundantia efficiatur. — Sed Chrysippum multis contra dicere mirum non est, mirandum autem quod ipse sibi contra dicit, cum nunc affectus sine ratione et iudicio fieri adfirmat nunc non modo eos iudicia subsequi sed — id ipsum quod dico — esse iudicia contendit.[2]) Ac ne sic quidem Chrysippo succurrere possumus, ut ἄνευ κρίσεως in definitione explicanda quo utitur, interpretemur 'sine circumspectione', postea vero et adpetitiones et adsensiones verbo κρίσις significari concedamus.[3]) Nam licet sic efficiamus, ut affectus sit redundans adsensio, tamen iterum Posidonius quaeret, qua causa haec redundantia efficiatur, neque quidquam proficiemus. Praeterea Chrysippus reprehensione valde dignus est, si tam diversam vim in eodem verbo esse voluit nec tamen id ipse

1) id quod iam p. 335, 7—9 legimus.

2) Sana sunt verba αὐτὸ δὴ τοῦτο 349, 13 cf. Kalbfleisch, in Galeni de placitis Hippocratis et Platonis libros observationes crit. Diss. Berol. 1892 p. 27.

3) Scilicet cum ex adsensione iudicium fiat, ex iudicio adpetitio oriatur, statuamus non modo adpetitionem et iudicium (id quod sine dubio Chrysippus admisit) sed etiam adsensionem et iudicium confundi unoque verbo significari. τὰς ὁρμάς 350, 3 rectissime se habet.

significavit. P. 351, 2 ad hanc rem postea rediturum se esse indicat. —

Primos huius particulae versus si legimus, novae rei tractationem hic institui credamus necesse est (348, 5 sqq.); sed inde a p. 349, 1 quae invenimus, artissime cohaerent cum ea quae praecedit de affectus definitionibus disputatione, v. 6 denique verbis ipsis ad Chrysippi exemplum antea illustratum revocamur. — 'Chrysippi ipsius definitionum expositio maximeque illud currentium quo utitur exemplum flagitant, ut praeter rationem etiam irrationales facultates in animis hominum esse statuamus. Quas si extare negamus, qua tandem causa efficitur illa impetus redundantia? Ratione ipsa enim effici non potest, ut impetus rationis modum excedat. Nihilominus Chrysippus solam in animo esse rationem contendit et ex illa difficultate ita extricare se posse sibi videtur, ut impetum non secundum iudicium nasci sed ipsum iudicium esse statuat. At primum quidem ipse cum in priore definitione affectus explicanda ἄνευ λόγου καὶ κρίσεως affectus fieri censet, ab hac sententia discedit, sed etiamsi ei opitulantes verbo κρίσις alio loco aliud significari posse concedamus et eum secuti adpetitiones iudicia adsensiones ita confundamus, ut πλεονάζουσα ὁρμή accipiamus dictum pro πλεονάζουσα συγκατάθεσις, pro adpetitione habemus adsensionem sine dubio ratione effectam[1]), sed qui fiat, ut adsensio redundet et modum a ratione praescriptum excedat, iterum quaerendum est' — hoc modo argumenta sese excipere non solum possunt sed paene debent, si quidem eis quae p. 348 et imprimis p. 349, 7 sqq. legimus, sententiarum conexus non illustratur sed obscuratur. Quodsi animadverterimus Galenum ipsum profiteri rationes p. 349. 350 prolatas Posidonio deberi, non temere progrediemur, si iam inde a p. 338 Posidonii vestigia eum premere, ea autem quibus disputatio interrumpatur non minus quam praeambula illa quae ante p. 338 inveniamus eo profecto loco ubi legantur[2]) a Galeno addi concludemus.[3]) — Utrum vero Posidonius argumentationem suam ita terminaverit, ut originem redundantis adsensionis quaerendam esse diceret, nec tamen cur haec quaestio a Chrysippo solvi non posset adderet, an Galenus disputationem eius ad finem adscribere noluerit, hic nondum potest diiudicari.

P. 351 postquam v. 2. 3 ad aliam rem transgressurum se esse

---

1) Hoc nisi suppletur, quid verbo συγκατάθεσις lucretur Chrysippus, non videmus.

2) Velut p. 335, 4—11 summarium habes eius argumentationis quam postea accuratius reddit.

3) Quamquam aut ea quae p. 348 leguntur aut disputationem de definitionibus p. 336. 337 prolatam non ab ipso excogitatam esse inde coniciendum, quod p. 337, 10 sqq. contractiones et elationes tamquam alterum definitionum Chrysippearum ordinem adfert, p. 348, 10 eius doctrinae opponit. — Qua de re postea.

significavit, in Chrysippum iterum vehementissime propterea invehitur, quod sibi ipse persaepe contra dicat. Ac primum quidem ad definitionem cupiditatis redit, quam ὄρεξιν ἄλογον esse ille statuerit, quamquam ipsum verbum ὄρεξις alibi ita circumscripsisset, ut esset ὁρμὴ λογικὴ ἐπί τι ὅσον χρὴ ἧδον αὐτῷ; tum vero pluribus eum vituperat, quod affectus nunc sine iudicio fieri nunc iudicia esse, porro sine ratione existere et in rationali animi parte consistere, denique non parere rationi sed ne ulla quidem alia facultate moveri dicat. Ne quis autem dubitare possit, quin Chrysippus sibi ipse contra dicat, inde a p. 354, 11 accuratius quae notio verbi ἄλογος sit quaerit. Cum enim omnia vocabula ab alpha privativo quod vocatur incipientia duplicem vim habeant, ita ut eius nominis, quod post litteram α contineant significationem aut tollant aut debilitent — ἄφωνος aut is est qui voce caret aut qui absona voce utitur — ἄλογος utram in partem accipi velit, Chrysippus ipse dicit. Ipse enim eam significationem, qua verbo εὔλογος opponitur et malum rationis statum indicat, excludit et eo ipso modo errorem ab affectu seiungit, ut illum peccato rationis hunc absentia rationis vel aversione ab illa fieri censeat (357). Itaque sive in l. I π. παθῶν legimus eos qui in affectu sint, ferri ἀπεστραμμένως τε καὶ ἀπειθῶς τῷ λόγῳ sive in Curatorio κατὰ τὴν ἀποστροφὴν τοῦ λόγου, ita haec verba interpretanda sunt, ut idem valeant atque χωρὶς λόγου παντός. Aperte igitur Chrysippus secum pugnat, cum nunc sine omni ratione affectus fieri nunc iudicia esse et a ratione gigni iudicat Hoc postquam aliis quoque locis ex ipsis Chrysippi libris sumptis[1]) demonstravit, p. 361 ratione affectus moveri non posse ob eamque rem, ne motum sine causa nascentem agnoscamus, unde originem habeant quaerendum esse concludit. 'Quod cum cognovisset Posidonius Chrysippi doctrina improbata ad Platonem rediit Zenonemque eiusdem sententiae fuisse ostendere conatus est' (p. 362).

Hanc particulam si cogitatione complectimur, Galenum p. 351 quae de cupiditatis definitione dicat, de suo dare facile nobis persuadebimus, si comparaverimus p. 337, 1—6.[2]) Ea autem quae sequuntur secundum Posidonii librum scripta esse ut credamus, illa quidem re impelli non debemus, quod Posidonii nomen in fine disputationis commemoratum videmus. Non enim tamquam auctor rationum antea prolatarum nominatur, sed argumentatio ad Chrysippi doctrinam refutandam instituta ita absolvitur, ut a Posidonio quoque totam eius doctrinam abiectam esse audiamus. Rem autem si examinamus, primum quidem dubium non est, quin disputationem talem, qualem p. 338—350 legimus, subtilem et sententiarum plenam hic non deprehendamus, immo illam aniculae garrulitatem quam Chrysippo crimini dare solet Galenus ipse admiserit.[3]) Deinde quae p. 361

1) p. 358, 17—361, 2. De quibus vide excursum.
2) Quae ratio inter hos locos intercedat, postea videbimus.
3) Chrysippi quoque orationes cur adtulerit, cum eandem senten-

concludit, ea Posidonium secutus eundem in modum iam p. 349 protulit, nisi quod hic monetur, ne motum sine causa nascentem admittamus. Denique eius disputationis, quae p. 352—360 continetur summa e Posidonii libris hausta esse mihi non videtur. Cum enim Posidonius iam in ea disputatione quam modo ei vindicavimus (Gal. p. 348, 12 sqq.) commemoraverit Chrysippum ita agere, ut affectus et ἄνευ λόγου καὶ κρίσεως gigni et iudicia esse statueret, animadvertentes eum ibi perbrevi disputatione uti, ut Chrysippi verba subtiliter interpretatus repugnantia quantum fieri posset sublata doctrinam in suum usum convertat, vix credemus eundem paulo post de eadem fere re tam multa verba fecisse, ut Chrysippum secum ipsum pugnare ostenderet nec tamen rem ipsam penitus tractaret[1]) sed in verbis magis haereret.

Galeno autem ipsi hanc disputationem eo facilius tribuemus, et quod eum numquam sibi magis placere quam dum Chrysippum sibi ipsum contra dicere ostendat passim videmus et quod iam in libri III. disputatione ad vim verborum ab α privativo incipientium animum adtendit (cf. p. 276 sqq. 297).

P. 362 postquam sui temporis nobilissimos Stoicos originem affectuum explicare non posse praemisit, deinde (364, 2) Chrysippum ipsum iterum vituperavit, quod nunc sine ratione nasci nunc rationalis facultatis esse affectus statueret, p. 364, 9 demum novi aliquid adfert. Cum enim Chrysippus tumultuosum motum (τὴν πτοιάν) de affectuum genere recte praedicari[2]) dicat κατὰ τὸ ἐνσεσοβημένον τοῦτο καὶ φερόμενον εἰκῆ, illud εἰκῆ sic explicandum esse dicit, ut aut sit χωρὶς λόγου aut ἀναιτίως, neutrum autem stare posse Hippocratem quoque antestatus ostendit. P. 365, 14 pergit: οὕτω δὲ καὶ τὸ πλεονάζουσαν ὁρμὴν εἶναι τὸ πάθος ἐξηγούμενος ὁ Χρύσιππος . . ὑπὲρ τὴν τοῦ λόγου συμμετρίαν γίνεσθαί φησιν τὴν ὑπερβολὴν τῆς κινήσεως, οὐ μὴν τήν γε αἰτίαν αὐτῆς προστίθησιν — haec quoque Galenus, quasi novam rem ingressurus sit profert, sed meminimus idem iam antea Chrysippo vitio dari atque eo quidem loco, quem ultimum Posidonio secundum Galeni ipsius verba adscripsimus (Gal. p. 349. 350, cf. nostrae disp. p. 542). Non igitur miramur, quod statim ad exempli Chrysippei expositionem a Posidonio datam nos revocat (p. 366, 6) et eisdem argumentis usus quae p. 349 protulit illam impetus redundantiam, quia non simul praeter modum a ratione praescriptum et per rationem fieri possit, irrationali quadam facultate gigni concludit (p. 367, 3—10). Scilicet Galenus disputationis Posidonianae filum p. 350 abiectum alio loco

---

tiam praeberent atque loci p. 338. 339 adlati, ex ipsa re intellegi non potest. Sed hac de re alias.

1) Id quod concedet, qui comparaverit libelli Plutarchei π. τ. ἠθικῆς ἀρετῆς p. 446 F sqq.

2) Sic haec verba vertenda sunt cf. Stob. ecl. II 88 H (p. 89, 7 W.) ὡρίσατο δὲ κἀκείνως (sc. Ζήνων)· πάθος ἐστὶ πτοία ψυχῆς κτλ. cf. II 166 H.

Chrysippeo usus ita resumit, ut eadem argumenta, quae ibi Posidonium secutus extrema protulerit, denuo adferat. In eis tamen, quae continuo sequuntur eum etiamtum de suo agere adparet. Sicut enim iam id quod p. 367, 13. 14 additur: repugnantiam a Chrysippo admissam ita effugi potuisse, ut aut affectum ab errore non distingueret aut secundum errorem nasci statueret, Posidonio deberi non videtur, sic p. 368, 4—8 ipsius Galeni nihil agentis nisi ut Chrysippum secum pugnare probet, manum deprehendimus. Haec autem neque ad rem faciunt neque cum eis quae hinc sequuntur, apte cohaerent. Cum enim statim demonstraturum se esse professus sit Chrysippum etiam in Curatorio sic statuisse, ut sine iudicio affectum gigni diceret (368, 9), eo loco utitur, e quo minime concludi possit Chrysippum omnino sine iudicio affectus nasci statuisse, sed tantum sumendum sit eum affectus (vel potius imbecillitates quae hic de improviso occurrunt) pro iudiciis non habuisse: οὐ γὰρ ἐν τῷ κρίνειν ἀγαθὰ ἕκαστα τούτων (sc. divitias aliaque) λέγεται ἀρρωστήματα ταῦτα, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἐπὶ πλέον ἐκπεπτωκέναι πρὸς ταῦτα τοῦ κατὰ φύσιν. Quod Galenus cum ipse sentiat, sic pergit[1]): Quodsi quis his verbis Chrysippum non eo progressum esse dixerit, ut imbecillitates iudicia esse omnino negaret, sed ne in ipso falso iudicio originem earum poneret, illud 'amplius quam natura postulat' addidisse, sufficiet eum ad posteriora ablegare, in quibus de avium insano studio loquitur. Cum enim insania per irrationalem in corpore facultatem gignatur, nihil imbecillitati cum ratione esse potest. (Illius χωρὶς κρίσεως quod praemisit, plane iam immemor est.) Quodsi quis, pergit 369, 7, his ita non adquieverit, ut insanum illud non per irrationalem facultatem nasci sed inde oriri statuat, quod iudicium amplius quam deceat efferatur, et si id tum fieri contendat, cum aliquis non modo falsam de aliqua re tamquam bonum sit opinionem habeat sed illam tantum bonum esse iudicet, ut sine ea nullum esse vitae pretium putet, is legat ea, quae Posidonius contra hanc sententiam disputavit.

Statim igitur haud pauca argumenta a Posidonio prolata ad verbum adfert, quae quin omnia ex eadem disputatione quam Galenus fere totam exscripserit, sumpta sint, dubium esse non potest.

Qua de disputatione ut recte iudicemus, magni interest scire, qualis ea doctrina fuerit, quam Posidonius redarguit. Etenim si Galenum sequimur (369, 7), fieri non potest, quin illam doctrinam totam non a Chrysippo ipso prolatam esse, sed si ei succurrere velimus, ex eius verbis concludi posse statuamus. Sed ut ratio totius disputationis Posidonianae sic verba quoque flagitant, ut singula certe argumenta ad quae Posidonius respondeat, Chrysippi ipsius esse putemus. Licet enim ad ea verba quae initio legimus: τοιούτων ὑπὸ τοῦ Χρυσίππου λεγομένων, ob eam rem videatur non esse

---

1) Nec tamen conexum meliorem efficit.

recurrendum, quod dubium est, utrum circumscribi debeant ἐπεὶ — λέγονται an εἰ — λέγοιντο, ea profecto magni momenti sunt quae p. 370, 7 sqq. inveniuntur: εἰ γὰρ τὸ μέγεθος τῶν φαινομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν κινεῖ τὸ νομίζειν καθῆκον καὶ κατὰ ἀξίαν εἶναι παρόντων αὐτῶν ἢ παραγινομένων ⟨ἐν πάθει γίνεσθαι⟩[1]) καὶ μηδένα λόγον προσίεσθαι περὶ τοῦ ἄλλως δεῖν ὑπὸ αὐτῶν κινεῖσθαι κτλ.; primum enim Chrysippus ipse sententiam suam ita pronuntiasse statuendus est, ut in eo affectum poneret, quod rectum esse et ad officium pertinere opinaremur sic moveri.[2]) Hoc enim a Chrysippo traditum Posidonius in praesentia accipit ita ut nihil contra dicat, et tantum quaerit, utrum haec falsa opinio recte e magnitudine rerum bonarum vel malarum quae adesse videantur nasci dicatur necne. At hanc ipsam quoque rationem non a Posidonio fingi sed a Chrysippo ipso, ut falsae illius opinionis originem explicaret, prolatam esse satis indicat modus indicativus praesentis temporis κινεῖ. Quod quo magis adpareat, ea quae sequuntur legamus. Posidonius enim postquam e magnitudine opinati boni malive illam opinionem nasci non posse proficientium et sapientium exemplis demonstravit, qui quamquam summa mala vel bona sibi adesse putarent, in affectu non essent neque rectum esse statuerent sic moveri, pergit: εἴ τε πρὸς τῷ μεγέθει τῶν φαινομένων καὶ τὴν ἀσθένειαν τῆς ψυχῆς αἰτιάσονται[3]) καὶ . . . ἐροῦσιν (371, 1 sqq.) — 'quodsi ut huius argumenti vim debilitent, etiam imbecillitatem animi *commemorabunt*'. Ubi ergo argumentum quod ad ipsius ratiocinationem modo prolatam redarguendam excogitari *possit*, reicit, futuro tempore utitur. Quamobrem ut hic quid secundum Chrysippi doctrinam proferri possit fingit, sic illic ad rationem a Chrysippo ipso prolatam respondere putandus est. Imbecillitatem autem animi hoc profecto loco eo tantum consilio a Posidonio commemorari, ne sapientium et proficientium exempla nihil valere videantur, inde adparet, quod statim ille postquam praemisit non sufficere imbecillitatem pro causa affectuum vendere, quoad quomodo affectum moveret non demonstraretur, non modo eos qui proclives sint ad vitiositatem sed omnes imbecillos (audi: etiam proficientes), dum mali sint, in affectus incidere ostendit. Quo argumento sine dubio utitur, ne proficientes omnino in affectus non facile incidere sibi obici possit. Statim autem imbecillitatis immemor ita pergit, ut, licet cum Chrysippo affectum in falsa illa opinione officiosae perturbationis ponamus, *magnitudinem* certe opinatae rei non sufficere ad originem falsae illius opinionis explicandam statuat: 'opinio illa qua dignum esse ea re quae acciderit statuimus rationem aspernari, magnum affectum indicat (h. e. non nascitur, nisi in magno affectu homo est — hoc Posidonius Chrysippo affec-

---

1) Haec suppleam. Bake delet καί.
2) Qua de re postea iterum dicendum erit.
3) αἰτιάσοιντο A, αἰτοιάσοιντο M (H deest). Quin recte Muellerus αἰτιάσονται scripserit, propter ἐροῦσιν dubium non est.

tum ipsum in ea opinione ponenti concedit), sed existit etiam, si mediocria vel parva acciderunt'.[1]) Ac tum demum ne quid Chrysippo restet refugii, neque magnitudinem rei opinatae neque imbecillitatem causam affectuum esse inde ostendit, quod licet homini eadem de magnitudine boni vel mali opinio eademque imbecillitas adsit, non idem efficitur sed modo nascitur affectus modo non nascitur. Nec minus illi doctrinae obstat, quod quidam (velut Agamemno), etsi et malum magnum sibi adesse putant et imbecilli sunt, aliorum consilia petunt nec rationem aspernantur. Postremo argumentum refellitur, quo Chrysippus ad suam doctrinam comprobandam usus erat. Cum enim nonnulli (velut is qui versum ἔα μ' ἀπολέcθαι κτλ. pronuntiat) cupiditate ita occaecentur, ut id quoque quod malum esse cognoverint, adpetant, Chr. inde hoc explicandum statuit, quod illi propter magnitudinem eius rei quae adsit oportere putent opinionem de ea tamquam bonum sit habere, quamquam aliud ipsi sibi persuaserint (375, 4 sqq. et imprimis 376, 1). Cui Posidonius respondet hoc si accipiamus eo nos deduci, ut homines et magnitudine opinati *boni* et *magnitudine ipsa* rei, etiamsi illa bonum non sit, ad adpetendum stimulari censeamus.[2]) Itaque causam qua illi in affectum propellantur, in opinione magni boni poni non posse (376, 5 sqq.).

Hac igitur disputatione Posidonius Chrysippum non recte facere ostendit, quod magnitudine opinati boni vel mali eam opinionem moveri dicat, qua homines oportere putent in affectu esse rationemque

---

1) τὸ δὲ ὑπολαμβάνειν κατὰ ἀξίαν εἶναι τῶν cυμβεβηκότων οὕτως κεκινῆcθαι, ὥcτε ἀποcτρέφεcθαι τὸν λόγον, μέγα πάθοc ἐμφαίνει· οὐ καλῶc ὑπολαμβάνειν ἐcτί· γίνεται δὲ καὶ διὰ cύμμετρον καὶ μικρόν — sic codd. p. 371, 14 sqq. Sententia quam supra enarravi, quae necessario flagitari mihi videtur, efficitur, si verba οὐ καλῶc ὑπολαμβάνειν ἐcτί neglegimus. Quae cum non modo superflua sint sed etiam et propter formam — nam parum cum reliquis cohaerent — et propter sensum offensiones praebeant, quaerendum est, quid in illis lateat. Illo autem loco Posidonius aut diserte dicere potuit se haec a Chrysippo nunc accipere — necessarium tamen hoc propter rationes antea prolatas non erat — aut quid Chrysippo concederet, accuratius circumscripsit. Hoc vero eo libentius crediderim, quod μέγα πάθοc ἐμφαίνει explicatione eget. Vult enim dicere: 'opinio illa indicat tum ipsum hominem magno affectu commoveri, *quia per meram cogitationem non nascitur*'. (Efficitur enim τῇ παθητικῇ ὁλκῇ, de qua infra agemus). Itaque tempto: μ. π. ἐμφαίνει καὶ οὐχ ἁπλῶc ὑπολαμβάνειν ἐcτί — 'nec simplex opinio est'. Ad οὐχ ἁπλῶc cf. p. 369, 10.

2) Lego p. 375, 7 sqq.: μάχην περιέχει φέρεcθαί τε ὡc ἐπὶ μέγα cυμφέρον καὶ διὰ τὸ μέγεθοc αὐτοῦ, εἰ καὶ ἀcύμφορόν ἐcτιν, ἄξιον ἡγεῖcθαι τοῦ μεγέθουc αὐτοῦ, εἰ καὶ μηδὲν ἔχει ὄφελοc (codd. μέγεθοc) ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον, ὅμωc ἀντέχεcθαι οὕτωc αὐτοῦ. (Ab ἄξιον pendet τοῦ μ. α., ab ἄξιον ἡγεῖcθαι — ἀντέχεcθαι.) — Cum totum argumentum in eo positum sit, quod Chrysippus eo deducitur, ut sola *magnitudine* rei sive ea bona sive mala sit eius cupiditatem commoveri dicat, Pos. in hac re premenda sibi satis facere non posse mihi videtur. Itaque nimiam verborum copiam quae facile offensioni esse potest ferendam esse iudico. Wilamowitzius deleri iubet τοῦ μεγέθουc αὐτοῦ.

aspernari, Galenus autem eius disputatione usus redarguere vult, si qui eadem magnitudine opinatae rei fieri censeant, ut iudicium amplius quam deceat efferatur et adpetitio redundet (369, 7 sqq.). Aequandae igitur sunt, si modo quis extat conexus sententiarum, opinio illa officiosi affectus et haec redundantia impetus. Tantum autem abest, ut hoc Galenus eis verbis quae prooemii loco Posidonii orationibus praemittit, dilucide exprimat, ut omnino non de affectibus sed de morbis animi imprimisque avaritia dicat (369, 10 sqq.). Quamquam autem vel hinc adparet illum sententiarum conexum a Galeno non excogitatum sed e Posidonii disputatione non ita bene translatum esse, melius videtur ex hac ipsa Posidonii disputatione rem diiudicare.

Eo enim loco, quo Galenum ab eo discedere vidimus (Gal. p. 350, cf. supra p. 542), Posidonius ut causam redundantis impetus explicari non posse comprobet, dum praeter rationem ullam in animo esse facultatem negemus, difficultates non minui ostendit, si pro redundanti impetu ponamus redundantem adsensionem. Nam etiamtum quaerendum esse, quomodo fiat, ut adsensio redundet. — Videmusne quam facile Posidonius ea addere potuerit[1]), quae modo examinavimus? 'Quae autem secundum Chrysippi doctrinam proferri possint, minime sufficiunt. Cum enim secundum illum redundantia adsensionis in eo sine dubio ponenda sit, quod iudicium hominum amplius quam natura ferat, efferatur, ita ut rectum esse et ad officium pertinere statuant rationem aspernari et in affectu esse — in hac enim opinione cardinem rei versari sapientium et proficientium exemplis comprobat, qui quamquam in summis bonis vel malis sint, in affectum non incidant, quod eis desit opinio illa officiosi affectus[2]) — tamen quomodo ad hanc ipsam opinionem deducamur, non explicatur. Quamquam Chrysippus ipse magnitudine opinatae rei eam moveri censet. Τοιούτων δὲ ὑπὸ τοῦ Χρυσίππου λεγομένων κτλ.'

Ad hanc Posidonii disputationem Galenum, postquam p. 362—367 suas cogitationes protulerit, si se paulatim accomodare putamus, mirum non iam est, quod p. 368. 369 rei tractatio parum recte procedit. Neque ea tantum quae iam antea Galeni ipsius esse vidimus, ei tribuenda sunt, sed ne Chrysippi quidem oratio, quam 368, 12 adfert accuratiusque tractat, ad Posidonium referenda est, si quidem ἀρρωστήματα illa quae ibi commemorantur a Posidonio nusquam respiciuntur. P. 369, 10 sqq. autem eorum non ita bene a Galeno rationem haberi supra cognovimus.

Praeterea autem nunc adparet, qui factum sit, ut Galenus ibi sic diceret, tamquam Posidonius omnino ad argumenta non ab ipso

---

1) Antea in medio reliquimus, utrum Posidonius disputationem ita terminavisset, ut illud interrogandum esse diceret, an addidisset, cur illa quaestio a Chrysippo solvi non posset.

2) His enim exemplis Chrysippum iam usum esse non solum per se verisimile est, sed etiam postea argumentis comprobabimus.

Chrysippo prolata sed secundum eius doctrinam conficta respondisset: Scilicet argumenta illa a Chrysippo ipso prolata sunt, sed non eo consilio prolata, ut redundantiam adsensionis explicaret. Hanc enim ipsam non e Chrysippi libris sumpsit Posidonius, sed secundum eius doctrinam finxit.

Inde a p. 376 usque ad p. 390 Galenus iterum ostendit Chrysippi ipsius verbis nos eo deduci, ut praeter rationem aliam quoque facultatem in animo esse statuamus. Ac primum quidem hoc inde concludit quod ille ut in corpore sic in animo contentiones et remissiones agnoscit et remissione animi fieri censet, ut iudicio antea facto depellamur et in affectus incidamus. Hoc enim cum dicat, Chrysippum ipsum concedere non iudicium nostrum mutari, sed ira vel cupiditate coactos nos recto iudicio deturbari (—383). Porro cum Chrysippus sententiae suae favere dicat, quod ἐξεστηκέναι vulgo dicantur qui in affectu sint et quod illi saepe rationi se obtemperare nolle ipsi profiteantur, e singulis eius orationibus concludit iram et cupiditatem a ratione seiungendam esse (—386). Denique exempla quoque ab illo prolata Admeti, qui cupiditate quadam lamentandi se impelli dicit, Achillis, qui ipse secum reputans omnia recte sentit sed saepe si quid ei accidit, recta sententia deturbatur, hominum iratorum, quorum ira in spongiam vel lapides effervescit, testimonio sunt non e ratione affectus nasci (—390).

Haec num Galeni ipsius sint, non est cur quaeramus, si quidem ipse haec sibi expressis verbis vindicat cf. 376, 13. 4 ἀλλὰ περὶ μὲν ἐκείνων (sc. τῶν ὑπὸ τοῦ Ποσειδωνίου προβληθεισῶν ἀποριῶν) καὶ αὖθις ἐροῦμεν et p. 391, 3. 4: μεταβήσομαι δ' ἐπί[1]) τινα τῶν ὑπὸ τοῦ Ποσειδωνίου πρὸς τὸν Χρύσιππον ἀντειρημένων.

P. 391 igitur Galenus nonnulla, quae a Posidonio Chrysippo obiecta essent prolaturum se esse pollicitus statim orationem quandam eius ad verbum adfert. Qua ille definitione aegritudinis sicut aliis multis quas a Zenone pronuntiatas Chrysippus litteris mandaverit, manifesto eius errorem convinci contendit. Cum enim aegritudo ab eo ita definiatur, ut sit opinio recens, qua malum nobis adesse putemus, verbo 'recens' autem nihil possit significari nisi quod tempore proximum sit[2]), postulandum est, ut ratio reddatur, qui fiat, ut mali opinione recens dum sit animus contrahatur inque affectum proiciatur, ubi inveteraverit, non item. Καίτοι οὐδὲ τὸ πρόσφατον ἐχρῆν ἐγκεῖσθαι κατὰ τὸν ὅρον, εἴπερ ἀληθῆ τὰ Χρυσίππου· κατὰ γὰρ τὴν γνώμην αὐτοῦ μᾶλλον τὴν μεγάλου κακοῦ ἢ ἀνυπομονήτου ἢ ἀκαρτερήτου, καθάπερ αὐτὸς εἴωθεν ὀνομάζειν, τὴν λύπην εἰρῆσθαι δόξαν οὐ προσφάτου. ἔνθα καὶ διχόθεν ὁ Ποσειδώνιος

1) δ' ἐπεί H. cf. Petersenum (In Galeni de Hippocratis et Platonis placitis libros quaestt. criticae Diss. Gott. 1887).

2) Ut ἀξιοῖ sic φησί sine dubio de Posidonio praedicatum est (cf. μέν — δέ). — De toto loco egit Hirzel, Untersuchungen zu Ciceros philosophischen Schriften III, 426 sqq.

ἀντιλέγει τῷ Χρυσίππῳ, κατὰ μὲν τοῦτον τὸν δεύτερον ὁρισμὸν ἀναμιμνήσκων τῶν τε σοφῶν καὶ τῶν προκοπτόντων, ὡς ἔμπροσθεν εἴρηται .... κατὰ δὲ τὸν πρῶτον κτλ. (392, 1 sqq.). Verba adscripsi, sicut tradita sunt. Atque sententiam quidem hanc his verbis contineri adparet: 'Quamquam ipsum verbum πρόσφατος quod a Zenone pronuntiatum Chrysippus retinuit, in definitione locum non habet, si vera sunt quae Chrysippus ipse docet. Eius enim sententia melius exprimitur, cum magni vel intolerabilis mali opinio aegritudo esse dicitur, non recentis. Utramque autem definitionem redarguit Posidonius.' Illam intolerabilis mali opinionem hic commemorari non ut quomodo secundum Chrysippum aegritudo definiri possit ostendatur, sed quia a Chrysippo ipso tamquam altera definitio pronuntiata sit, primum inde adparet, quod Galenus nullo pacto inter priorem et alteram definitionem distinguit. Deinde eam disputationem in memoriam revocantes quam Posidonius ipse hic respicit (Galeni p. 370 sqq. cf. supra p. 546) si Chrysippum ita sentire meminimus, ut opinatae rei magnitudine opinionem officiosi doloris[1]), hac autem ipsa opinione affectum moveri dicat, dubitare non possumus, quin Chrysippus cum in Zenonis definitione haec non commemorari sciret, alteram definitionem secundum suam doctrinam conformatam proponere debuerit. Sic autem alibi quoque eum egisse, ut non una definitione adquiesceret, ea declarant quae Galenus p. 337 adfert (sicut Zeno ipse duas affectus definitiones proposuit).[2])

Quod si verum est, iis adstipulari non possumus, qui p. 392, 4 ad εἰρῆσθαι addunt ἐχρῆν vel ἔδει. Non enim debebat illa definitio a Chrysippo adferri, sed adlata est. Quamquam autem ut aliquid infinitivo addatur, ratio grammatica non necessario postulat[3]) — nam Posidonii sententiam Galenus reddit — tamen cum articulus τήν, ante μεγάλου qui legitur, sine dubio sanus non sit, probabilissima mihi videtur coniectura, quam Wilamowitzius nunc mihi suppeditat. Scribendum enim putat: κατὰ γὰρ τὴν γνώμην αὐτοῦ μᾶλλον ἦν (pro τήν), 'magis enim ex ipsius sententia erat magni mali .. opinionem aegritudinem vocari, non recentis.'[4])

Hanc igitur alteram definitionem Posidonius ut iam antea refutatam uno verbo absolvit, priorem ut contra Chrysippum facere ostendat, interrogat, quamobrem non mali opinio ipsa aegritudinem moveat sed recens mali opinio[5]) 'et dicit, quia unaquaeque res, quae

1) ad quam verbum ἀκαρτέρητος spectare videtur.

2) Potuit etiam has duas definitiones in unam contrahere cf. Cic. Tusc. III 11, 25: aegritudo est opinio magni mali praesentis et quidem recens opinio talis mali, ut in eo rectum videatur esse angi.

3) nec magis p. 415, 11 ad infin. εἶναι quidquam addendum esse concedo.

4) προσφάτου recte defendit Petersen.

5) ἀμελέτητον H (cf. Kalbfleisch p. 5), ἀμέτρητον MA. Extat hic difficultas, in quam ii qui novissime de Galeni codicibus egerunt non inquisiverunt. Quamquam enim plerumque non possumus non iudicare

non percogitata est, ubi quanta est uno tempore[1]) accidit, e prioribus iudiciis mentem deicit, eadem autem ubi exercitatione et usu et tempore insinuata est, aut omnino non deicit ita ut affectum moveat aut profecto paululum.' — Verba καί φηcι διότι dum legimus, facere non possumus quin eis verbis quae sequuntur Posidonium causam e Chrysippo frustra quaesitam ipsum reddere putemus. Sed primum quidem Galenum quamquam ut hanc πραγματείαν perpoliret, operam non admodum dedisse passim videmus, tamen sic balbutivisse vix est credendum.[2]) Deinde ipsa verba cum sine dubio indicent originem affectuum inde deducendam esse, quod propter insolentiam rei accidentis rectis iudiciis deturbemur, ab eo Chrysippo obici non possunt, qui p. 372, 16 dicit: ἐν οἷc (sc. et in eo qui adsuevit aliqua re et in eo cui de improviso accidit) αἱ μὲν ὑπολήψειc ἴcαι πολλάκιc καὶ τὰ τῆc ἀcθενείαc, τὰ πάθη δὲ οὔτε ἐπὶ ἴcηc οὔτε ἴcα γίνεται. Summi denique momenti est animadvertere, quo tendat omnis haec disputatio. Id quod ex his verbis adparet, quae sine dubio e Posidonii sententia dicta sunt (p. 394, 9. 10): ὅτι δὲ ἐν τῷ χρόνῳ μαλάττεται τὰ πάθη, κἂν αἱ δόξαι μένωcι τοῦ κακόν τι αὐτοῖc γεγονέναι, καὶ ὁ Χρύcιπποc . . . μαρτυρεῖ. Statim igitur ibi Posidonius ex ipsius Chrysippi verbis concludit illum quoque statuere sedationem affectuum fieri, licet opinio mali praesentis maneat, propterea quod contractio animi vel etiam impetus ad contractionem desinat aut quod hoc quoque remanente nulla iam actio sequatur (quod etiam in flentibus ac ridentibus accidere). Perorat ita, ut dicat: ὅτι μὲν οὖν ἐν τῷ χρόνῳ παύεται τὰ πάθη καίτοι

et Marcianum et Aldinae codicem ex ipso Hamiltoniano descriptos esse, haud pauci loci occurrunt, quibus MA eandem lectionem praebere dicantur, sed ab H discrepent. Neque moror p. 338, 12 (H ἐντεθυμῆcθαι, MA -εἶcθαι) 348, 11 (H δήξειc, MA δείξειc) vel etiam 481, 8 (LH νικᾶν — λήγειν; de MA tacet Ml., sed A quoque idem praebet); sed praeter locum de quo agimus, vide sis p. 374, 12 (H cυμβουλευόμενοc, MA -cόμενοc) 342, 8 (H κατὰ πάθοc, MA κατὰ τὸ πάθοc) 462, 10 (H habet δυνάμειc post ἡμῶν nec minus L, qui articulum addit, MA post εἰcι). Attamen ab ea sententia, qua ex ipso H illos descriptos esse illi censent, ita discedendum non puto, ut Aldinae editores et codice H et codice M usos esse ac saepius ad hunc, ut qui facilius legi posset, sese accommodasse suspicer. — Hic autem ἀμελέτητον verum esse res ipsa declarat. 'Αμέτρητον enim quamquam propria sua notione, qua est 'id quod metiri non possumus', minime ab huius disputationis ratione alienum est (cf. Cic. Tusc. III 24, 58), tamen cum eius notionis neque in verbis oppositis ἀcκηθὲν δὲ κτλ. neque postea ratio habeatur, ingeniosa potius coniectura quam vera lectio esse videtur. 'Αμελέτητον vero etsi ipsum quoque ad cogitationem referendum est (cf. ξένον quocum coniungitur), tamen eis quae sequuntur melius opponitur.

1) Verbis ἀθρόωc προcπῖπτον eae res excluduntur, quae cum de improviso ac subito acciderint, paulatim tamen crescunt. Galenus π. αἰτ. cυμπτ. VII p. 117 K. . . . ἐπειδὰν ἀθρόωc cυμπίπτῃ· καλῶ δὲ ἀθρόωc τὸ κατὰ τὰ μεγάλα ἅμα καὶ ταχέωc.

2) Hirzelium cum p. 428 adn. 2 ad illud φηcί nos remittat, quod p. 401, 4 in Muelleri editione legitur, fugit id coniecturae deberi.

τῆς δόξης διαμενούσης, αὐτὸς ὁ Χρύσιππος ὁμολογεῖ· διὰ τίνα μέντοι τὴν αἰτίαν τοῦτο γίνεται, δυσλόγιστον εἶναί φησιν.[1]) Non potest igitur Posidonius ipse rationem, cur recenti opinione mali in affectum iniciamur, ita reddere, ut re incognita iudicia mutari dicat.

Quamobrem Bakius primus verbum φησί de Chrysippo praedicari et hoc enuntiato rationem ab eo ipso ad priora explicanda prolatam referri statuit; Hirzelius vero cum id fieri non posse cognovisset, διότι idem valere ratus atque ὅτι novam Chrysippi sententiam adiungi censuit. Sed primum quidem ad φησί Chrysippi nomen nullo modo audiri potest, deinde illud si accipimus, res eo deducitur, ut longa Chrysippi oratio adferatur neque sciamus, quid quaestione illa primo proposita factum sit. Mihi, ut sententia quae hoc enuntiato continetur Chrysippo vindicanda est, sic forma verborum, si cum ea comparantur interrogationes p. 391, 13 sqq. et 392, 11 sq. propositae, flagitare videtur, ut haec quoque a Posidonio aut a Galeno secundum Posidonium pronuntiari statuamus. Itaque una litterula mutata pro διότι scribo διὰ τί[2]), ut hic conexus sententiarum evadat: Posidonius postquam quae causa esset, cur recens sola mali opinio aegritudinem efficeret, interrogavit, altera interrogatione id ipsum quod a Chrysippo responderi possit, reicit.[3]) Quod ita facit, ut non modo Chrysippi doctrinam qua affectus iudicia esse dicantur, in universum accipiat, sed etiam quae praeterea huc spectantia ab illo prolata sint commemoret, denique cuiusdam rei quae Chrysippi sententiae maxime favere videatur rationem habeat. 'Cur unaquaeque res, quae non percogitata et aliena est (hoc argumento Chrysippus uti potuit, ut vim recentis mali explicaret), cum quanta est uno temporis puncto accidit (tum rem maxime alienam videri adparet) ex iudicio deturbat, sed eadem[4]) ubi usu et tempore nobis insinuata est, eandem vim non habet?' Scilicet licet quam plurima Chrysippo demus, semper ea restat quaestio, cur temporis et consuetudinis tanta sit vis, ut ea homines ad sanum iudicium reducantur.

'Atque haec quidem quaestio a Chrysippo non solvitur nec potest solvi; affectus vero temporis vi debilitari, etiamsi iudicia non mutentur, ipse concedit' — videmusne quam bene sententiae p. 394. 395 expressae adnectantur?

Qualis autem sententia ea parte disputationis contineri debeat, quae interiecta est, e verbis ὅτι δὲ ἐν τῷ χρόνῳ μαλάττεται τὰ πάθη, κἂν αἱ δόξαι μένωσι τοῦ κακόν τι αὐτοῖς γεγονέναι, καὶ

---

1) Eandem sententiam repetit 397, 11; 398, 10; 403, 1. 2.

2) In eandem coniecturam aliquando etiam J. de Arnim pervenisse a Wilamowitzio audio.

3) Similiter duae interrogationes a Posidonio coniunguntur p. 441, 11. 13.

4) Non sibi opponuntur τὸ ἀμελέτητον — τὸ συνεθισθέν, sed de eadem re duo verba praedicantur. Pars posterior fere e p. 391, 15 repetitur, quod in ea tota res posita est.

ὁ Χρύσιππος . . . μαρτυρεῖ (394, 9) vel solis adparet. Antea enim demonstratum esse debet Chrysippum quoque in ea sententia fuisse, ut χρόνῳ μαλάττεσθαι τά πάθη statueret. Ergo non modo versum ex Alcestide sumptum, qui eadem verba continet, sed etiam proxima exempla e Chrysippi libris hausta esse concludendum est. Atque Herculis quidem verbis temporis vis ita illustratur, ut idem malum inveteratum minorem vim habere dicatur; qui praecedunt versus, ab eo pronuntiati sunt, qui longa malorum serie defetigatus calamitate ita adsueverit, ut nova mala facile ferre possit. Cum igitur his exemplis temporis et consuetudinis vis demonstretur, prima ad consuetudinem antequam mala accidant faciendam h. e. ad praemeditationem spectant.[1]) Itaque etiamsi aliunde (cf. Cic. Tusc. III 22, 52) nesciremus praemeditationem a Chrysippo laudatam esse, ex hac ipsa disputatione disceremus ea quae hic de illius vi dissererentur Galenum a Posidonio mutuasse, ipsum autem Posidonium e Chrysippi libris adtulisse. Verba ipsa autem minime refragantur vel potius idem ut statuamus postulant. Nam si verba διὰ τί πᾶν τὸ ἀμελέτητον Posidonii interrogationem esse statuimus, primum quidem ille dum verbo ἀμελέτητον utitur, de praemeditatione cogitare videtur, deinde nihil obstat, quominus omnia quae usque ad χρῆσθαι leguntur, pro eius verbis accipiamus. Tum vero verbum φησί non nisi de Chrysippo praedicari posse manifestum est: 'quamobrem (sc. propter consuetudinis vim; δι' ὅ si distinguimus, res apertior est) etiam rebus antequam accidant se insinuare et si nondum adsint, tamquam adsint, eis se uti dicit.'[2]) Quodsi Galenus pergit: βούλεται δὲ τὸ προενδημεῖν ῥῆμα τῷ Ποσειδωνίῳ τὸ οἷον προαναπλάττειν eqs., quomodo haec interpretanda sint, nunc adparet. Posidonius enim ut antea quid sibi vellet verbum πρόσφατος (p. 391, 11) explicavit et solam temporis notionem in eo inesse ostendit, sic nunc quid Chrysippi verbum προενδημεῖν significet illustrat atque ita illustrat, ut consuetudinis vim hoc verbo a Chrysippo agnosci statuat.[3]) Quod quantopere ad totam disputationis huius rationem quadret, cognoscimus. Hoc postquam tamquam in parenthesi additum est, Galenus ita pergit, ut dicat διὸ καὶ παρείληφεν ἐνταῦθα, quae de Chrysippo iterum praedicari nunc facile patimur.

Haec igitur Posidonius disputat: 'Zenonis definitione a Chrysippo

1) Tam diversas res his testimoniis illustrari Galenus ipse nullo modo significat. Coniciendum autem est Posidonium exempla olim (sc. a Chrysippo) diversis locis prolata ad suum argumentum illustrandum in unum locum congessisse. — Priora leguntur apud Cic. Tusc. III 14, 29 cf. 24, 58 et Cons. ad Ap. 112 D, εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ κτλ. vertit Cic. ibid. 28, 67.

2) Non est necessarium post προενδημεῖν inserere δεῖν. Chrysippus dixit: διὸ καὶ προενδημῶ κτλ.

3) Res a Galeno apertius ita pronuntiari potuit, ut diceret κατὰ τὸν Ποσειδώνιον; sed quam facile illa elocutione uti potuerit, cum Posidonium sequeretur, adparet. Ac velim notes, quam facile ipsa oratio, si τῷ Ποσ. omittimus, Posidonio tribui possit. — Cf. etiam Hirzelium l. l. 434.

comprobata qua aegritudo recens mali opinio esse dicitur, Chrysippi ipsius sententia convincitur. Namque cur temporis et consuetudinis tanta sit vis, ut mali opinio non semper, sed recens dum sit affectum moveat, adeo non potest explicare secundum suam de natura affectuum doctrinam, ut ipse concedat affectus tempore intermisso mitigari, quamquam iudicia, in quibus solis causam affectuum vel potius affectus ponit, non mutentur. Itaque eo confugit, ut non opinionem mali sed contractionem animi vel impetum ad contractionem desinere dicat; id ipsum tamen cur fiat, expedire se non posse confitetur.'

P. 396 Galenus ubi ratione cur affectus mitigarentur non reddita ne curationem quidem affectuum tradi posse praemisit, Posidonium laudat, quod ut ipse illas res explicare posset, ad Platonem rediit neque eius de affectibus doctrinam solam sed omnino quae ille de natura ac facultatibus animi protulerat, ita probavit, ut inde profectus, quidquid in philosophia morali quaereretur, diiudicaret. Quae ubi paucis perlustravit, p. 397, 9 ad rem rediens primo affectuum originem a Posidonio in ira et cupiditate poni commemorat, tum quibus ille sedationem affectuum explicaverit refert. Is enim ut fletus risus similiumque rerum sic affectuum satietate quadam homines capi Chrysippi ipsius verbis usus statuit: ὡς γὰρ ἐφίεται τὸ παθητικὸν τῆς ψυχῆς οἰκείων τινῶν ὀρεκτῶν (ὀρεκῶν corr. in ὀρεκτικῶν H), οὕτω καὶ τυγχάνον τῶν αὐτῶν (editores vulgo coniungunt: τυγχανόντων) ἐμπίπλαται κἂν τούτῳ τὴν ἑαυτοῦ (sic Muellerus recte pro ἑαυτῶν) κίνησιν καθίστησιν, ἥτις ἐκράτει τῆς ὁρμῆς τοῦ ζῴου (399, 14 sqq.). Neque enim quidquam magis perspicuum est quam esse in nobis sicut in ceteris animalibus duas facultates, quarum altera voluptatis altera victoriae et principatus natura sit adpetens. Quod cum agnovisset Posidonius Chrysippum vituperavit, quod eo confugisset, ut impetu ad affectum remanente nullam actionem sequi suspicaretur. Nullo enim modo fieri potest, ut actio causa extra impetum posita impediatur. Idem autem, quomodo fieret, ut multi fletum inviti retineri non possent, alii flere etiamtum volentes desinerent — id quod Chrysippus expedire se non posse confessus est — secundum suam doctrinam facile explicavit. Scilicet in illis irrationales motus tam validi sunt, ut voluntate vinci non possint, in his iam plane sunt sedati, ita ut illa[1]) expergefieri nequeant.[2])

Hanc igitur doctrinam si sequimur, non modo quomodo ratio contra affectus pugnare possit, cognoscimus sed tota de animi facul-

1) πρὸς αὐτῆς habet H, licet correctum sit in αὐτῶν 401, 6. 7.
2) p. 401 init. τὴν αἰτίαν ἐρωτᾷ κἀνταῦθα ὁ Ποσειδώνιος, διὰ ἣν καὶ [οἱ] (cf. Kalbfleisch p. 80) πολλοὶ μὴ βουλόμενοι πολλάκις κλαίουσιν ἐπισχεῖν μὴ δυνάμενοι τὰ δάκρυα καὶ ἄλλοι κλαίειν ἔτι βουλόμενοι φθάνουσι παυόμενοι — διὰ τὰς παθητικὰς κινήσεις κτλ. Muellerus ante διὰ addit γίνεσθαι δέ φησι, sed nihil fortasse inserendum est.

tatibus doctrina nobis probatur, quam Pythagoras invenit, Plato perpolivit et ad finem perduxit. Atque eandem doctrinam secuti facile, quamobrem consuetudo et omnino tempus[1]) tantum valeat ad affectus mitigandos, rationem reddimus. Per illam enim irrationalis animi pars omnia in quibus versatur sibi accommodat, huius autem vis in eo posita est, quod irrationales facultates eis quae antea concupiverunt satiantur. Contra logicae cognitiones iudicia denique omnia quae in sciendo posita sunt, propter temporis solius vim neque magis inhaerescunt animo neque desinunt aut mutantur. Nemo enim ea opinione qua bis bina quattuor esse sentiebat propter temporis longitudinem saturatus umquam abstitit.

Hanc disputationem totam e Posidonii libris haustam esse vix est quod dicam. Sed liberius Galenum hic egisse et magis suo ingenio indulsisse vel ea particula declarat (p. 397), qua summatim Posidonii amplam disputationem percurrit. Porro ea argumentatio, quam p. 400, 10 sqq. legimus, statim post verba Chrysippi p. 395 adlata locum habuisse videtur. Denique ea quae p. 402, l. 2 de consuetudinis vi Galenus non tam disputat quam significat, declarant hic quoque illum, cum ad libri finem properaret, summam disputationis Posidonianae brevissime reddidisse.

Quin autem totius disputationis tenorem Galenus servaverit, cum dubium esse non videatur, eodem fere modo Posidonius progressus esse putandus est atque Galenus progreditur. Atque initio quidem Posidonium non id egisse, ut unam definitiunculam a Chrysippo propositam refutaret consentaneum est, sed ut antea ostendit originem affectuum a Chrysippo non explicari, sic nunc a verbo πρόcφατοc profectus illum non magis dicere posse, quomodo affectus mitigentur, disputat. Tum vero iam eo transit, ut quid ipse de affectuum origine et sedatione statuat aperiat et quamobrem recenti opinione mali sola perturbemur explicet.[2]) — Itaque non sine ratione Galenus quia ad certum finem disputationem suam perduxit, librum IV absolvit, significat tamen sese etiam proximo libro id acturum esse, ut Chrysippi de affectibus doctrinam Posidonii argumentis non neglectis impugnet.[3])

De libro V.

Initio Galenus postquam quomodo factum esset, ut de affectibus accuratius diceret, iterum exposuit, Posidonium laudat, quod a Chrysippo et Zenone ita discesserit, ut Platonem sequeretur. Quare huius argumentatione usum se esse in superioris libri fine, priora autem de suo sese disputasse non sine magna gravitate addit, quam eo magis animadvertere iuvabit, si quantum in illis quoque Posidonio

1) p. 402, 1 ὅλωc (codd. ὅλοc) ὁ χρόνοc legerim.
2) Quam ad rem postea redeundum erit.
3) Quamquam uno libro hanc quaestionem absolvere antea in animo habuit (307, 1).

debeat, in memoriam revocaverimus. Tum hoc quoque libro operam se daturum pollicetur, ut Chrysippi doctrinam refutet imprimisque ea persequatur, quae ille secum ipse pugnans scripserit (—407).

Rem ita ingreditur, ut quo animi statu boni et mali utantur quidque de hac re Posidonius et Chrysippus docuerint, examinet. Ut enim bonorum animos affectu carere uterque tradit, sic cum quaeritur quales malorum animi sint, antequam in affectus incidant et cum inciderint, Posidonius a Chrysippo discedit. Cum enim hic malorum animos iis corporibus similes esse statuat, quae facile levesque ob causas in febres incidant, Posidonius comparatione instituta cum id solum agendum esse putet, ut quomodo in affectus malorum animi incidere possint eluceat, ad hanc autem rem explicandam nihil interesse censeat, utrum facile an non facile incidant, ipsorum sanorum corporum potius imagine utitur. Ut enim malorum animi omnes sic sana corpora omnia in morbos incidere possunt. Cum autem sana corpora ea re inter se differant, quod alia proclivitatem habent ad morbum, alia non habent, in promptu est cum his sanorum animorum statum comparare, sed obstat, quod animi extant morbis carentes, corpora non item. Id vero tenendum est, cum iis *sanis* corporibus quae proclivitatem habeant malorum animos comparandos esse, aut si hoc improbetur, cum ipso morbo, non cum morbo a Chrysippo excogitato. Corporis enim morbus status iam aeger est; Chrysippi autem morbus quem vocat, proclivitas potius (sani corporis) in morbos est[1]) (408. 409).

Sed hic Galenus ne parum medicus esse videatur, ne Posidonii quidem sententia adquiescit, sed accuratius quid inter sapientes proficientes mediocres stultos homines, porro quid inter ea tempora, quibus homines in ipso affectu sint reliquamque eorum vitam intersit, eadem similitudine persequitur (—412).

P. 413 pergit: ἀλλὰ νὴ Δία φήϲει τιϲ ἴϲωϲ τῶν Cτωϊκῶν, ὥϲπερ οὖν καὶ λέγουϲιν, οὐ τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν εἶναι τῇ ψυχῇ πρὸϲ τὸ ϲῶμα κατά τε τὰ πάθη καὶ τὰ νοϲήματα καὶ τὴν ὑγίειαν — sc. statuendam esse animi cum corpore similitudinem, sed fieri posse, ut morbo animi non ipse morbus corporis sed proclivitas ad morbum respondeat. Quamobrem Galenus Chrysippum ipsum sententiam suam ita pronuntiasse ostendit, ut animi cum corpore similitudinem ad singulas res quae de utroque praedicarentur pertinere ipsamque nominum aequalitatem ex aequalitate rerum natam esse diceret, ὥϲτε, ὅπωϲ ἄν τιϲ ὁρίζηται καθόλου τὴν ἐν τῷ ϲώματι νόϲον, ἀναγκαῖον εἶναι τούτῳ καὶ τὴν ἐν ψυχῇ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ὁρίζεϲθαι (415, 12 sq.). Sed etiam in reliquis libri moralis de affectibus par-

1) Nisi p. 409, 15 γὰρ ad solum verbum αὐτῇ referimus, quid sibi velit hoc enuntiatum, non video. Galeni enim ipsius interpretatio (ibid. v. 5. 6) non satisfacit. Nam si ipse quoque verbo νόϲοϲ habitum ad morbum aptum significari posse statuit, Posidonius quid in Chrysippo vituperaret non habuit.

tibus animadverti potest, illum ut similitudinem per singulas res servet, operam dare sed efficere non posse. Accurate enim ac plane secundum rerum naturam corporis sanitatem ita definit, ut sit bona mixtio vel aequabilitas quattuor elementorum e quibus illud constet, robur ita ut sit nervorum aequabilitas; pulchritudinem denique aequabilitatem quae in membris cernatur esse dicit similiterque de morbo infirmitate deformitate iudicium fert. Animi vero sanitatem robur reliquaque eundem in modum circumscribenda esse ipse confessus (420, 6. 7) id quod pollicitus est, secundum doctrinam suam exsequi non potest. Cum enim animi quoque sanitas aequabilitas partium quarundam vel elementorum esse debeat, Platonis doctrinam secutis nihil obstat, quominus in aequabilitate et consensu rationis et irrationalium facultatum ea ponatur (417, 14); Chrysippus vero cum animi partes a Platone probatas non agnoscat neque quidquam praeter rationem in animo esse concedat, quarum partium concordia animi sanitas efficiatur, explicare non potest. Licet enim ille de propriis quibusdam partitionibus rationis loquatur (421, 3), primum in eo peccat, quod quamquam rationem intra animum consistere concedit, rationis et animi partes easdem esse dicit (422, 8), sed etiam hoc sumpto nihil proficit, quia ratio partes non habet. Quod enim Chrysippus in libro quo de ratione ipsa agit, eam ita definit, ut sit ἐννοιῶν τέ τινων καὶ προλήψεων ἄθροιϲμα, hae notiones atque anticipationes non partes sed actiones rationis sunt (422). Partes autem eius potius cum omnes illi spiritus nominandi sunt, quibus singulorum sensuum actiones efficiuntur, tum principalis ille in quo ratio consistit. Quamquam autem in hoc secundum Chrysippum ipsum (423, 12 cf. 421, 1) pulchritudo animi ponenda est, ne de huius quidem elementis, si quarundam partium aequabilitatem indagamus, cogitari potest. Sunt enim non diversa ab iis, e quibus corpus constat; nec frigidi et calidi aequabilitate pulchritudinem animi effici Chrysippus ipse contendet (424).

Ille igitur cum e compluribus partibus animum constare neget, neque sanitatem aut pulchritudinem[1]) eius secundum comparationem institutam circumscribere neque quid inter eas intersit ostendere potest (—427), contra Plato in Sophista omnia optime expedivit (—431).

Inde a p. 413 ad rem plane novam Galenum transire ne ob eam quidem rem quisquam negabit, quod p. 419 et p. 425 Galenus priorem disputationem ita respicit, ut Chrysippum aliter in l. I. περὶ παθῶν (quemadmodum ibi exposuit), aliter in Curatorio (quo nunc utitur) sensisse dicat. Per illam enim disputationem id Galeno propositum est, ut quo in statu malorum animi versentur indaget, eiusque quaestionis diiudicandae causa imago qua Chrysippus ad rem illustrandam utitur examinatur; hic animi cum corpore comparatio propter se ipsa eo consilio tractatur, ut melius eam ad Platonis doc-

1) De robore tacet, quia ne a Platone quidem commemoratur.

trinam quam ad ipsam Chrysippeam quadrare demonstretur. Neque ita bene hae disputationes cohaerent. Cum enim p. 413—415 Galenus Chrysippum eo progressum esse ostendat, ut singulis rebus quae de corpore praedicarentur singulas res in animo respondere diceret, hoc optime prooemii loco posteriori disputationi praemittitur; quod autem Galenus p. 413 init. ideo haec se disserere simulat, ut ea quae contra priorem argumentationem proferri possint reiciat, recte haec se haberent, si Galenus ipse antea Chrysippum ob eam maxime rem impugnasset, quod morbum animi non cum *morbo* corporis comparasset.

Ut autem in priore disputatione ad Posidonii librum Galenum se accomodare adparet, sic inde a p. 413 nihil invenimus, e quo concludendum sit hic quoque illius libro eum uti. Immo haud paucis locis Galenum ipsum in eis quae ei domi nascantur liberius vagantem manifesto deprehendimus (velut p. 418. 422, 15 sqq. 426). Denique dum Posidonii locum p. 409 a Galeno adlatum maximeque ultima verba lego, verisimile mihi non videtur, eum postea tam longa disputatione — ampliorem enim eam esse quam pro magnitudine rei nemo non concedet — id egisse, ut morbum animi cum morbo corporis comparandum fuisse ostenderet. Immo ipse Posidonius ibi aut cum morbo aut cum sanitate corporis eum comparari posse statuit atque ita statuit, ut hoc praeferat.

P. 432 a digressu se revocans tamquam alterum prooemium huius libri disputationi praefigit. Qua enim in re ab Hippocratis Platonisque doctrina Aristoteles et Posidonius discesserint (sc. non partes animi substantia et loco diversas sed facultates probant), deinde quid Chrysippus de affectibus doceat, exponit. Tum vero postquam Chrysippum propter repugnantias ab eo admissas vituperavit (qua de re cf. p. 334. 335), p. 434 ad rem quam paulo ante tractavit, ita redit, ut animi cum corpore comparationem Chrysippo ne tum quidem stare ostendat, si notiones et anticipationes pro partibus animi accipiamus. Postulandum est enim, ut harum inaequalitate morbus animi efficiatur; sed e repugnantia duorum iudiciorum (quae 434, 14 notionibus et anticipationibus Galenus substituit) non affectus nascuntur sed errores, quos ab illis Chrysippus ipse seiungit. Denuo igitur cum Chrysippum habeamus secum pugnantem, ne miremur quod ne de curatione quidem affectuum sani quidquam tradidit (—436).

Hanc argumentationem Galeno ipsi tribuendam esse et ob eam rem concludendum est, quod secundum Galeni morem id maxime ea efficitur, ut Chrysippum secum pugnare cognoscamus, et inde adparet, quod ab eis quae p. 413—431 legimus, quae Galeni ipsius esse modo vidimus, revelli non potest. Nam sine dubio sic statuendum est: Galenus p. 432, cum eis quae antea disputaverat adquiescere vellet, ad ipsam rem redire constituit, sed postea ne quod argumentum quod tum tandem ei in mentem venerat neglegeret, disputationem iam absolutam denuo ingredi animum induxit.

Nec vereor ne quis huic sententiae obstare putet, quod p. 436, 9 legimus: μὴ τοίνυν θαυμάζωμεν ἔτι μηδὲ ὅτι τὰς θεραπείας τῶν παθῶν ὀρθῶς μὲν ὁ Πλάτων ἔγραψεν, ὡς καὶ ὁ Ποσειδώνιος αὐτῷ μαρτυρεῖ, μοχθηρῶς δὲ ὁ Χρύσιππος. Nam primum quidem hoc repetitum est e p. 396, 16, deinde omnino quae de curatione hic dicuntur, cum eis quae antecedunt non cohaerent.[1]) Quo autem consilio huius mentionem fecerit Galenus, ea declarant, quae p. 437, 1—3 legimus. Cum enim Galenus ei qui curationem affectuum tradat, non modo quomodo affectus postquam orti sint mitigentur, sed etiam quomodo ne oriantur impediatur[2]) ostendendum esse saepius diserte dicat (cf. 396, 14. 15 et 433, 5. 6, quem locum modo in adnotatione adscripsi), dubitari non potest, quin etiam institutionem puerorum ad curationem illam pertinere statuat. Commemorat igitur illam, quia statim accuratius de ea dicturus est.

Initio vero eius disputationis, quam p. 437 sqq. legimus nondum de educatione ipsa sed de statu animi in quo pueri versentur disputat. Ostendit enim (vel potius ut omnibus notum sibi sumit) primum quidem pueros quamquam ratione careant saepe affectibus perturbari, atque iis vehementioribus quam homines adultos[3]), deinde natura eos et ad voluptatem et (bestiarum quarundam exemplo) ad victoriam principatumque ferri, sicut postquam ad certum aetatis gradum pervenerint, honestum natura adpetant. Chrysippus autem ut rationem solam in animo esse inque ea affectus consistere teneat, pueros non minus quam bestias ut ratione sic affectibus carere statuit et e tribus illis adpetitionibus, quas natura homines habent, eam solam agnoscit, qua propter rationem ad virtutem feruntur. Sed tum unde pravitas hominum nascatur, dici non potest (439, 5). Cum enim secundum hanc doctrinam ex ipsius hominis natura nasci non possit, Chrysippus duas rationes profert, ut quomodo extrinsecus homines corrumpantur explicet. Nam primum quidem consuetudinem reliquorum hominum malamque institutionem per eos factam arguit, sed hoc ad rem explicandam non sufficere cum ipse cognoverit — nam quamvis bene educentur et quamvis bonorum consuetudine utantur, pueros non necessario bonos fieri concedit — ipsam rerum naturam adpellat. Tantam enim esse visorum probabilitatem, ut homines ad falsas opiniones (ob eamque rem ad affectus et pravitatem) deducantur. — At si homines ad nullam rem nisi ad virtutem natura tendunt, cur pueri mala exempla non natura aspernentur,

---

1) licet iam p. 438, 5. 6 praemittantur: μήθ' ὅπως ἰᾶσθαι χρὴ τὰ πάθη γενόμενα μήθ' ὅπως κωλῦσαι γενέσθαι, διδάσκοντα.

2) Sen. de ira II 18, 1: 'Duo autem, ut opinor, sunt (sc. remedia irae): ne incidamus in iram et ne in ira peccemus'; statim igitur c. 19—21 de educatione agit. Hieronymus peripateticus ne affectus *nascantur* solum agendum esse putat (cf. disp. meam 'über Plutarchs Schrift περὶ ἀοργησίας' in Hermae t. XXXI p. 321 sqq.).

3) Cf. etiam p. 485, 11 sqq.

dici non potest; nec magis Chrysippus exponit, qui fiat, ut homines visis decepti voluptatem et principatum pro bonis habeant, quamquam nulla naturali conciliatione ut illis visis adstipulentur, adducantur (p. 440, 1).

Hac igitur argumentatione nihil agitur nisi ut originem falsarum opinionum et pravitatis a Chrysippo explicari non posse ostendatur. Quod si Galenus p. 437, 1—3 de curatione affectuum et puerorum institutione dicturum se nunc esse pollicetur, alienae disputationi suam vestem induere putandus est. Posidonii autem libro eum hic uti et argumentandi ratio declarat, si quidem ubique eum ita agere vidimus, ut Chrysippi rationes non sufficere ad rem explicandam semperque aliquid quaerendum esse ostenderet, et p. 442, 1 sqq. manifesto cognoscimus: καὶ γὰρ καὶ ταῦθ' ὁ Ποσειδώνιος μέμφεται καὶ δεικνύναι πειρᾶται πασῶν τῶν ψευδῶν ὑπολήψεων τὰς αἰτίας ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ (θεωρηματικῷ L) διὰ τῆς παθητικῆς ὁλκῆς, προηγεῖσθαι δὲ αὐτῆς (αὐταῖς L) τὰς ψευδεῖς δόξας ἀσθενήσαντος (-ας H) περὶ τὴν κρίσιν [τὴν H] τοῦ λογιστικοῦ· γεννᾶσθαι γὰρ τῷ ζῴῳ τὴν ὁρμὴν ἐνίοτε μὲν ἐπὶ τῇ τοῦ λογιστικοῦ κρίσει, πολλάκις δὲ ἐπὶ τῇ κινήσει τοῦ παθητικοῦ. Verba adscripsi secundum fidem codicum LH, qui quin ita ut feci adhibendi sint, dubium non est (nisi quod utrum αὐτῆς an αὐταῖς legendum sit, ex ipsa re diiudicandum est). Ut autem de hoc loco, cuius de sensu 'grammatici (vel potius philosophi) certant, et adhuc sub iudice lis est', iudicare possimus, primum quidem memoria teneamus, quae antecedant. Posidonius enim cum antea ostenderit a Chrysippo originem falsarum opinionum explicari non posse, nunc quid de hac re secundum suam doctrinam ipse proferre possit, dicere debet. Cum autem ad hanc quaestionem inde pervenerit quod pravitatis et affectuum originem illustrare studeret, postulandum est, ut quae ratio inter affectus pravitatemque et inter falsas opiniones intercedat, audiamus.[1]) Ipsa autem prima verba optime huc faciunt: δεικνύναι πειρᾶται πασῶν τῶν ψευδῶν ὑπολήψεων τὰς αἰτίας —, rectius tamen ab ultimis verbis, cum nullam habeant difficultatem, proficiscemur: 'Nasci enim homini ut animanti[2]) impetum non nunquam secundum iudicium rationis, saepe tamen secundum motum irrationalis animi facultatis.' Non igitur semper impetus, ut Chrysippus vult, a ratione proficiscitur sed sicut in reliquis animalibus saepe etiam[3]) ab irrationalibus facultatibus. (In memoriam revocemus ea quae de naturalibus earum

1) De toto loco egit Apeltius in libro qui inscribitur 'Beiträge zur Geschichte der griechischen Philosophie' (p. 287 sqq. 'die stoischen Definitionen der Affekte und Posidonius') Leipzig 1890. Quo e libro hic confer p. 304. 308.

2) Non sine certo consilio τῷ ζῴῳ dictum est. Similiter secundum Posidonium eo utitur Galenus p. 400, 1.

3) atque etiam multo saepius hoc fieri inde adparet, quod non ἐνίοτε repetitur, sed πολλάκις substituitur.

adpetitionibus antea disputavit). — Quodsi ad ea verba oculos converterimus, quorum rationem hoc enuntiato reddi particula γὰρ indicat, obiter adspicienti res perfacilis videbitur ad explicandum. Cum enim ut hic orationem bipartitam habemus, sic illic ut duo membra inter se opposita inesse statuamus, particulae μὲν — δέ flagitare videantur, re ipsa impellimur, ut singula membra sibi respondere censeamus. Ut autem hic impetum saepe secundum motum irrationalis partis nasci audimus, sic illic falsae opiniones ἐν τῷ θεωρητικῷ inde existere dicuntur, quod irrationalis pars tamquam in altera lance collocata a vero abstrahat; porro ut hic nonnunquam a iudicio rationis impetus proficisci statuitur, sic illic ratione imbecilla facta falsas opiniones duces existere motui irrationali[1]) comperimus. Sensus igitur hic fere esse videtur: Falsae opiniones per irrationalis motus vim nascuntur, praeeunt autem huic falsae opiniones, ubi ratio imbecilla facta est ad iudicandum. Nam impetus modo secundum iudicium rationis nascitur — ac tum falsae opiniones irrationalis motus duces sunt —, modo secundum irrationalem facultatem — ac tum sequuntur illam falsae opiniones. — Sed haec absurda esse e verbo πασῶν vel solo adparet. Nam si omnium falsarum opinionum origo in irrationali motu ponitur, haec res inde explicari non potest, quod impetus nonnunquam (vel etiam saepe; nam nihil interest) secundum irrationalem motum nasci dicitur. Omnino autem singula membra inter se respondere posse negandum est. Nam sine dubio in ultimo enuntiato verbis ἐνίοτε — πολλάκις impetus in eodem homine eodem vitae spatio nunc secundum rationalem facultatem nunc secundum irrationalem nasci dicitur; contra antea si legimus ἀσθενήσαντος ... τοῦ λογιστικοῦ, duo rationis status distinguuntur, alter quo etiamtum valida est, alter quo imbecilla facta est ad iudicandum. Hos tamen eodem vitae spatio tamquam alternis vicibus homini redire non posse adparet.

Sed mittamus paulisper difficultates in re positas et ab ipsa forma verborum proficiscamur, cum per se vitii aliquid latere indicet. Nam si legimus πασῶν τῶν ψευδῶν ὑπολήψεων τὰς αἰτίας ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ διὰ τῆς παθητικῆς ὁλκῆς et προηγεῖσθαι δὲ αὐτῆς τὰς ψευδεῖς δόξας ἀσθενήσαντος περὶ τὴν κρίσιν τοῦ λογιστικοῦ, his verbis duo membra quae sibi respondeant, contineri non posse adparet. Quamobrem Muellerus cum in fine prioris particulae ad τὰς αἰτίας infinitivum γίνεσθαι supplevisset, adeo viris doctis placuit, ut eorum qui postea de hoc loco dixerunt[2]), quamquam inter se quam maxime dissentiebant, ne commemoraverit quidem quisquam hoc verbum in codicibus non legi. Quod eo magis mirum est, quod

1) αὐτῆς enim legendum et ad παθητικῆς ὁλκῆς referendum est, quia haec in hoc enuntiato non minus commemoranda fuit quam in eo quod ultimum legimus.

2) Cf. imprimis Hirzelium (l. l. III, 417 adn. 2) Kreuttnerum (Andronici qui fertur libelli περὶ παθῶν pars prior p. 34) Apeltium l. l. p. 302 sqq.).

haec elocutio: 'δεικνύναι πειρᾶται τὰς αἰτίας τινὸς διά τινος — demonstrare conatur causas alicuius rei positas in aliqua re (vel: aliquo argumento usus)' nihil habet offensionis, immo melior esse mihi videtur quam 'causae alicuius rei fiunt per aliquam rem', quae dictio non modo admodum torta est sed etiam parum ad logicam quadrat. Cur enim non dixit πασῶν τῶν ψευδῶν ὑπολήψεων αἰτίαν εἶναι τὴν π. ὁλκήν vel πάσας τὰς ψ. ὑπολήψεις γίνεσθαι διὰ τῆς π. ὁλκῆς? Cur enim inter causas falsarum opinionum et harum ipsarum causarum causam distingueret, profecto nihil erat. — Sed ut verbum inveniatur, quo aptius oratio terminetur, num reliquorum verborum forma talis est, ut haec enuntiata sibi opposita esse credibile sit? Quisquis enim legerit δεικνύναι πειρᾶται πασῶν τῶν ψευδῶν ὑπολήψεων τὰς αἰτίας ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ διὰ κτλ., nonne necessario propter collocationem particulae μέν sperabit fore, ut de *origine* falsarum opinionum duae res praedicentur? Qua tamen de re in posteriore enuntiati parte nihil additur.

Ipsa autem sententia magis etiam obstat, quominus has enuntiati partes sibi respondere putemus. Nam sive illam interpretandi viam ingredi conamur, qua antea nos decipi cognovimus, sive alio modo progredimur, semper difficultas inest in verbis ἐν τῷ θεωρητικῷ. Rectissime enim Apeltius hoc verbum ita explicari posse negavit (l. l. p. 306 sq.), ut idem valeret atque λογιστικόν.[1]) Nam inde ab Aristotele semper hoc verbum ita adhibetur, ut eam rationis partem significet, quae in contemplatione versetur; opponitur ergo non irrationalibus animi facultatibus sed ei rationis parti, quae ad actionem spectat. Posidonium autem ab hac consuetudine discessisse eo minus statui potest, quod sane verbo θεωρεῖν suo sensu in definitione finis apud Clementem servata (Strom. II p. 497 P.) usus est. Ibi enim cum legamus: ἐπὶ πᾶσί τε ὁ Ποσειδώνιος (sc. τέλος ἀπεφήνατο) τὸ ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν καὶ συγκατασκευάζοντα αὐτὴν (sic Laur., αὐτὸν coni. Sylb.)[2]) κατὰ τὸ δυνατόν, κατὰ μηδὲν ἀγόμενον ὑπὸ τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς, et vitam cogitationi deditam et actionem comprehendit (cf. Hirzelium II p. 518). Ut tamen concedatur eum ubi ad rem non multum interesset, his verbis promiscue uti potuisse, hoc sane loco quo Chrysippi doctrina de origine falsarum opinionum improbata suam doctrinam primo aperit, tanta cum neglegentia verba elegisse, ut ii qui legerent summis erroribus implicari possent, putandus non est.

At si verba ἐν τῷ θεωρητικῷ vertimus 'in ea rationis parte quae ad cogitationem spectat', his illud enuntiatum quod sequitur omnino opponi non potest, sed sine dubio si oppositionem illam tenere volumus, eam potius rationis partem commemorandam fuisse statuendum est, quae ad actionem pertineret.

1) Quod cum neglexerint ii qui ante Apeltium de hoc loco dixerunt, illius disputationem solam respicere opus est.
2) cf. Hirzelium II p. 244 adn. 1.

Quod cum cognovisset, Apeltius eo confugit, ut illud θεωρητικῷ hic pro genere masculino acciperet et eo hominem cogitationi deditum et sapientem, non illum quidem perfectum sed secundi ordinis quem dicere possemus, significari statueret. Sic igitur hunc locum vertit: 'Posidonius sucht zu zeigen, dafs bei dem begabten und kräftigen Denker die Ursachen aller falschen Meinungen in dem Zuge der niederen Seelenkräfte ihren Ursprung haben und dafs falsche Meinungen nur dann den leidenschaftlichen Regungen vorangehen, wenn die Urteilskraft schwach ist' (p. 308).

Sed ut accipiamus quae ille de notione masculini θεωρητικός disputavit, primum quidem ipse quoque recipit γίνεσθαι, de quo antea diximus, deinde difficultas in collocatione verborum maximeque particulae μέν posita, si eum sequimur, etiam augetur. Cum enim ille haec verba ita explicet, ut apud sapientem omnes falsae opiniones ex inclinatione irrationali nascantur, in reliquis autem hominibus multae etiam ex ipsa ratione propterea quod imbecilla sit proficiscantur, si modo hoc illis verbis exprimi potuit, ea sic collocanda fuisse dicamus necesse est: δεικνύναι πειρᾶται ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ πασῶν τῶν ψευδῶν ὑπολήψεων τὰς αἰτίας . . . γίνεσθαι, προηγεῖσθαι δὲ αὐτῆς κτλ. Atque sic eo magis rem eloqui debuit, si reliquorum hominum falsas opiniones magna ex parte ex ipsa rationis imbecillitate nasci diserte non dixit. Nunc autem neque hoc neque illud 'nur dann' quod Apeltius in versione addit, subaudiri potest.

Quod vero ille addit: 'erst so kommt der Gegensatz zwischen ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ und ἀσθενήσαντος τοῦ λογιστικοῦ, der durch jenes μέν klar angedeutet wird, zu seiner Geltung, während nach der landläufigen Annahme, wonach τὸ θεωρητικόν nichts anderes wäre als τὸ λογιστικόν, nicht nur das μέν an dieser Stelle, sondern die Worte ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ selbst streng genommen ganz überflüssig sind', haec ultima rectissime protulit, priora non probo. Nam verbis ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ, si eius sententiam sequimur, opponatur necesse est ἐν δὲ τοῖς φαύλοις ἅτε ἀσθενοῦσι τὴν κρίσιν vel ἀσθενοῦντος τοῦ λογιστικοῦ. Aoristi vero forma ἀσθενήσαντος, quae non cum Apeltio vertenda est 'wenn die Urteilskraft schwach ist' sed 'wenn die Urteilskraft schwach geworden ist', non sapientis hominis statui recte opponitur sed mediocris hominis ei statui, in quo ratio inclinatione irrationali nondum corrupta est.[1])

Denique doctrinam ipsam, quam Apeltius sibi hic deprehendere videtur, ne Posidonio tribuamus, ea res obstare mihi videtur, quam ille ipse quoque animadvertit (p. 303). Non enim Posidonius, quem

1) Apeltius ipse hoc sentit; nam nonnunquam (velut p. 311), ut melius verba sibi respondeant, sapientis hominis loco sanum animi statum substituit (cf. 311 extr. 'ist der Verstand in seiner vollen Stärke und Gesundheit' et quae antea de ἀσθενήσαντος dicit). Sed tum discedit a nomine ὁ θεωρητικός.

totiens admiramur, quod sectae doctrina minime occaecatus in quaestionibus ad animi naturam pertinentibus multa recte perspexit, is fuisse videtur, qui si quis in quaestionibus physicis parum recte iudicaret vel etiam non suam sed Chrysippi de natura affectuum doctrinam probaret, eum vi irrationalis partis a vero abductum errare putaret.

Accedit quod in ipsis disputationibus contra Chrysippi de affectibus doctrinam compositis alii sane eo argumento usi sunt, ut quantum interesset inter falsas opiniones quae in quaestionibus physicis logicisque nascerentur et inter eas quae ad actionem pertinerent[1]) ostenderent. Cf. Plutarchi περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς p. 448 A: (In quaestionibus inter philosophos tractatis multi a sententia antea probata sine dolore abducti sunt), ὅτι τῷ θεωρητικῷ καὶ μαθηματικῷ τῆς ψυχῆς πάθος οὐδὲν ἀνθέστηκεν, ἀλλ' ἀτρεμεῖ καὶ οὐ πολυπραγμονεῖ τὸ ἄλογον ἐν τούτοις .... αἱ δὲ πραγματικαὶ βουλαὶ καὶ κρίσεις καὶ δίαιται τῶν πολλῶν ἐμπαθεῖς οὖσαι δυσοδίαν τῷ λόγῳ παρέχουσι καὶ δυσκολίαν, ἐνισχομένῳ καὶ ταραττομένῳ περὶ τὸ ἄλογον (cf. ibid. C ἐν μέντοι ταῖς ἀπαθέσι βουλαῖς καὶ σκέψεσιν, οἵας ἔχει μάλιστα τὸ θεωρητικόν κτλ.).[2]) Haec doctrina, qua inter θεωρητικά et πρακτικὰ σκέμματα distinguitur, quin etiam Posidonio nota et accepta fuerit, eo minus dubito, quod ipso fine eum et vitam cogitationi soli deditam et actionem amplexum esse supra vidimus.[3])

Quod si verum est, in Galeni verbis aut sapientem illum quaestiones logicas instituentem in errores incidere omnino non posse statuendum est aut ab Apeltio, cum in illo *omnes* falsas opiniones per irrationalem inclinationem nasci statuat, discedendum est. Qua in re cum θεωρητικόν illum non perfectam sapientis speciem esse Apeltius ipse dicat, utrum praeferendum sit, dubium esse non potest.

Quid igitur Galeni loco faciendum est? Videmus nullo pacto verbis ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ sive pro masculino genere sive pro neutro ea habeamus recte id enuntiatum, quod a verbo προηγεῖσθαι incipiat, opponi posse, sed secundum ipsa verba postulandum esse, ut de origine falsarum opinionum duae res praedicentur. Quod cum orationem mutilatam esse omnes consentiant, a Plutarchi loco profecti non unum vocabulum sed paulo plura maximeque illud πρακτικός, quod unum verbo θεωρητικός recte opponitur, librariorum culpa excidisse atque a Galeno haec fere scripta esse statuemus: καὶ γὰρ καὶ ταῦθ' ὁ Ποσειδώνιος μέμφεται καὶ δεικνύναι πειρᾶται

1) Quae ipsae nondum necessario affectus sunt. Itaque haec quaestio ab ea seiungenda est, qua errores ab affectibus distinguuntur.

2) Cf. praeterea ibid. 443 E — 444 B.

3) Repugnare huic sententiae mihi non videtur, quod rerum naturae cognitionem solam rationis esse virtutem p. 446, 5 statuit. Huic enim eam virtutem, qua quaestiones ad actionem pertinentes diiudicarentur subiungere potuit. Ac videbimus postea illa et σοφίαν et φρόνησιν ab eo comprehendi.

πασῶν τῶν ψευδῶν ὑπολήψεων τὰς αἰτίας, ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ ⟨σκέμματι διὰ τῆς τῶν ὄντων οὐχ ἱκανῆς ἐμπειρίας, ἐν δὲ τῷ πρακτικῷ⟩[1]) διὰ τῆς παθητικῆς ὁλκῆς· προηγεῖσθαι δὲ αὐτῆς τὰς ψευδεῖς δόξας ἀσθενήσαντος περὶ τὴν κρίσιν τοῦ λογιστικοῦ· γεννᾶσθαί γὰρ τῷ ζῴῳ τὴν ὁρμὴν κτλ. — 'Nam haec quoque Posidonius vituperat et ostendere conatur omnium falsarum opinionum causas, in quaestionibus logicis per ignorantiam rerum naturae, in quaestionibus ad actionem pertinentibus vero per inclinationem irrationalem; viam autem huic motui irrationali monstrare falsas opiniones, ubi ratio ad iudicandum imbecilla facta sit. Originem enim impetus si quaerimus, nonnunquam secundum iudicium rationis, saepe tamen secundum motum irrationalis facultatis nascitur.'[2])

Posidonius ergo postquam doctrinam a Chrysippo de origine falsarum opinionum prolatam refutavit, hic ut quid ipse de ea re sentiat ostendat, primum quidem inter eas falsas opiniones quae in quaestionibus ad veri indagationem pertinentibus nascantur et eas quae ad actionem spectent distinguit, deinde illas uno verbo absolvit et quae ratio inter has et inter affectus intercedat exponit.[3]) Scilicet, ut exemplo utar, is apud quem inter animi facultates ὁ θυμός praevalet, dum quid faciendum sit deliberat, illius vi facile adducitur, ut a vero discedat et cum omnia iuste et aeque facienda esse antea statuerit, nunc iudicio ipso mutato id ad quod motu irrationali propellatur pro iusto habeat. Quod ubi saepius factum est, rationis ipsius vis iudicandi ita obtunditur atque imminuitur, ut quid aequum et iniquum sit dignoscere nequeat semperque irascendum esse censeat. Tum igitur falsae opiniones pedisequae motus irrationalis esse desinunt et tamquam duces ei viam monstrant ad id quod concupivit perpetrandum; origo enim impetus ne tum quidem ab eis semper ducenda est, sed quamquam homo nonnunquam inde in iram propellitur, quod statuit ulciscendum esse, saepius tamen sicut reliqua animalia ipsa irrationali irae facultate effervescente incitatur.

Quia autem id maxime interest inter Chrysippi et Posidonii

---

1) Ignorantia rerum inde nascitur, quod homines aut non satis instructi aut mala indole praediti sunt. Verba tamen me non curare par est. Sed quidquid supplemus, cum semper terminari debeat verbis ἐν δὲ τῷ πρακτικῷ, quam facile haec enuntiati particula excidere potuerit, adparet.

2) Illud fieri omnino non posse, ut singula ultimi enuntiati membra singulis quae praecederent enuntiatis responderent, supra iam vidimus (cf. quae diximus de ἀσθενήσαντος et ἐνίοτε — πολλάκις p. 561). Ut autem προηγεῖσθαι et γεννᾶσθαι sibi opponi et in hoc vim ultimi enuntiati positam esse putemus, collocatione verborum commendatur. Tum autem προηγεῖσθαι non idem valet atque 'tamquam causam praeire' sed 'viam monstrare et ducem existere'.

3) 'Dürfte man, wie es der Zusammenhang empfiehlt, unter den falschen Meinungen nur die auf das sittliche Handeln bezüglichen Urteile verstehen, so würde das Ganze in noch helleres Licht treten' (Apelt. p. 308).

doctrinam, quod hic motui irrationali tantum tribuit, ille eum extare negat, cυνάπτει εἰκότως τοῖς λόγοις τούτοις ὁ Ποςειδώνιος τὰ κατὰ τὴν φυςιογνωμονίαν φαινόμενα. Ut enim irrationales facultates in animo esse ostendat, eo argumento utitur, quod ut reliqua animalia sic homines lato pectore et calido sanguine praediti ad iram proni sunt, contra ii qui latis coxis et frigidiore sanguine utuntur, ignaviores sunt[1]) et quod omnino corporis condicio maximeque sanguinis natura, quae etiam in diversis regionibus diversa est, permultum valet ad animi indolem conformandam. Quae explicari non possunt, si nihil nisi ratio in animo est.

De his autem rebus postquam postea accuratius dicturum se esse significavit, Galenus eo transit (p. 443, 14), ut propter diversitatem ingeniorum a diversitate corporum profectam etiam rationem curandorum affectuum diversam et in altero faciliorem in altero difficiliorem esse ostendat. Necesse est autem inde a matris alvo operam demus, ut postea ratio satis virium habeat ad imperium in facultates irrationales exercendum. Quibus de rebus Plato tam accurate disputavit, ut Posidonius in l. I. περὶ παθῶν eius praecepta summatim referre satis habuerit. Quarto decimo autem anno ratio iam tantopere corroborata est, ut reliquis facultatibus imperare modumque dare possit. Qua in re maxime nititur cognitione rerum naturae, quae eius virtus est. Irrationalium autem facultatum virtutes non scientia sed consuetudine efficiuntur. "Επεται δὲ εὐθὺς τοῖςδε καὶ ὁ περὶ τῶν ἀρετῶν λόγος αὐτὸς ἔχων[2]) τὸ cφάλμα διττόν — 'haec ubi cognita sunt, statim de ipsis virtutibus dicendum est, qua in disputatione duo errores admitti solent, sive quis omnes pro scientiis habet sive facultates omnes esse putat'. Chrysippus autem maxime peccat, quod unam animi facultatem quamquam statuit, multas eius perfectiones et virtutes agnoscit. Magis enim Aristo sibi constat, cum ab eadem doctrina profectus virtutem hominis unam esse statuit, quam scientiam boni et mali esse dicit (p. 447),

Haec omnia cum Posidonii sine dubio sint, cognoscimus, qui factum sit, ut Galenus totius disputationis initio (p. 437, 1—3) de institutione puerorum dicturum se esse polliceretur. Cum enim totam Posidonii disputationem perlegisset, eam partem, quae maxime idonea videbatur ad transitum faciendum (vel maxime ei cordi erat) solam initio commemoravit.

Quodsi meminimus eas libri Posidoniani particulas quae in l. IV. Galeni dispersae deprehendi possunt, ita inter se cognatas esse, ut ad unam continuam disputationem pertinere videantur, quaerendum est, num forte haec quoque argumentatio, qua Posidonius quae sit origo pravitatis quaeque ratio inter falsas opiniones et affectus intercedat exponit et ad curationem affectuum transit, cum prioribus illis

---

1) et ad voluptatem tendunt cf. φιλήδονον p. 442, 18.
2) p. 446, 13. 4 αὐτός quod Cornarius coniecit, habet H. Cf. Kalbfl. p. 38. 4.

cohaereat. Atque illud quidem statim concedendum est cum ea disputatione, quam praeterea in hoc libro Posidonio solam vindicavimus, qua ille de malorum statu animi et de comparatione a Chrysippo instituta agit (Gal. p. 408. 409, cf. supra p. 556), hanc nullo, quod quidem extet, vinculo conexam esse. Ea autem quae proxime antecedit (exeunte l. IV.) non modo argumentum simile habet — ibi enim Posidonius Chrysippi de origine affectuum doctrina refutata eo transit, ut quid ipse de ea re sentiat aperiat facultatesque irrationales in animo esse ostendat — sed etiam quae singillatim disputat, mirum quantum consentiunt. Mitto dicere ea quae a Galeno p. 433, 5. 6 inserantur, ut transitum ad Posidonii disputationem comparet μήθ' ὅπως ἰᾶcθαι χρὴ τὰ πάθη γενόμενα μήθ' ὅπως κωλῦcαι γενέcθαι, διδάcκοντα ad verbum repeti e p. 396, 13. 4 ᾧ προcέχοντες τὸν νοῦν κωλύcομέν τε τῶν παθῶν ἕκαcτον γίνεcθαι καὶ γενόμενον ἰαcόμεθα. Sed si ibi paulo post legimus (p. 396, 16 sqq.): ὡc καὶ ὁ Ποcειδώνιοc ἐπιcημαίνεται θαυμάζων τὸν ἄνδρα (sc. Πλάτωνα) ... καὶ πρεcβεύων αὐτοῦ τά τε περὶ τῶν παθῶν δόγματα καὶ τὰ περὶ τῶν τῆc ψυχῆc δυνάμεων ὅcα τε περὶ τοῦ μὴ γίνεcθαι τὴν ἀρχὴν ἢ γενόμενα παύεcθαι τάχιcτα τῆc ψυχῆc τὰ πάθη γέγραπται πρὸc αὐτοῦ. cυνῆφθαι δὲ καὶ τὴν περὶ τῶν ἀρετῶν διδαcκαλίαν τούτοιc φηcὶ καὶ τὴν περὶ τοῦ τέλουc[1]) κτλ., nonne Galenus quasi epitomam eius disputationis dare videtur, quam modo examinavimus? (cf. imprimis p. 446, 13 sqq. et 445, 4 sqq.). Porro si p. 400, 5 sqq. invenimus: οὐδὲν γὰρ οὕτωc ἐναργέc ἐcτιν, ὡc τὸ δυνάμειc τινὰc ἐν ταῖc ἡμετέραιc εἶναι ψυχαῖc ἐφιεμέναc φύcει τὴν μὲν ἡδονῆc, τὴν δὲ κράτουc καὶ νίκηc, ἃc ἐναργῶc ὁρᾶcθαί φηcι κἀν τοῖc ἄλλοιc ζῴοιc ὁ Ποcειδώνιοc, nonne tantum non oculis cernere videmur Galenum eiusdem argumentationis summam reddentem, quam p. 437. 8 accuratius persequitur? cf. imprimis p. 437, 13 sqq. ὁρῶμεν δὲ αὐτὰ (sc. τὰ παιδία) καὶ θυμούμενα καὶ λακτίζοντα καὶ δάκνοντα καὶ νικᾶν ἐθέλοντα καὶ κρατεῖν τοῖc τοιούτοιc[2]), ὥcπερ ἔνια τῶν ζῴων, οὐδενὸc ἄθλου προβαλλομένου παρὰ τὸ νικᾶν αὐτό. φαίνεται δὲ ἐναργῶc τὸ τοιοῦτον ἐπὶ ὀρτύγων καὶ ἀλεκτρυόνων καὶ περδίκων κτλ.

Quae cum ita sint, non dubito quin Galenus iam tum, cum pp. 391—403 scribebat, ea ante oculos habuerit, quae apud Posidonium statim sequerentur, haec autem ipsa postquam nonnulla quae ad medicorum artem spectarent, intermisit, inde a p. 437 accuratius tractare coeperit.[3]) Ea vero quae p. 408. 9 a Posidonio mutuavit, utrum ex eadem eius libri regione sumpta sint necne, dubium est.

Confirmatur sententia modo prolata eis, quae statim legimus. Plane enim secundum eam epitomam, quam p. 397 dedit (cf. locum

1) de fine mox videbimus.

2) hoc pro τῶν τοιούτων, quod codices male praebent, scribi iubet Wilamowitzius (sc. τῷ λακτίζειν κτλ.).

3) Quam bene haec argumentatio illam excipiat, postea videbimus.

modo adlatum: συνῆφθαι δὲ καὶ τὴν περὶ τῶν ἀρετῶν διδασκαλίαν τούτοις φησὶ καὶ τὴν περὶ τοῦ τέλους κτλ.), Galenus postquam quaestionem de virtutibus absolvit[1]), p. 448 eo transit, ut de fine disserat. Nonnullas enim Posidonii orationes adfert, quibus ille ne finem quidem recte circumscribi posse ostenderit, nisi rectam de natura affectuum sententiam haberemus. Convenienter enim vivere naturae nihil est nisi genio nobis insito h. e. rationi obtemperare eiusque imperium in deteriores animi facultates tueri. Ii autem qui diversas animi facultates non agnoscebant, dum illam definitionem explicare student, non potuerunt non nugari. Quae Posidonius sic terminavit: ταύτην τε δὴ τὴν ἀτοπίαν διέλυσεν ἡ αἰτία τῶν παθῶν ὁραθεῖσα καὶ τὰς ἀρχὰς ἔδειξε τῆς ἐν τοῖς ὀρεκτοῖς (ὁρατοῖς LH) καὶ φευκτοῖς διαστροφῆς καὶ τοὺς τρόπους τῆς ἀσκήσεως διεῖλε καὶ τὰ διαπορούμενα περὶ τῆς ἐκ πάθους ὁρμῆς ἐξέφηνεν.[2]) Cuius enuntiati singulas partes Galenus dehinc paucis illustrat, accuratius autem de ultimis verbis dicit, ut quomodo Posidonius difficultates e quibus Chrysippus se extricare non potuisset, persolverit ostendat; qua in re superioris quoque libri finem respicit p. 454, 10. Tum vero Chrysippum non modo difficultatibus ob eam rem implicari quod animi facultates irrationales neget, Posidonii iterum testimonio usus demonstrat, sed etiam a genuina Stoicorum doctrina qualis a Zenone et Cleanthe prolata sit discedere probat. Atque Cleanthis quidem versus, quibus in suam rem Posidonius usus est, Galenus adscribit (p. 456), Zenonis vero sententiam cum ad propositum suum minus faciat examinaturum se non esse p. 458, 3 addit. Non enim se id sibi proposuisse, ut quid Zeno aliique Stoici vel etiam Pythagoras, quem ipsum quoque Posidonius sibi favere putaret, docuissent enarraret, sed ut ea quae Hippocrates et Plato protulissent examinaret.

Ante tamen quam haec perorat, Cleanthis versibus iam adscriptis et Zenone (p. 456, 3) iam commemorato p. 457 disputatiunculam intermittit, qua contra Chrysippum affectus a bestiis removentem, quid Posidonius de ea re docuerit refert. Is enim gradus quosdam animarum cognoscere sibi visus infimi ordinis animalia cupiditate sola gubernari, reliqua etiam irascibili facultate uti, homines vero solos ratione praeditos esse censet. — Haec cum omnino cum reliquis huius disputationis partibus non cohaereant, dubium non est quin a Galeno, ne quam rem quae sententiae suae faveret praetermitteret, ex alia libri Posidoniani parte adsumpta sint.[3]) Cum autem Posidonius initio eius disputationis, qua facultates irrationales in animo extare ostendit (cf. p. 437. 8 et 400) reliqua quoque animalia commemoret, procul a vero non aberrabimus, si Galenum ibi ex illius libro ea

1) De quibus postea quoque dicturum se esse pollicetur (cf. libri VII. initium).

2) p. 451, 7 sqq. Quae a Muellero sine necessitate mutantur, cf. adn. ad p. 540.

3) Alio loco similiter eum agere supra vidimus p. 558.

sola quae summi momenti essent, excerpsisse nonnulla tamen cum ad rem facere viderentur hic saltem adscribere voluisse diximus.[1])

Totam autem disputationem si complectimur, p. 448—451 Posidonius de fine agit, deinde (p. 453, 13 sqq.) eo transit, ut affectuum natura iam patefacta ea quae Chrysippus explicari a se non posse confessus sit vel certe non explicaverit, ipse explicet. Itaque quemadmodum ea disputatione quam Galenus p. 370—376 sequitur, magnitudinem opinati boni vel mali ad redundantiam impetus explicandam non sufficere ostendit orationemque ita terminavit, ut diceret τούτου γὰρ τὴν αἰτίαν οὐ πιθανόν ἐστιν ἐν τῇ ὑπολήψει κεῖσθαι τοῦ μέγα ἀγαθὸν ὑπάρχειν, ἐφ' ὃ ὠθοῦνται· ζητητέον δέ, nunc singulas res antea commemoratas perlustrat.[2])

Quodsi Galenus p. 455 rationem a Posidonio hoc loco reddi cur affectus inveterati mitigentur, diserte commemorat, dubitare non possumus, quin ea quae p. 399, 14 sqq. profert et p. 455, 6 sqq. paucis repetit, hinc eo transtulerit, ibi autem in Posidonii disputatione nihil invenerit nisi ea quibus Chrysippum de causa sedationis affectuum dubitare demonstraretur. Liberius autem Galenum illic egisse iam dum conexum sententiarum examinamus, coniecimus.[3])

P. 460 Galenus Chrysippi refellendi nunc finem se facturum esse tam certis verbis profitetur, ut dubitare non possimus, quin longe aliam disputandi viam nunc ingredi in animo habeat. Pergit autem: μεταβήσομαι δὲ ἤδη πρὸς τὴν ὑπὸ Πλάτωνος εἰρημένην ἐπίδειξιν ἐν τῷ τετάρτῳ τῆς Πολιτείας ὑπὲρ τοῦ τρία τῆς ψυχῆς εἶναι μόρια τὰ καθ' ὁρμὴν ἡμᾶς κινοῦντα. Statim autem hoc ita restringit, ut e Platonis disputatione nos discere dicat diversarum facultatum esse cogitare irasci concupiscere, diversis autem partibus animi loco atque adeo substantia inter se differentibus[4]) ea tribuenda esse illum neque evincere neque evincere velle (p. 461, 13 sqq.). Illud igitur Posidonius ita probavit, ut a Chrysippo discederet, magisque cum Platone et Aristotele consentit (p. 463, 1—6). Tum vero Galenus eo transit, ut orationes ipsas e Platonis Re publica adferat, quibus ille tres esse in animo sive facultates sive partes demonstraverit, Platonisque sententiam accuratius circumscribat et illustret. Ac primum quidem cupiditatem in animo inesse ostendit deque suo addit pueros bestiasque inconsulto ad explendas cupiditates ferri neque

---

1) Posidonii disputatio longior fuit (cf. p. 457, 4). — P. 437, 15 sqq. de ira sola agitur, sed cupiditas quoque Posidonio commemoranda fuit.

2) Cum Galenus ut exemplo illustret, quomodo Posidonius quaestiones *a Chrysippo non explicatas* (cf. p. 454, 9) persolverit, proficientes commemoret, illorum iam a Chrysippo mentionem factam esse adparet. Id quod facile ita facere potuit, ut eis opinionem officiosi affectus deesse statueret (cf. supra p. 548, Hirzelium III, 436. 7).

3) Tum autem eo melius Posidonianae disputationes se excipiunt.

4) p. 462, 10—12 recte praebet H: ὅτι μὲν τρεῖς εἰσι διοικοῦσαι τὸν βίον ἡμῶν δυνάμεις, ἐναργῶς ἀποδείκνυται, μὴ μέντοι τὸ ὅτι διαφέρουσαι ταῖς οὐσίαις. (Ml. τί, sed qua in re differant, non quaeritur.)

curare, utrum sibi utile sit eas explere necne. In adultis vero hominibus saepe pugnam cerni duarum facultatum, quarum altera cupiditates expleri iubeat, altera vetet. Qua pugna sublata quid inter ἐγκράτειαν et cωφροcύνην intersit, dici non posse; id quod ad disputationem de virtutibus postea instituendam memoria tenere vult p. 468, 2.

P. 468, 10 a proposito digreditur, ut Stoicos reprehendat, quod singulorum verborum significatione nimis accurate examinata ne quid evinci possit impediant.[1]) P. 470, 12 ad rectam viam reversus hanc

1) Digressionem Galenus sine dubio facit, ut de verbis ὄρεξις et ἐπιθυμία dicere possit (p. 469). Commemorat enim secundum Stoicos de sitiente neque adpetitionem praedicandam esse neque cupiditatem; illam enim solius sapientis esse (ἀcτεῖον pro αἴτιον recte scripserunt Hirzelius II, 385 adn. 1 et Petersenus), hanc solius insipientis. Quodsi de hac dicit εἶναι γὰρ ὄρεξιν ἀθρόωc ῥεπτικὴν πρὸc τὸ τυγχάνειν — 'esse enim eam adpetitionem quae tota quanta sit ad adipiscendum efferatur', non illud ἀθρόωc offensioni mihi est, quod Hirzelius II, p. 389 adn. mutat; nam hoc verbo cupiditas adpetitioni sanae opponitur, quae non effusa effertur, sed rationi oboedit tantaque est *quanta ab illa esse sinitur* (cf. supra p. 551 adn. 1). Sed pro verbo ὄρεξιc, quod secundum Chrysippeos de *sana* adpetitione sola usurpari posse modo (v. 4) audivimus, nonne necessario exspectamus ὁρμήν? Quod quominus restituamus, ne ea quidem verba obstant, quae sequuntur. Quibus cum Galenus huius definitionis compendium fortasse aliquem ita facere commemoret, ut cupiditatem adpetitionem irrationalem nominet, facile credimus hominem servandorum verborum non curiosum pro ὁρμὴ ῥεπτικὴ πρὸc τὸ τυγχάνειν substituere potuisse verbum ὄρεξιν (cf. de hac re Hirzelium p. 388, 9 adn.) et eodem modo e verbo ἀθρόωc illud ἄλογοc adsumpsisse, praesertim cum iam ab Aristotele cupiditas ὄρεξιc ἄλογοc esset dicta. Chrysippus vero ipse — ac de hoc solo hic agi huiusque definitionem v. 10 contineri e vv. 12—14 adparet — cum ὄρεξιν sapientis esse indicaret, neque in definitione cupiditatis ipsa illo verbo uti potuit neque compendio illo adquievit. Nam Galenus ipse vv. 12—14 testatur eum qui hoc compendio utatur a Chrysippo vituperari. (Frustra igitur Dyroffius ὄρεξιν ἄλογον ob eam rem a Chrysippo dici potuisse contendit, quod in verbis ὁρμὴ λογικὴ nihil inesset nisi impetus animalis rationalis l. l. p. 21.) — Sed res sic praecidi non potest. Hoc enim ipsum definitionis compendium, quod Galenus hic genuinae Chrysippi definitioni substitui posse, sed a Chrysippo ipso non admitti statuit, p. 337 pro definitione vere Chrysippea habet: κατὰ μέντοι τὸν τῆc ἐπιθυμίαc ὅρον, ἣν ὄρεξιν ἄλογον εἶναί φηcιν, ἐφάπτεται μέν πωc, ὅcον ἐπὶ τῇ λέξει, τῆc ἀλόγου κατὰ τὴν ψυχὴν δυνάμεωc, ἀποχωρεῖ δὲ κἀνταῦθα κατὰ τὴν ἐξήγηcιν αὐτῆc, εἴγε καὶ ἡ ὄρεξιc, ἣν κατὰ τὸν ὁριcμὸν παρέλαβε, τῆc λογικῆc ἐcτι δυνάμεωc. ὁρίζεται γοῦν αὐτὴν ὁρμὴν λογικὴν ἐπί τι, ὅcον χρή, ἡδὸν ac p. 351 ex his ipsis definitionibus efficit, ut secundum Chrysippum cupiditas sit ὁρμὴ λογικὴ ἐπί τι, ὅcον χρή, ἡδὸν αὐτῷ ἄλογοc.

Cum his locis si eum comparamus, a quo profecti sumus, sic iudicandum est: Galenus dum l. IV. scribit, ὄρεξιν ἄλογον definitionem cupiditatis vere Chrysippeam esse putavit et primo quidem illam eo consilio commemoravit, ut cupiditatem quoque ab eo rationalem esse statui ostenderet; paulo post rem propterea retractavit, quod repugnantiam quandam quae inter hanc definitionem aliosque Chrysippi locos intercederet, deprehendere non sine causa sibi visus erat. Postea vero quam l. IV. edidit vel inter amicos promulgavit, a Chrysippeis, quibuscum eum multum liti-

disputationis partem p. 472, 12 ad finem perducit his verbis: διὰ τούτων ἔδειξεν ἕτερον εἶδος εἶναι ψυχῆς τὸ λογιστικὸν τοῦ ἐπιθυμητικοῦ. Tum vero postquam Chrysippi neglegentiam vituperavit (p. 473 cf. 476), eundem in modum Platonis verbis usus partem irascentem a concupiscente diversam esse et rationem ab utraque distare, porro iram quamquam plerumque a rationis parte stet, tamen nonnunquam ita corrumpi ostendit, ut ei adversetur (p. 483). Pueri ergo bestiaeque quamquam ratione carent, et cupiditate et ira utuntur, atque in bestiis quidem hoc sic se habere fortasse negaverit quispiam, pueros vero ut irasci cognoscamus, nostrae infantiae meminisse sufficit (p. 485). Terminat Galenus disputationem ita, ut Platonem laudet quod Homeri versus re iam demonstrata in testimonium advocaverit atque tali quidem re, quae ut evinceretur, non argumentis opus esset sed recordatione earum rerum, quas cotidie pateremur, ὡς καὶ Ποσειδώνιος εἶπεν (p. 487, 10).

Hanc disputationem cum tota in eo versetur ut argumenta a Platone prolata referantur explicenturque, longe ab eis distare quae plerumque antea legerimus nemo non videt. Cum autem proxime accedat ad eam disputationem qua Platonis Sophista adhibetur (p. 428 sqq.), quam Galeni ipsius esse supra vidimus, porro cum p. 460 Galenus ipse significet iam alio modo disputaturum se esse, vix dubium est, quin hic a Posidonii libro discesserit Platonisque ipsius libris usus sit. Attamen cum Posidonius quoque de motibus irrationalibus dixerit (cf. p. 437 sqq. al.), quaerendum est, num forte, quamquam in universum Posidonium non iam sequatur, inveniantur, quae ab eo mutuasse videatur.

Ipsam autem primam particulam, qua Galenus tres facultates

---

gasse passim videmus, monitus in Chrysippi libris hanc definitionem omnino non inveniri, sed ita circumscribi cupiditatem, ut esset ὁρμὴ ἀθρόως ῥεπτικὴ πρὸς τὸ τυγχάνειν, in l. V. opprobria Chrysippo facta recantavit illa quidem, sed haud inepte ita recantavit, ut ipsa recantatione Stoicos quod nimis in verbis elaborarent, rem non curarent, impugnaret. — Chrysippus ipse ergo, ut revertar ad id a quo profecti sumus, sine dubio ὁρμὴν ἀθρόως ῥεπτικὴν κτλ. cupiditatem esse dixit, sed num hoc apud Galenum restituendum sit, dubito, quia facile cogitari potest, illum sive errore lapsum sive consulto, quo levius peccatum suum videretur, verbo ὄρεξιν usum esse. — Quodsi quaerimus, quomodo factum sit, ut Galenus compendiosam illam definitionem pro Chrysippea haberet, primum meminerimus de pp. 336. 7 et 351 ita nos iudicare, ut a Posidonio eas sumptas esse negemus; deinde animadvertendum est illam per omnes Stoicarum definitionum collectiones propagari cf. Kreuttneri adn. ad p. 12, 4 (qui recte p. 32 eam Chrysippo ipsi tribui posse negat). Quarum quamquam nulla Chrysippi nomen in titulo praefert nec Galeni aetate praetulisse videtur, tamen cum secundum Chrysippi doctrinam sine dubio conformatae sint, quam facile fieri potuerit, ut Galenus quae ibi invenisset, pro Chrysippeis haberet, cognoscimus. Ipsa autem disputatio pp. 336. 7 ita comparata est, ut e tali collectione hausta esse videatur. — Quomodo denique factum sit, ut diserte Galenus p. 351, 8 eam e Chrysippi l. I. π. παθῶν sumptam esse diceret, mox videbimus.

animi non partes substantia diversas a Platone evinci ostendit, secundum Posidonium expressam esse non modo ea declarare videntur, quae p. 463, 1 legimus: οὕτω γοῦν καὶ Ποσειδώνιος ὑπολαβὼν ἀπεχώρησε . . . τοῦ Χρυσίππου, sed etiam inde concludendum est, quod sane Posidonius inter suam et Platonis doctrinam hac in re accurate distinguere debuit.[1]) — Num vero ex eis quae p. 465 sqq. invenimus, Posidonio nonnulla debeantur, certum non est. Quamquam enim quae ibi de bestiis pueris adultis hominibus Galenus disserit, non ex ipsius Platonis disputatione profecta sunt, nihil ibi invenitur, quod a Galeno ipso scribi potuisse negandum sit. (Temperantiam tantum et continentiam ut p. 467, 13 sqq. ἐν παρέργῳ commemoraret, fortasse inde factum est, quod Posidonius eas in disputatione de virtutibus instituta, quam Galenus consulto praeteriit, commemoravit.[2]) Ac ne in reliquis quidem huius disputationis partibus Posidoniana multa inesse videntur. Quod enim p. 487, 10 Posidonius nominatur, quia si ea memoria teneamus quae cotidie accidant, de affectuum natura dubitare nos posse negat, quolibet loco apud Posidonium hoc legenti Galeno in memoria haerere potuit. Accedit tamen quod simillima his verbis ea sunt quae p. 485, 11 legimus: οὐ γὰρ δή γε καὶ τὰ τούτων πάθη (sc. τῶν παιδίων) διὰ συλλογισμοῦ χρὴ μαθεῖν, ἀλλὰ ἀναμνησθῆναι μόνον αὔταρκες, ὡς οὐκ ἄλλως μὲν νῦν, ἄλλως δὲ παῖδες ὄντες θυμούμεθα. Quae dum cum illis comparamus, facile in eam sententiam venimus, ut Galenum ibi de tota vita cotidiana praedicare censeamus, quae de puerorum statu Posidonius protulerit. Hoc si verum est, ea quae p. 485 de pueris et bestiis disputantur, a Posidonio mutuata sunt. Nec tamen me haec pro certis habere par est.

Appendix I.

Τὸ περὶ τῶν παθῶν βιβλίον.

P. 389, 5 Galenus (intra disputationem, in qua Posidonii libris non utitur) hoc dicit: ὁμοίως δὲ εἴρηται καὶ τὰ τοιαῦτα κατὰ τὸ περὶ τῶν παθῶν[3]) βιβλίον· 'τὸ γὰρ eqs.' et postquam nonnullos locos adscripsit, p. 390, 7 perorat: ὅλως δέ, εἴ τις ἐκλέγοι πάντα καὶ παραγράφοι νῦν, ὅσα κατὰ τὸ περὶ παθῶν εἴρηται βιβλίον αὐτῷ μαχόμενα μὲν οἷς αὐτὸς ὑπέθετο δόγμασιν κτλ. — P. 396 denique Galenus postquam priorem partem disputationis Posidonianae adtulit, nonnulla ipse addit, in quibus Chrysippum his compellat

1) Ad Posidonii doctrinam cf. p. 432, 11. 476, 4 al.
2) De his virtutibus antea Pos. dixit (Gal. p. 346. 347).
3) sic H.

(v. 12): ταῦτά τοι καὶ ἀπορεῖς κατὰ τὸ περὶ τῶν παθῶν[1]) βιβλίον τι καὶ γράψαι τοιοῦτον ἡμῖν, ᾧ προσέχοντες τὸν νοῦν κωλύσομέν τε τῶν παθῶν ἕκαστον γίνεσθαι καὶ γενόμενον ἰασόμεθα.

His locis quin Galenus non totam Chrysippi de affectibus disputationem amplissimam τὰ περὶ τῶν παθῶν ἅπαντα τά τε τρία, διὰ ὧν ἐπισκέπτεται τὰ λογικὰ περὶ αὐτῶν ζητήματα, καὶ προσέτι τὸ θεραπευτικόν (334, 15 sq.) significaverit, eo minus dubitandum est, quod semper inter logicos libros et Curatorium accurate distinguit (cf. imprimis 477, 1 τὰ περὶ παθῶν συγγράμματα τά τε τρία τὰ λογικὰ καὶ τὸ χωρὶς αὐτῶν ἰδίᾳ γεγραμμένον ὑπὸ αὐτοῦ, τὸ θεραπευτικόν τε καὶ ἠθικὸν ἐπιγραφόμενον).[2]) — Hunc autem Curatorium illis locis a Galeno indicari ea res declarat, quod p. 396 ut hoc statuamus, sententia vel sola postulat, p. 389. 90 autem Galenus sine dubio ex eodem libro haurit quo antea (377—388) utitur; hunc autem Curatorium esse ipse 377, 17 dicit.

Cum autem verear, ne pingui ut aiunt Minerva agamus, si cum Muellero tribus illis locis scribendum esse putemus ἠθικόν (pro βιβλίον), quaeramus potius quomodo factum sit, ut Galenus illis verbis uteretur. Neque causa obscura erit ei qui argumentationem meam adhuc probaverit. Nam si animos adtendimus ad verba e Chrysippi libris adlata, in eis libri IV partibus, in quibus Posidonii vestigia Galenum premere vidimus[3]), invenimus p. 338. 9 duos locos e l. I. περὶ παθῶν sumptos (339, 12), p. 394, 11 sqq. complures e l. II. adlatos. Ex eodem libro haurit p. 397 sqq. (cf. 397, 13), et sine dubio etiam pp. 391—393 eum respicit. In l. V. unam orationem Chrysippeam legimus e Posidonii libro translatam p. 411, 12 (nam quin a Posidonio iam ad verbum adlata sit, dubium ob eam rem non est, quod eius verbis p. 409 ad eam respicitur); e l. I περὶ παθῶν eam sumptam esse e p. 419, 8. 425, 3 cognoscimus.

In eis partibus, in quibus Posidonium non sequitur, Galenus p. 356—361 multa e Curatorio adfert[4]); ea quae ibi sequebantur, p. 364, 12 continuat. Eodem libro utitur p. 366, 11 et a p. 377, 17 usque ad 380 neque ab eo discedere videtur p. 383—387, quamquam ibi unde hauriat, non iam diserte addit. P. 389 denique accedit is locus cui verba supra adscripta praemisit: ὁμοίως δὲ εἴρηται καὶ τὰ τοιαῦτα κατὰ τὸ περὶ τῶν παθῶν βιβλίον. E Curatorio iterum haurit p. 413. 414 (cf. 413, 7). 416 (cf. 416, 3). 420. 421 (cf. 420, 5). — Posidonius igitur ut Chrysippi doctrinam illustraret et refelleret, uti consentaneum est, eos libros inspexit, quibus ille logice doctrinam suam exposuerat et confirmaverat, *contra Galenus Curatorium solum adhibet, reliquis non utitur.* Quin etiam sententias,

1) sic H.
2) Recte Ml. pro τὰ — γεγραμμένα numerum singularem restituit.
3) Galenus Posidonium sequitur p. 338—47, 349—50, 368—76, 391—402, 408—11, 437—60.
4) cf. 358, 12. 17.

quas e Chrysippi libris logicis π. παθῶν Galenus ipse excerpserit impugnandas, frustra quaesiveris. Quod enim p. 351, 8 cupiditatis definitionem in l. I. ibi inveniri commemorat, in adn. p. 570 ostendimus ipsam definitionem perperam ab eo Chrysippo tribui, quia ex aliqua definitionum collectione hauserit. Quod vero p. 335, 8 commemorat eum postquam definitiones affectus illustraverit, quaerere, utrum iudicia sint an ea subsequantur, e p. 348 hoc translatum est, ubi a Posidonio sumptum esse potest.

Cum igitur videamus Galenum ubicumque Chrysippi disputationem ipse respiciat, Curatorio uti, logicorum rationem non habere, liquere iam mihi videtur, quomodo factum sit, ut illum libellum τὸ περὶ τῶν παθῶν βιβλίον[1]) nominaret. Sc. hunc libellum, quem seorsum a Chrysippo editum esse ipse nonnunquam commemorat (cf. locum, quem supra adtuli p. 477, 1), solum in manibus habuit, logicos tres libros per Posidonium tantum noverat.[2])

Cum igitur ex ipsis Chrysippi libris, quales definitiones ille probasset, cognoscere non posset, p. 337 et 351 collectionibus illis definitionum usus est. Ut autem e l. I. π. παθῶν falsam cupiditatis definitionem sumptam esse contenderet, inde factum est quod Posidonius quem antea sequebatur ad eum librum semper respexit ac fortasse definitiones ibi inveniri commemoravit. — Nec vereor ne quis huic sententiae obstare putet, quod Galenus unumquemque e Chrysippi libris altero tanto maiorem esse quam suos p. 459, 15 dicit — nam facile e Curatorio hoc conicere potuit — aut quod Platonis sententiam et in logicis libris et in Curatorio a Chrysippo silentio praeteriri non semel contendit — nam ne vituperandus quidem est, si Posidonio hoc adfirmanti fidem habuit.

Quo autem modo factum sit, ut Galenus Curatorium solum in manibus haberet, explicari poterit, si quando quae ratio inter illum et reliquos Chrysippi de affectibus libros intercedat ostendendi occasio data erit. Nunc sufficiat dicere et a Philodemo (col. I.) et ab Origene (c. Celsum I p. 50 et VIII p. 411 Sp.) Curatorium laudari, logicos libros non adhiberi.

---

1) Articulum τῶν quoque Ml eicit, ut ipsam libri inscriptionem semper restituat. Sed quid ipse diceret, si quis in eius prolegomenis Aldinae ipsum titulum omnibus locis restituendum esse censeret?

2) Quare hunc Curatorium praeter reliquos libros in prooemio l. III. de loc. aff. (VIII p. 138 K) commemorat: Οὕτως γοῦν καὶ Χρύσιππος ὁ φιλόσοφος ἔγραψεν περὶ τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν ἓν μὲν τὸ θεραπευτικὸν βιβλίον, οὗ μάλιστα χρῄζομεν εἰς τὴν ἴασιν αὐτῶν, ἕτερα δὲ τρία λογικὰς ἔχοντα ζητήσεις. — Quem locum etiam eo consilio memoria teneamus, ut cognoscamus, quantum Galeni verbis tribuendum sit, ubi Chrysippum impugnat; si quidem idem Galenus de eodem Curatorio antea in disputatione de qua hic agimus p. 396, 12 sqq. haec dixit: ταῦτά τοι καὶ ἀπορεῖς κατὰ τὸ περὶ τῶν παθῶν βιβλίον τι καὶ γράψαι τοιοῦτον ἡμῖν, ᾧ προσέχοντες τὸν νοῦν κωλυσόμεν τε τῶν παθῶν ἕκαστον γίνεσθαι καὶ γενόμενον ἰασόμεθα. — Ceterum bene iam Dyroffius l. l. p. 151 adn. 1 conicit: 'wir verdanken unsere Kenntnis von Chrysipps Werk hauptsächlich dem Poseidonios'.

De libro VI.

Procemio l. VI. cum Galenus profiteatur se ad rem denuo redeuntem demonstraturum esse cerebrum cor iecur principia esse facultatum animae, vix sperandum est nos etiamtum inventuros esse, quae e Posidonii de *affectibus* libris hausta sint. At ea quae statim disputat, ad eandem quaestionem quam antea tractavit spectant. Rem enim cum ita ingrediatur, ut nominum quibus et antea usus sit et postea usurus sit, significationem exponat, primo quaerit πότερον ἐνεργείας ἢ πάθη προςαγορευτέον ἐςτὶ τὴν ἐπιθυμίαν καὶ τὸν θυμὸν ὅςα τε ἄλλα τοιαῦτα (491, 10 sqq.). Ostendit autem in his verbis duplicem vim inesse posse. Primum enim ita usurpantur, ut ἐνέργεια sit motus ex ipso qui in actione est profectus, πάθος autem motus, qui in altero per alterum fiat; id quod exemplo incidentis (qui agit) et rei incisae (quae patitur) illustrat. Altera significatio est haec: ἐνέργεια motus est, qui ita secundum naturam fit, ut ad eum tamquam finem natura tendat neque propter necessitatem quandam cum aliud efficere velit perveniat, sive ex ipso qui agit proficiscitur sive ex altero; contra πάθος est motus qui eundem in modum contra naturam fit. Velut vehementior ille motus cordis, qui in palpitationibus cernitur, πάθος est, non quo ex ipso corde non proficiscatur, sed quia vehementior est quam natura fert.

Utroque autem modo ira cupiditasque πάθη nominari possunt; secundum enim priorem significationem ira etsi actio irascibilis facultatis est, affectus est reliquarum facultatum atque adeo hominis ipsius, ut quem ratione, non ira gubernari oporteat. Alteram autem significationem si spectamus, ira effervescens ipsius irascibilis facultatis affectus non minus quam ἀθυμία est. Cum enim haec infirmior eius sit motus quam natura postulet, illa vehementior, neutra secundum naturam est aut actio nominari potest. Quam rem postquam accuratius Platonico aurigae et equorum exemplo illustravit (495, 9 sqq.), Platonem ipsum neutrum nomen aspernari ostendit (p. 499).

Tum nomina εἴδη et μέρη de tribus animi facultatibus a Platone promiscue usurpari comprobat. Denique inde a p. 506 argumentis e medicorum arte sumptis iecur principium venarum sedemque eius partis animae, quae ad alendum cupiditatemque pertineat, esse ostendit.

Ex hac parte Posidonio nihil tribuendum esse adparet, nisi quod Galenus re iam demonstrata, ubi et Hippocratem et Platonem in hac sententia fuisse comprobat, p. 576, 13 addit: ἐξηγεῖςθαι γοῦν coι δόξει ταῦτα (sc. ea quae ex Hippocrate antea adscripsit) Πλάτων ἐν οἷς φηςιν ἐπὶ τῆς καρδίας 'ἵνα, ὅτε ζέςειε τὸ τοῦ θυμοῦ μένος' (cf. p. 575, 9 sqq.)· οἱ δὲ μετὰ αὐτὸν φιλόςοφοι καὶ ὁριςμὸν τοῦτον ἐποιήςαντο τοῦ θυμοῦ, ζέςιν εἶναι φάςκοντες αὐτὸν τοῦ κατὰ τὴν καρδίαν θερμοῦ. Sed de his postea viderimus.

Quae autem p. 499—505 de verbis εἴδη et μέρη apud Platonem usurpatis disputat, ne ea quidem Posidonio tribuenda esse propter totius disputationis tenorem crediderim.[1])

Ipsam denique primam partem examinantibus tenendum est nihil per hunc librum inveniri, quo Galenus Posidonii disputatione se etiamtum uti significet. Atque occurrunt ibi quoque, quae quin ex ipsius Galeni ingenio profecta sint, dubium esse non possit (cf. disputationem de verbo cφυγμόc p. 493 et quae de Platone in fine disserit). Sed primum notandum est hanc partem neque cum reliquis huius libri partibus cohaerere neque secundum rationem totius disputationis Galeneae flagitari. Praeterea quod p. 491, 9 hanc quaestionem se antea seposuisse dicit[2]), quamquam non semel se hanc rem in praesentia in medio relinquere antea professus est[3]), haud scio an significet Galenum hic eam quaestionem adire, quam alibi tractatam invenerit. Denique ipsum disputationis argumentum quam maxime secundum libri Posidoniani rationem expressum esse videtur. — Posidonius enim cum περὶ παθῶν scriberet, postquam affectus e motibus facultatum irrationalium nasci docuit atque sine dubio ita definivit, ut essent redundantes illarum facultatum motus — non enim modo Zenonis definitionem qua affectus πλεονάζουcα ὁρμή esse dicitur ab eo accipi vidimus, sed etiam illae κινήcειc ἔκφοροι quas p. 335, 14—16 nominatas videmus, Galenus secundum Posidonii sententiam commemorat (qua de re postea!) — facere vix potuit, quin utrum omnino nomen πάθοc retineri posset an potius actiones vehementes facultatum irrationalium statuendae essent, dissereret.

Accedit quod ipse *actiones* facultatum animi (Gal. p. 346, 9) commemorat: εἰ δέ ὑφ' ἑκατέρων ἐνεργούντων γίνοιτο, λογιcμοῦ θ' ἅμα καί τινοc ἀλόγου δυνάμεωc (sc. ἡ ὁρμή) — εἰ μὲν οὖν[4]) ἀντιcπῶντοc τοῦ λογιcμοῦ, κρατήcει τὸ ἰcχυρότερον, εἰ δὲ cυνεκθέοντοc, οὐδέποτε παύcεται.

Verisimile igitur est Galeno hanc partem scribenti Posidonii librum ante oculos fuisse.

De libris VII—IX.

Libro VII. prooemium satis longum Galenus praemittit, quia libros VII—IX multo postquam priores sex confecerat aggressus est (cf. de libris propriis XIX, 15. 16 et 20 K). Ipso autem prooemio

---

1) Comparentur praeterea p. 504, 12 sqq. et Posidonii sententia p. 457, 5. 6 prolata.

2) 491, 9 pro ἀναβληθέντων falsissime Ml. coniecit προβληθέντων (cf. Kalbfleischium l. l. p. 34).

3) cf. 261, 5. 6; 343, 10; 433, 4, inprimis autem 334, 8—10.

4) Particulam οὖν, quam Galenus addit quod oratio non recta via procedit, non recte delet Ml.

statim de ea quaestione dicere incipit, quam subiturum se esse p. 448, 3 pollicitus est. Nam postquam p. 584, 4 Posidonii libros a se commemoratos esse monuit, quod ille de affectibus et de virtutibus melius iudicasset quam Chrysippus, statim quamquam non universam Chrysippi doctrinam in libris περὶ τοῦ ποιὰς εἶναι τὰς ἀρετάς prolatam examinare vult, eo transit, ut quid de virtutibus iudicandum sit ostendat. Ac primo quidem Chrysippum Aristoni recte adversari contendit, qui unam virtutem hominis scientiam boni et mali esse, huic autem secundum relationem ad aliquid diversa nomina indi statuerit. Quae autem Chrysippus profert, ut complures virtutes substantia diversas distinguat, ea ipsius doctrinae nihil nisi rationem in animo inesse censentis refragantur (—586, 8). Tum paucis intermissis p. 588, 3 ab ipsa definitione virtutis, quae est ὕπαρξις βελτίστη ἢ τελειότης τῆς ἑκάστου φύσεως, profectus singulis partibus animi singulas virtutes tribuendas esse ac praeterea toti homini unam esse dandam, quae in congruentia illarum partium posita sit, breviter exponit. Nomina denique virtutum se non curare postquam addidit, irrationalium animi partium virtutes habitus quosdam et facultates esse, soli autem rationi scientiam tribuendam esse dicit (—590).[1])

P. 591—595 accuratius quid in Aristone impugnando Chrysippus peccaverit, demonstrat. Secundum enim Aristonem scientia boni et mali licet temperantia prudentia fortitudo iustitia nominetur, eadem manet in rebus bonis sive eligendis sive faciendis sive subeundis sive secundum dignitatem distribuendis. Neque ille secundum doctrinam hominum vere Stoicorum facere potest, quin unam hominis virtutem esse statuat scientiam unumque vitium insipientiam. Cum enim secundum illos fortis sit is qui quid fortiter subeundum sit quid fugiendum sciat, nihil autem fugiendum sit aut natura fugiatur nisi malum, contra nihil subeundum nisi bonum, fortitudo in eo ponenda est, quod aliquis quid bonum et malum sit scit. Id quod in reliquas quoque virtutes cadere Galenus demonstrat. Aristo igitur sibi constat, Chrysippus autem non recte cum ipse quoque omnes virtutes scientias esse putet, fortitudinem a temperantia substantia diversam esse statuit, quia illa sit scientia rerum fortiter subeundarum, haec eligendarum. Cum enim nominibus αἱρετέον et θαρρητέον nihil significetur nisi bonum, verba magis quam rem curare dicendus est. Unam vero virtutem statuendam esse ei qui virtutem in scientia poneret, iam Plato in Lachete ostendit (595).

Qua in disputatione Galenum ad Posidonii librum redire ut credamus, haud parvis argumentis adducimur. Nam primum Galenus ad ea ita transit, ut Posidonii de virtutibus disputationem libro περὶ παθῶν insertam commemoret. Deinde si illum locum quem Galenus

1) P. 590, 6 legendum est ἐπισκεψομένων pro ἐπισκεπτομένων, v. 8 εἰ pro ἐπεί.

ipse hic respicit (p. 447), qui sine dubio e Posidonii libro sumptus est, in memoriam revocamus, videmus ibi quoque Aristonem ob eam rem laudari quod sibi constet, Chrysippum vituperari quod ea proferat, quae ad ipsius doctrinam non quadrent. Ab illa porro virtutis definitione quam ibi p. 447, 11 breviter reddit, Galenus p. 588, 14 proficiscitur. Quod autem ibi ea utitur, ut Chrysippum impugnet, hic ut quattuor virtutes esse pro se comprobet, in ea re haerendum non est. Immo ea disputatione, qua p. 591 sqq. Aristonem non recte a Chrysippo impugnari Galenus docet, nisi id quod illic Chrysippo obicitur memoria tenemus, prorsus nihil efficitur (cf. maxime p. 592, 4 sqq.). Doctrinam denique huius loci Posidonii esse adparet. Non enim modo quattuor virtutes ab eo comprobatas esse a Diogene (VII, 92) accepimus, sed quae p. 590, 10 Galenus profert, cum irrationalibus animi partibus[1]) non scientias sed habitus quosdam tribuendos esse dicit, sine dubio e Posidonii sententia scripta sunt (cf. Gal. 447, 1—4). Animadvertenda praeterea haec sunt (p. 591, 11): ἑνὶ δὲ λόγῳ γινώϲκουϲα μὲν ἡ ψυχὴ χωρὶϲ τοῦ πράττειν τἀγαθά τε καὶ κακὰ ϲοφία τέ ἐϲτι καὶ ἐπιϲτήμη, πρὸϲ δὲ τὰϲ πράξειϲ ἀφικνουμένη τὰϲ κατὰ τὸν βίον ὀνόματα πλείω λαμβάνει τὰ προειρημένα, φρόνηϲίϲ τε καὶ ϲωφροϲύνη καὶ δικαιοϲύνη καὶ ἀνδρεία καλουμένη. Quae a Galeno pronuntiantur, tamquam Aristo ipse sententiam suam ita comprehenderit. At cum antea sapientia, quae hic reliquis virtutis nominibus opponitur, nominata non sit nec facile scientiae *bonorum et malorum* subici possit[2]), porro cum de Aristone praeterea similia non praedicentur[3]), illius doctrinam hic inesse non putaverim. Quodsi non ipsum Aristonem sed eum qui illius sententiam rettulerit, hunc in modum eam doctrinam complecti iudicandum est, verisimile est a Posidonio haec Galenum mutuare, cum illum aeque ac Panaetium inter contemplationem et eam scientiam quae ad actionem pertineret, distinxisse supra iam concluserimus.[4])

P. 596 Galenus postquam rem ita peroravit, ut de virtutibus alibi seorsum dicere se constituisse profiteretur[5]), paucis totam de tribus animae facultatibus amplexatus (pp. 596. 597) eo transit, ut omnium sensuum principium cerebrum esse dicat.

1) Verbo μέρη Posidonium usum non esse consentaneum est, Galenus autem id non minus quam p. 447, 1 admisit.

2) Quamquam p. 591, 12 τἀγαθά τε καὶ κακὰ et ad πράττειν et ad γινώϲκουϲα pertinere videtur.

3) Immo Plutarchus p. 440 F sq. (virt. mor. 2) prudentiam reliquaque nomina commemorat, sapientiam praeterit.

4) De Panaetio cf. D. L. VII, 92 (Cic. de off. I, 6, 19). De Posidonio cf. quae de Galeni p. 442 diximus (supra p. 562) ac praeterea Cic. de off. I, 152 sqq. maximeque § 153, de quibus cf. Hirzelium II, 501.

5) Fecit hoc antequam libri VIII. prooemium scripsit cf. 662, 12. 13. — Cum p. 463, 6 sqq. scribebat, disputationem de virtutibus accuratiorem huic ipsi operi intexere in animo habuit.
Posidonium quoque seorsum librum edidisse quo de virtutibus ageret Galenus p. 654, 5 dicit.

Atque in his quidem Posidoniana nulla quaerenda esse adparet, eis autem quae p. 596. 7 de tribus animae facultatibus disputat, haud scio an illius doctrina respiciatur. Ibi enim Galenus cum ita disputationem suam comprehendat, ut tribus principiis animalis vitam regi dicat, horum vim hunc in modum enarrat: Primum in capite collocatum per se cogitat reminisciturque, relatum ad aliquid (h. e. si rationem quae inter animam et corpus intercedit spectamus) sensum per sentientes animalis partes efficit voluntariosque motus evocat, alterum in corde sedem habens per se contentionem animi praestat in eis quae ratio praeceperit perseverantem, affectu autem incitatum iram profert; secundum denique relationem singulis membris calorem arteriisque pulsum praebet. Tertii in iocinore collocati est animal alere ac praeterea voluptates percipere, qua in re vehementius quam natura fert commotum incontinentiam et intemperantiam efficit.

Ad alienam enim disputationem Galenum hic se adplicare ea res indicat, quod eam partitionem quam primo instituit verbis καθ' ἑαυτήν — ἐν δὲ τῷ πρός τι significatam non retinet. Non enim modo dum de concupiscibili parte dicit, eam diserte omnino non commemorat, sed iam dum de altera facultate disputat, oppositionem ipse delet, cum illi καθ' ἑαυτὴν μὲν addit κατὰ πάθος δέ; quod legentes facere non possumus, quin καθ' ἑαυτήν accipiamus pro 'secundum suam naturam', at illi ἐν δὲ τῷ πρός τι oppositum idem valere debet ac 'per se' vel 'absolute'. Cum praeterea eis verbis quae de ira dicit 'ἡ οἷον ζέσις τῆς ἐμφύτου θερμασίας ποθούσης τιμωρήσασθαι τῆς ψυχῆς τηνικαῦτα τὸν ἀδικεῖν δόξαντα' ea repetantur, quae supra e p. 577, 1 sqq. adscripsi: οἱ δὲ μετὰ αὐτὸν (sc. Πλάτωνα) φιλόσοφοι καὶ ὁρισμὸν τοῦτον ἐποιήσαντο τοῦ θυμοῦ, ζέσιν εἶναι φάσκοντες αὐτὸν τοῦ κατὰ τὴν καρδίαν θερμοῦ, alterius philosophi disputationem Galenus hic reddere videtur, cuius partitionem retinere vult, sed non satis retinere potest. Ad Posidonium autem Galenum hic respicere ea quoque res declarare videtur, quod non partes animae sed principia et facultates commemorat. Doctrinam autem huius loci quominus ei tribuamus, nihil obstare mihi videtur. Atque ea quidem quae de ira profert, in praesens seponamus. Incontinentiam et intemperantiam distinguit ap. Gal. p. 346. 7 (cf. p. 467. 8 ac supra p. 572). Quaeritur autem hic maxime, utrum Posidonius animi facultates diversis corporis partibus addixerit necne. Atque a veteribus quidem Stoicis totum animum in corde collocatum esse constat, Posidonium autem hac in re illos secutum esse ut alibi nusquam traditur, sic ne e Galeni quidem libro concludendum est. Is enim cum persaepe quid inter Hippocratem Platonemque et inter Aristotelem Posidoniumque intersit, exponat (p. 303. 333. 432. 461. 476. 490. 501. 590), hos in ea re ab illis discessisse narrat, quod tres animi partes et substantia et loco diversas extare negarent. Facultates autem ab eis comprobatas ab utroque in corde omnes positas esse eo minus inde efficitur, quod Galenus ipse etsi substantia

eadem sit, sedem diversam esse posse p. 462, 2—5 significat: ἄλλη γὰρ . . . ὁδός, διὰ ἧς ἀποδείκνυται τρία τῆς ψυχῆς ἡμῶν εἶναι τὰ μέρη οὐ μόνον τοῖς τόποις τοῦ σώματος ἀλλὰ καὶ ταῖς οὐσίαις καὶ ταῖς δυνάμεσι καὶ ταῖς ἐνεργείαις διαφέροντα cf. 461, 6. 7: ὅτι μέντοι καὶ ταῖς οὐσίαις ἀλλήλων ταῦτα διαφέρει καὶ πολὺ μᾶλλον ὅτι κατὰ διαφέροντας ἵδρυται τόπους, ἐκ . . . τῶν νῦν λεχθησομένων ἐπιστημονικὴν ἀπόδειξιν οὐκ ἔνεστι λαβεῖν.[1]) Horum autem locorum eo magis ratio habenda est, quod supra (cf. p. 571. 2) ibi Posidonii libro Galenum uti conclusimus. Ubicumque igitur Galenus de locorum diversitate sola agit, Aristotelem solum, quia a Platone discedat, commemorat (p. 304. 333. 490), e reliquis autem locis imprimis unus examinandus est. Nam p. 501 Galenus postquam Platonem, cum et loco et substantia rationem iram cupiditatem diversas esse censeret, recte de partibus animi loqui commemoravit, ita pergit: ὁ δὲ Ἀριστοτέλης τε καὶ ὁ Ποσειδώνιος εἴδη μὲν ἢ μέρη ψυχῆς οὐκ ὀνομάζουσιν, δυνάμεις δὲ εἶναί φασι μιᾶς οὐσίας ἐκ τῆς καρδίας ὁρμωμένης.[2]) Sed hic Galeni id solum interesse quid de *substantia* iudicandum sit, cum ratio totius disputationis (qua ostenditur rationem iram capiditatem εἴδη et μέρη nominari posse) tum p. 502, 1. 2 declarat. Praeterea nihil obstat, quominus Posidonium sic statuisse putemus, ut huius unius substantiae e corde profectae singulas facultates singulis corporis partibus addicere ibique ad actionem pervenire censeret. Ut autem eum in hac sententia fuisse putemus, cum alia[3]) suadent tum ea quae e re physiognomica p. 442 Posidonius adsumit. Cur enim homines magno pectore et calido sanguine praeditos ad iram pronos esse, illos contra qui latis coxis uterentur, ignaviores et cupiditatibus magis deditos esse commemoravit, si nullam rationem inter cor et iram aut inter iecur e regione coxarum situm et cupiditates intercedere credebat?

Denique ea ipsa doctrina, qua statuitur in animo facultates esse non partes, sed eas in diversis corporis sedibus collocatas in disputatione falso Plutarcho adscripta εἰ μέρος τὸ παθητικὸν τῆς ἀνθρώπου ψυχῆς ἢ δύναμις (Bern. VII, 12, 14 sqq.) impugnatur: ὅσοι δ' αὖ δύναμιν (sc. ἀποδιδόασι τὴν παθητικὴν ζωήν), πρῶτον μὲν

---

1) Quod diversitas loci modo diversitati substantiae ita opponitur tamquam maius aliquid sit, modo tamquam minoris momenti sit, ei rei non multum tribuendum est.

2) Aliter de hoc loco iudicat Schmekelius l. l. 259 adn. 2.

3) cf. Hirzelium II, 772 sqq., qui tamen ut rationem seorsum in capite sic irrationales facultates una in corde a Posidonio collocatas esse contendit. Qua in re maxime Galeni verbis quae loco modo adlato p. 501 adduntur, nititur: ὁ δὲ Χρύσιππος ὥσπερ εἰς μίαν οὐσίαν, οὕτω καὶ εἰς δύναμιν μίαν ἄγει καὶ τὸν θυμὸν καὶ τὴν ἐπιθυμίαν. Unde concludit Galenum hic de ira et cupiditate solis aut coniungendis aut distinguendis cogitare. Sed primum de sede facultatum omnino ibi non agitur, deinde Galenus ibi dicit a Chrysippo uni quam ille statuit facultati, quae rationalis substantia sua est, etiam iram et cupiditatem subiungi.

ἄτοπον, ὅτι τῷ τόπῳ διαχωρίζουσιν αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἀντιδαιρουμένης αὐτῇ δυνάμεως, τῆς λογικῆς· οὐ γὰρ διαιροῦνται ἀπ' ἀλλήλων αἱ δυνάμεις, ὅσαι ταὐτοῦ τυγχάνουσιν οὖσαι.

In universum igitur p. 596. 7 Galenus Posidonium sequi mihi videtur; quantum autem de suo addat, dignosci non potest.

L. VIII. prooemio Galenus nihil profert, quod ad nostram rem faciat, nisi quod p. 656 duabus conclusionibus totam de sede facultatum animi quaestionem absolvi posse dicit, quarum posterior sic efficitur: 'In ea parte corporis, quae affectibus vehementissime movetur, animi pars affectibus obnoxia sedem habet. Cor autem maximas commutationes in ira et timore subit; ergo cor sedes illius partis est.' Haec autem conclusio quamquam ad affectus spectat, cum a Galeno qui nimiae brevitati studet, neglegentissime pronuntiata sit, magni momenti esse non potest. Nam inde quod cor in ira et timore mutationes subit, et secundum Posidonium et secundum Galenum ipsum tantum concludi debebat irascibilis partis sedem in corde esse.[1]) Totum vero παθητικόν ibi esse neque recte concludi potuit neque Galenus ipse alibi statuit.

Per reliquum librum VIII. totumque l. IX. Posidoniana quantum video non iam occurrunt.

II.

De reliquis Galeni libris.

Praeter libros de Hippocratis et Platonis placitis Galenus raro Posidonii librum respexit. Nam ne in eo quidem libro, quem de animi erroribus et affectibus composuit, quamquam Chrysippi libros π. παθῶν initio commemorat (p. 2 Mq.), Posidonii disputationem nominat aut adhibere videtur. In eo autem libro quem una cum libris primis de placitis composuit (cf. de l. pr. c. 1. XIX, 15. 6 ed. K.), librum I. περὶ χρείας μορίων dico, ea re sola ad Posidonium revocamur, quod initio differentiae morum quae in animalibus cernuntur commemorantur.

Contra ipse Galenus disputationis Posidonianae in eo libro qui inscribitur ὅτι ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν αἱ τῆς ψυχῆς δυνάμεις ἕπονται mentionem facit. Quo libro Galenus cum argumentum tractet a Posidonio non alienum — nam ille quoque corporis temperamentum permultum valere censet ad ingenium formandum cf. Galen. de H. et P. p. 442. 3 — ultimo capite diversissima esse hominum ingenia comprobat Stoicosque vituperat, quod omnes homines

1) Nisi forte credimus timorem a Posidonio sub concupiscibilem facultatem esse subiectam. Cf. etiam infra p. 607. — Quamquam cogitari potest de irascibilis facultatis solius sede a Posidonio pronuntiata esse, quae Galenus cum ipsum eius librum non iam evolveret, memoria lapsus ad totum παθητικόν transferret.

natura ad virtutem pronos esse, sed reliquorum hominum mala consuetudine (75, 1 Ml.) aut inclinatione voluptatis et doloris (77 Ml.) corrumpi censeant. Laudat igitur p. 78, 3 Posidonium, quod in libris π. παθῶν a Chrysippo reliquisque Stoicis ita discesserit, ut pravitatem non extrinsecus in hominem irrepere, sed in hominis ipsius natura semen eius inesse statueret. Quamobrem non tam necessarium esse malos homines fugere quam bonorum consuetudinem adpetere, qua pravitas crescere prohiberetur. — Atque haec quidem quin Posidoniana sint, dubium non est; ex eis vero quae Galenus antea profert, ut Stoicos impugnet, quamquam haud pauca a Posidonii ingenio aliena non sunt[1]), tamen vix quidquam confidenter ad eum referri posse mihi videtur, cum satis libere ibi Galenum egisse passim adpareat. (Velut cum eis quae de Hipp. et Plat. p. 440. 1 *de probabilitate visorum* per voluptatem et dolorem ortorum disputat, conferas hic p. 77, 1 sqq.: πάνυ δ' εὐήθεις εἰσὶ καὶ οἱ διαστρέφεσθαι λέγοντες ἡμᾶς ὑπό τε τῆς ἡδονῆς καὶ τοῦ ἄλγους, τῆς μὲν ἑλκούσης[2]), τοῦ δ' ἀποτρεπτικοῦ τε καὶ τραχέος ὄντος.)

Appendix II.

De definitione irae a Posidonio proposita.

Illud maxime inter genuinam Stoicorum de animo doctrinam qualis a Chrysippo potissimum exculta est, et Posidonianam interest, quod illi totum animum rationalem esse censent, Posidonius cum Platone praeter rationem etiam duas irrationales facultates in animo agnoscit (licet eas non pro partibus substantia diversis habeat). Inde enim fit, ut illi affectus quoque in ratione consistere et iudicia esse doceant frustraque quid inter errores et affectus intersit ostendere studeant, contra hic motibus irrationalium facultatum affectus gigni censeat. Quamquam enim omnium facultatum motus per se secundum naturam sunt[3]) — nam natura unaquaeque ex eis suam ad-

1) Velut ea argumenta quibus p. 75 evincit hominum ingenia ac mores reliquorum consuetudine sola corrumpi non posse. Quaerit enim e Chrysippeis, quonam tum modo primorum hominum vitiositas explicari possit vel etiam diversitas ingeniorum quae in pueris semper eorundem hominum consuetudine usis saepe cernitur. — P. 76, 8. 9 Ml. cum libri de Hipp. et P. p. 440, 3. 4 fere ad verbum congruit. De p. 68 init. postea dicemus.

2) 〈πρὸς ἑαυτὴν〉 Ml. sine necessitate cf. π. τῶν ἐν τοῖς νοσήμασιν αἰτιῶν VII, p. 24 K.: οὐσῶν δὲ τεττάρων δυνάμεων, ὧν ἅπαν μετέχει μόριον καὶ ζῴου καὶ φυτοῦ, καὶ τῆς μὲν ἑλκούσης τὸ οἰκεῖον, τῆς δὲ ἀλλοιούσης κτλ., porro π. φυς. δυν. p. 229, 24. 243, 18 Helmr. et Callimachi ep. 42, 3. 4.

3) Sine dubio igitur Posidonius, etsi Galenus de ea re tacet, hos irrationales motus non funditus evellendos sed ita coercendos esse statuit, ut redundare non possent.

petitionem habet, ita ut ratio ad virtutem, irascibilis facultas ad principatum, concupiscibilis ad voluptatem tendat —, tamen cum homo ut animal rationale rationem sequi debeat, irrationalium facultatum motus, ubi validiores sunt quam ut rationi obtemperent, utiles hominis actiones esse desinunt et contra naturam affectusque esse dicuntur.

Non tamen in verba magistri iurare Posidonius plane desiit. Non enim modo id egit, ut Zenonem secum consentire ostenderet (cf. impr. Gal. p. 456), sed etiam ut finis sic affectuum definitionem a Zenone propositam retinuit (quamquam eas non ad Zenonis mentem interpretatus esse videtur). Ad hanc tamen rem postea redibimus, nunc de unius affectus definitione agamus, in qua Posidonius cum reliquis Stoicis consentire nullo modo potuit. Nam quin iram quae ab illis tamquam species sub cupiditatem subiciebatur, a cupiditate non minus seiunxerit quam irascibilem facultatem a concupiscibili, dubium non est (id quod recte Apeltius p. 316 monuit). Atque Galenus quidem, qualis definitio a Posidonio proposita sit diserte non dicit, meminimus tamen eum p. 577, 1—3 narrare ab eis philosophis qui post Platonem extiterint iram ita definitam esse, ut esset ζέσις τοῦ κατὰ τὴν καρδίαν θερμοῦ et p. 597 eum de altera animi facultate praedicare: κατὰ πάθος δὲ (sc. ἐστί) ἡ οἷον ζέσις τῆς ἐμφύτου θερμασίας ποθούσης τιμωρήσασθαι τῆς ψυχῆς τηνικαῦτα τὸν ἀδικεῖν δόξαντα, καὶ καλεῖται τὸ τοιοῦτον θυμός. Hoc autem loco quamquam Gal. Posidonium sequi videtur, tamen accuratius, utrum definitio illa Posidonio tribui possit necne, examinemus.

Definitio haec (de qua cf. Kreuttneri librum p. 47) redit ad Platonis verba (in Cratylo p. 419 E): θυμὸς δὲ ἀπὸ τῆς θύσεως καὶ ζέσεως τῆς ψυχῆς ἔχοι ἂν τοῦτο τὸ ὄνομα[1]), accuratius tractatur ab Aristotele in libri I de anima c. 1.[2]) Qui eam ita probat, ut fervorem sanguinis materiem irae esse dicat, formam vero in cupiditate doloris reponendi ponat, ipsa denique definitione et formam et materiem contineri deberi statuat.[3]) Eadem definitio saepe etiam a posterioribus commemoratur; praeter reliquos tamen locos unus dignus est, in quem animum attendamus. In Oribasii enim collec-

1) Verbum ζεῖν de ira vel irato saepius a Platone praedicatur (cf. Tim. 70 B Remp. 440 C), ut omnino hanc imaginem Graeci non minus amabant quam nos (cf. Soph. Oed. Col. 434 al., nostrum 'der Zorn wallt auf, es kocht in mir'). De alia imagine nobis non usitata, qua ira tumescere dicitur, pauca adtuli in Hermae tomo XXXI, p. 333 adn.

2) διαφερόντως δ' ἂν ὁρίσαιντο φυσικός τε καὶ διαλεκτικὸς ἕκαστον αὐτῶν, οἷον ὀργὴ τί ἐστίν· ὁ μὲν γὰρ ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως ἤ τι τοιοῦτον, ὁ δὲ ζέσιν τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος καὶ θερμοῦ. τούτων δὲ ὁ μὲν τὴν ὕλην ἀποδίδωσιν, ὁ δὲ τὸ εἶδος καὶ τὸν λόγον 403 a 29—403 b 1.

3) l. l. 403 b 7—9 τίς οὖν ὁ φυσικὸς τούτων (sc. ὅρος); πότερον ὁ περὶ τὴν ὕλην, τὸν δὲ λόγον ἀγνοῶν ἢ ὁ περὶ τὸν λόγον μόνον; ἢ μᾶλλον ὁ ἐξ ἀμφοῖν et 403 a 25—27 ὥστε οἱ ὅροι τοιοῦτοι οἷον τὸ ὀργίζεσθαι κίνησίς τις τοῦ τοιουδὶ σώματος ἢ μέρους ἢ δυνάμεως ὑπὸ τοῦδε ἕνεκα τοῦδε.

taneis l. III p. 211. 2 haec legimus: καὶ γὰρ ὁ μὲν φόβος εἴσω τε καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἀπάγει καὶ συστέλλει τὸ πνεῦμα καὶ τὸ αἷμα σὺν τῷ καταψύχειν τὰ ἐπιπολῆς. ὁ φόβος οὖν συστολὴν ἄγει τοῦ παντὸς σώματος, ἡ δὲ συστολὴ λιποθυμίαν ἡ δὲ λιποθυμία ἔκλυσιν ἡ δὲ ἔκλυσις συγκοπὴν ἡ δὲ συγκοπὴ πάντως θάνατον ἐπιφέρει. ὁ δέ γε θυμὸς πάλιν ζέσις ἐστὶ τοῦ περικαρδίου αἵματος· οὗτος ἀπὸ τῆς ὕλης· ἄλλοι δὲ πάλιν φασὶν ὅτι θυμός ἐστι ζέσις ἄμετρος τῆς θυμοειδοῦς οὐσίας· οὗτος ἀπὸ τῆς δυνάμεως. καὶ γὰρ ὁ θυμὸς ἀποτείνει καὶ χεῖ καὶ θερμαίνει κτλ. — Verba prima usque ad ἐπιπολῆς ad verbum ex Galeni libri π. αἰτ. συμπ. VII, p. 191. 2 K. excerpta sunt, ubi continuo sequuntur quae Oribasius postea exhibet: καὶ γὰρ ὁ θυμὸς ἀποτείνει κτλ.; nisi quod primorum verborum loco, uti par est, legitur ὁ δὲ ἀποτείνει. Quae vero praeterea de timoris effectu et de irae definitionibus Orib. disputat, neque illo loco leguntur — ut ne cohaerent quidem cum reliquis — neque alibi in Galeni libris, qui quidem extent, inveniri videntur. Attamen ea quoque Galeno deberi vel inde concludendum est, quod fere omnia quae per illam collectaneorum partem leguntur Oribasius ex illius libris excerpsit.

Definitiones illas Oribasium vel potius Galenum secundum Aristotelis locum quem supra commemoravi conformavisse statim adparet neque omnino prior pars ab eius verbis recedit. Posteriorem vero si examinamus, primum dicendum est verba sicut tradita sint stare non posse. Nam definitioni secundum materiam expressae (οὗτος ἀπὸ τῆς ὕλης) opponi potest aut definitio a forma sumpta (οὗτος ἀπὸ τοῦ εἴδους) aut definitio ab Aristotele desiderata, qua et forma et materia continetur; quo vero modo definitio a potentia sumpta illi opponatur vel potius ab ea secundum Aristotelem differre possit, non video. Nec magis perspicio, quid sibi velit τῆς θυμοειδοῦς οὐσίας. Quamquam enim Galenus saepius commemorat tres animi facultates sec. Platonem οὐσίᾳ inter se diversas esse, tamen si ipsam facultatem nominare volebant, Platonici dicere debebant τοῦ θυμοειδοῦς vel τοῦ θυμοειδοῦς μέρους τῆς ψυχῆς, Galenus ipse sec. Posidonium pronuntiavit τῆς θυμοειδοῦς δυνάμεως.

Quamobrem non dubito quin verba δυνάμεως et οὐσίας sive ab Oribasio sive a librariis per errorem transposita sint: optime enim omnia procedunt, si legimus: ὅτι θυμός ἐστι ζέσις ἄμετρος τῆς θυμοειδοῦς δυνάμεως· οὗτος ἀπὸ τῆς οὐσίας — sc. definitioni ἀπὸ τῆς ὕλης opponitur definitio ab ipsa rei natura sumpta, quae ab Aristotele desiderabatur. Quae tamen definitio ad Platonis potius quam ad Aristotelis mentem conformata est, si quidem hic primis tantum temporibus irascibilem facultatem per se extare voluit, ὕστερον δὲ τὸ . . . θυμοειδὲς τῷ ἐπιθυμητικῷ προσένειμεν (Plut. de v. mor. p. 442 B).[1]) Deberi igitur videtur Platonico cuidam philosopho,

1) Licet Aristoteles l. l. 403 a 25—27 (cf. adn. 3. p. praec.) in uni-

qui tamen reliquorum inventa non respueret. Fuisse tamen inter ipsos reliquarum sectarum philosophos, quibus eadem de ira doctrina placeret, Seneca testis est, qui in l. de ira II. c. 19, 3 haec habet: 'volunt itaque *quidam ex nostris* iram in pectore moveri effervescente circa cor sanguine'. Ac totum quidem Senecae locum e Posidonii libris fluxisse postea videbimus, sed ut hoc mittamus, quin Posidonium Seneca verbis 'quidam ex nostris' indicet, non dubitabimus, si in memoriam revocaverimus, quae Posidonius de physiognomia et de calidioris sanguinis vi ap. Gal. p. 442. 3 disputat (cf. 442, 9. 10 ὅσα μὲν εὐρύστερνά τε καὶ θερμότερα, θυμικώτερα πάνθ' ὑπάρχει φύσει. Aristotelis de sanguinis calore et frigore doctrina p. 443 in. commemoratur). Tum vero ne illud quidem verisimile esse negabimus non a philosopho Platonico sed a Posidonio Platonis itemque Aristotelis admiratore eam definitionem inventam esse, quam e Galeni libris fluxisse coniecimus. Id quod eo libentius credemus quod in libris de Hipp. et Platone ipsam quidem definitionem irae a Posidonio probatam Galenus silentio praeterit, ubi tamen quid esse possit ira deliberans verbo amplioris sensus uti debet, secundum Posidonium haec dicit: οὕτω δὲ καὶ ὁ χόλος ἤτοι κρίσις ἢ ἑπόμενόν τι ταύτῃ πάθος ἄλογον (quorum utrumque falsum esse postea ostendit) ἢ κίνησις σφοδρὰ τῆς θυμοειδοῦς δυνάμεως (p. 335, 15. 6). Denique casu accidisse non crediderim, quod praeter Oribasium unus quantum video Cicero Posidonii discipulus eandem definitionem respicere videtur in l. de or. I, 220: 'Quis enim umquam orator magnus et gravis, cum iratum adversario iudicem facere vellet, haesitavit ob eam causam, quod nesciret quid esset iracundia, fervorne mentis an cupiditas reponendi[1]) doloris?' Nam quin verbis 'fervor mentis' indicare voluerit ζέσις τῆς θυμ. δυνάμεως, dubium esse non potest.[2])

Sed quidquid modo diximus, everti videtur alio testimonio. Apud Lactantium enim in libro quem de ira dei composuit c. 17. haec legimus: 'Nescisse autem philosophos, quae ratio esset irae, apparet ex definitionibus eorum, quas Seneca enumeravit in libris quos de ira composuit. Ira est, inquit, cupiditas ulciscendae iniuriae. *Aut, ut ait Posidonius, cupiditas puniendi eius a quo te inique putes laesum.* Quidam ita definierunt: ira est incitatio animi ad nocendum ei qui aut nocuit aut nocere voluit. Aristotelis de-

---

versum hanc affectuum definitionem proponat, ut sint κίνησίς τις τοῦ τοιουδὶ σώματος ἢ μέρους ἢ δυνάμεως.

1) 'poniendi' vel 'poeniendi' codd., unde vulgo 'puniendi'. Sed quid sit puniendus dolor, non intellego. 'Cup. doloris reponendi' pro ὄρεξις ἀντιλυπήσεως Seneca dixit (de ira I, 3, 3).

2) Ipsa definitio accurate expressa 'fervor irascibilis facultatis' neque loco neque Antonii personae conveniebat. Pro 'mentis' expectamus 'animi', sed variandi studio Cicero illic ducitur (cf. statim: qui partim omnino motus negant *in animis* ullos esse debere quique eos *in* iudicum *mentibus* concitent, scelus eos nefarium facere). 'Iracundaque mens' dicit Lucr. III 295.

finitio eqs.'[1]) Sic sane vulgo haec verba secundum cod. Bononiensem eduntur; sed iram a Posidonio pro cupiditatis specie habitam non esse tam certum est, ut vel inde ea sic recte se non habere coniciendum sit. Accedit quod definitio illa (ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως) non Posidonii ipsius est sed communis est veterum Stoicorum (cf. D. L. VII, 113; Stob. II, 176; Cic. Tusc. IV, 9, 21; [Andron.] p. 17, 3). Praeferenda est igitur reliquorum codicum lectio fere omnium[2]), cum praebeant: 'Alii, ut ait Posidonius' — sc. Seneca rettulit singulas reliquorum philosophorum definitiones irae a Posidonio tractatas esse, priusquam suam proferret.

Sed hoc si verum est, ipsius quoque Posidonii definitionem Seneca sine dubio commemoravit. Quamquam autem eam a Lactantio quoque servatam esse inde non sequitur, tamen facile crediderim in his verbis Posidoniana inesse posse: 'Quidam ita definierunt: ira est incitatio animi ad nocendum ei qui aut nocuit aut nocere voluit.' Ea enim irae definitio quam Posidonio adhuc vindicavimus ex illa forma, quam Aristoteles l. l. p. 403 a 25—27 in affectibus definiendis adhibendam esse censet, alteram tantum partem continet: τὸ ὀργίζεσθαι κίνησίς τις τοῦ τοιουδὶ σώματος ἢ μέρους ἢ δυνάμεως; sed cur Posidonius alteram: κίνησις ... ὑπὸ τοῦδε ἕνεκα τοῦδε explere noluerit, eo minus dici potest, quod cum Stoicorum doctrina ea congruit. Facile igitur suam definitionem sic pronuntiare potuit: ζέσις τῆς θυμοειδοῦς δυνάμεως πρὸς τὸ τιμωρήσασθαι τὸν ἢ ἀδικήσαντα ἢ ἀδικεῖν ἐθελήσαντα, sicut ap. Galenum p. 597 ad ἡ οἷον ζέσις τῆς ἐμφύτου θερμασίας additur ποθούσης τιμωρήσασθαι τῆς ψυχῆς τηνικαῦτα τὸν ἀδικεῖν δόξαντα.

Excursus.

Quemadmodum Galenus aliorum auctorum verbis uti soleat.

Galenus ubi vocabulum ἄλογος apud Chrysippum eam vim solam habere posse, ut sit 'sine ratione', demonstrat, e Chrysippi ipsius Curatorio haec adfert (p. 356, 13):

1. διὸ καὶ οὐκ ἀπὸ τρόπου λέγεται ὑπό τινων τὸ τῆς ψυχῆς πάθος εἶναι κίνησις παρὰ φύσιν, ὡς ἐπὶ φόβου ἔχει καὶ ἐπιθυμίας

---

1) Ultima extant ap. Senecam d. i. I, 3, 3. Priora perierunt in lacuna quae paulo ante statuenda est.

2) Ex uno, cui item 'alii' offensioni fuit, adfertur 'vel'.

καὶ τῶν ὁμοίων. πᾶσαι γὰρ αἱ τοιαῦται κινήσεις τε καὶ καταστάσεις ἀπειθεῖς τε τῷ λόγῳ εἰσὶ καὶ ἀπεστραμμέναι· καθὸ καὶ ἀλόγως φαμὲν φέρεσθαι τοὺς τοιούτους, οὐχ οἷον κακῶς ἐν τῷ διαλογίζεσθαι, ὡς ἄν τις εἴποι κατὰ τὸ ἔχειν ἐναντίως πρὸς τὸ εὐλόγως, ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ λόγου ἀποστροφήν.

2. p. 358, 17 addit: ἐπιφέρων γοῦν φησιν (sc. orationi modo adlatae)· οἷαι καὶ ἀκρατεῖς αἱ τοιαῦται καταστάσεις εἰσίν, ὡς ἂν οὐ κρατούντων ἑαυτῶν, ἀλλὰ ἐκφερομένων, καθάπερ οἱ τῷ τόνῳ τρέχοντες προσεκφέρονται οὐ κρατοῦντες τῆς τοιαύτης κινήσεως. οἱ δὲ κατὰ τὸν λόγον κινούμενοι ὡς ἂν ἡγεμόνα καὶ τούτῳ οἰακίζοντες, κἂν ὁποιοσοῦν ᾖ, κρατοῦσιν ἤτοι ἀπαθεῖς εἰσι τῆς τοιαύτης κινήσεως (κρατοῦσι τῆς κινήσεως reliquis X syllabis omissis C) καὶ τῶν κατὰ αὐτὴν ὁρμῶν.

Brevi disputatione intermissa p. 360, 6 pergit: ὅθεν καὶ δεόντως ὁ Χρύσιππος ἔγραψεν· 3. 'οἱ δὲ κατὰ λόγον κινούμενοι ὡς ἂν ἡγεμόνα καὶ τούτῳ οἰακίζοντες τὰς κατὰ μέρος δηλονότι κινήσεις τῆς ψυχῆς κρατοῦσι τῶν κατὰ αὐτὰς ὁρμῶν ἀνάλογον τοῖς περιπατοῦσιν, ἀλλὰ οὐχ ὑπὸ αὐτῶν ἐκφέρονται βιαίως ὥσπερ οἱ κατὰ πρανοῦς θέοντες.' συνάπτων γοῦν τῇ προγεγραμμένῃ ῥήσει καὶ ταυτὶ προσγράφει· 4. 'οἱ δέ γε κατὰ λόγον κινούμενοι ὡς ἂν ἡγεμόνα καὶ τούτῳ οἰακίζοντες, καὶ ἐὰν ὁποιοσοῦν ᾖ, κρατοῦσι τῶν κινήσεων καὶ τῶν κατὰ αὐτὰς ὁρμῶν, ὥστε πεισθῆναι, ἐάνπερ ἐνδεικνύηται (sic Ml. -υται codd.) αὐτός, παραπλησίως τοῖς περιπατοῦσιν·' οὐκ ἀρκεσθεὶς δὲ τούτοις ἐπιφέρει· 5. 'διὸ καὶ αἱ οὕτως ἄλογοι κινήσεις πάθη τε λέγονται καὶ παρὰ φύσιν εἶναι ἅτε ἐκβαίνουσαι τὴν λογικὴν σύστασιν.'[1])

Unius disputationis hic a Galeno adferri membra qua Chrysippus quam recte affectus ut motus a ratione aversos contra naturam esse dicerent Stoici, demonstraverit, ea res declarat, quod loco 1. Chrysippus illud ad demonstrandum sibi proponit, 5. ut demonstratum ex eis quae antecedunt concludit, reliquis autem locis argumenta e quibus id concludi possit adferre videtur. De his autem ut recte iudicemus, accuratius in particulas 3. et 4. inquirendum est. Quisquis enim legerit ὅθεν καὶ δεόντως ὁ Χρύσιππος ἔγραψεν et συνάπτων γοῦν τῇ προγεγραμμένῃ ῥήσει, facere non poterit, quin duas orationes Chrysippeas hic adferri credat, quarum altera Galenus utatur, ut quam recte altera pronuntiata sit demonstret. (τῇ προγεγραμμένῃ ῥήσει autem ad locum 2., non ad 3. referri verba ipsa iubent. Res enim si aliter se haberet, expectaremus ταύτῃ τῇ ῥήσει). Sed utriusque loci verba adeo inter se congruunt, ut ex eadem Chrysippi disputatione utrumque sumptum esse statim negandum sit. Quodsi accuratius verba comparamus, utrobique legimus οἱ δέ γε κατὰ λόγον κινούμενοι ὡς ἂν ἡγεμόνα καὶ τούτῳ οἰακίζοντες

1) Quo brevior in disputando essem, numeros addidi. — Et 3 et 4 init. τόν ante λόγον H non habet.

(nisi quod γε priore loco abest); tum autem l. 3 solo[1]) haec sequuntur τὰς κατὰ μέρος δηλονότι κινήσεις τῆς ψυχῆς, sed haec non Chrysippi esse sed Galeni orationem Chrysippeam obiecto addito illustrantis particula δηλονότι tantum non voce emissa clamat.[2]) Quod simulatque cognovimus, ne in ea quidem re priorem locum a posteriore recedere dicere possumus, quod post κρατοῦσι non habet τῶν κινήσεων καί, si quidem haec Galenus, cum τὰς κινήσεις ab οἰακίζοντες pendere iussisset, omittere facile potuit vel potius debuit. — Quid ergo? Num etiamnunc haerentes, quod l. 3. non invenimus καὶ ἐὰν ὁποιοσοῦν ᾖ et ὥστε — αὐτός, pro παραπλησίως autem legimus ἀνάλογον, dubitabimus, quid statuendum sit? sc. Galenum primo quidem ut Chrysippi sententiam illustraret, quidquid utile videretur ad eam penitus intellegendam, addidisse[3]), quidquid autem in praesentia necessario adscribendum esse non videretur, omisisse, ea denique quae minoris essent momenti ut ad verbum adscriberet, minime operam dedisse, postea vero orationem ipsam qualis apud Chrysippum legeretur rettulisse?[4])

Galenus autem ipse, quominus priora verba pro Chrysippeis haberemus, fortasse impedire voluit, cum dixit συνάπτων γοῦν τῇ προγεγραμμένῃ ῥήσει, quae ad l. 2. solum referri posse supra monuimus. Verbo ῥῆσις enim ubi utitur, Galenus ipsam alterius scriptoris orationem adferri significat (cf. 366, 10; 368, 12. 15; 373, 4; 377, 16, διὰ τῆς ῥήσεως 358, 13).

Oratio vero cui l. 4. subiungi Galenus dicit, ne totus quidem l. 2 est, sed eius pars prior; posteriore enim ipsa de quibus modo diximus verba denuo continentur, sed iterum paulo aliter conformata. Quod autem hic γέ post δέ abest[5]), contra τόν ante λόγον additur[6]), denique κἄν pro καὶ ἐάν in codicibus scribitur, nullius momenti est, sed post κρατοῦσι cum l. 4. habeamus τῶν κινήσεων καὶ τῶν κατὰ αὐτὰς ὁρμῶν, hic legimus ἤτοι ἀπαθεῖς εἰσι τῆς τοιαύτης κινήσεως καὶ τῶν κατὰ αὐτὴν ὁρμῶν (sic H; quod C unum fere versum omittit, huic rei nihil tribuendum est). Verba ἤτοι ἀπαθεῖς εἰσι quin Chrysippi non sint, propterea non potest esse dubium, quod ad

---

1) Cf. etiam l. 2., de quo mox.

2) Cf. p. 381, 6 passim. P. 409, 1 ἀπαθῆ μὲν γὰρ γίνεσθαι ψυχὴν — τὴν τοῦ σοφοῦ δηλονότι —, σῶμα δὲ οὐδὲν ὑπάρχειν ἀπαθές (Posidoniana reddit).

3) Sic Galenus persaepe agit, velut p. 380, 3—9.

4) Verba quae post περιπατοῦσιν l. 3. sequuntur utrius sint, ex ipsa re diiudicandum est. Atque ultima quidem Galeni esse inde adparet, quod homines per declive currentes e Posidonii disputatione (cf. p. 344 sqq.) sumpti sunt; sed verba ἀλλά — βιαίως cum neque ipsa quidquam praebeant offensionis et apta videantur, quibus l. 6. ad eos qui praecedunt, adnectatur, Chrysippi esse puto.

5) Ad Chrysippi orationem eo melius quadrat, quod non praecedit nominativus verbis οἱ δέ . . . oppositus.

6) Articulum plerumque a Chr. non addi e codice H discimus.

eam rem quam ille comprobare vult, non pertinent; non autem ab interpolatore quodam (ut Ml. statuit), sed a Galeno ipso ea addita esse e p. 359, 13 adparet: ἵνα γὰρ ὁ λόγος ἡγεμών ἐςτιν, ἢ ἀρετὴ ἕπεται ἢ ἁμάρτημα, πάθος δὲ οὐδέποτε. His vero additis Galenus pergere non potuit τῶν κινήςεων (quod valeret 'omni motu vacant'), sed e v. 3 quod in suum usum esset, adsumpsit. Denique cum initio l. 2. in codicibus legatur οἶαι καὶ ἀκρατεῖς αἱ τοιαῦται καταςτάςεις εἰςὶν ὡς ἂν οὐ κρατούντων ἑαυτῶν, orationem apte non progredi Muellero concedemus, sed illud ἀκρατεῖς Galeno tribuentes, qui Chrysippi verbum οἶαι suo more explicet[1]), aut nihil mutabimus aut καί cum a librariis transpositum esse videatur, suo loco restituemus: οἶαι — ἀκρατεῖς[2]) — καὶ αἱ τοιαῦται καταςτάςεις εἰςίν κτλ.[3])

De hac Galeni consuetudine, qua alterius auctoris orationes modo ad verbum adfert, modo verbis in suum usum commutatis adscribit, propterea seorsum dicere constitui, quod quanti eius memorem esse intersit, ubicunque aliena verba Galenus adfert, adparet.

P. 339, 1 haec Chrysippi verba habet (a Posidonio primo translata): τὸ γὰρ ἄλογον τουτὶ ληπτέον ἀπειθὲς λόγῳ καὶ ἀπεςτραμμένον τὸν λόγον, καθ' ἣν φορὰν καὶ ἐν τῷ ἔθει τινά φαμεν ὠθεῖςθαι καὶ ἀλόγως φέρεςθαι ἄνευ λόγου κρίςεως· καὶ γὰρ οὐχὶ εἰ διημαρτημένως φέρεται καὶ παριδών τι κατὰ τὸν λόγον, ταῦτα ἐπιςημαινόμεθα, ἀλλὰ μάλιςτα καθ' ἣν ὑπογράφει (sc. Zeno, cf. supra p. 540) φοράν, οὐ πεφυκότος τοῦ λογικοῦ ζῴου κινεῖςθαι οὕτως κατὰ τὴν ψυχὴν ἀλλὰ κατὰ τὸν λόγον — sic codices, nisi quod pro τινά habent τινάς et pro καὶ γὰρ οὐχί praebent ὡς (dittographia natum); cum tamen negatione et propter ἀλλά et propter sensum loci (cf. p. 357, 2 sqq. quae supra adscripsi) opus sit, recte Ml. hic locis parallelis (342, 9. 358, 10. 435, 7) usus esse videtur.[4])

---

1) non ita bene; significat enim motum motui eorum qui sine ratione ferri vulgo dicantur, similem. — Cum illo ὡς ἂν cf. p. 418, 10—18: οὕτω γάρ, οἶμαι, καὶ τὰς ςταςιαζούςας πόλεις ἐμφυλίῳ πολέμῳ νοςεῖν ἐν ἑαυταῖς λέγομεν, ὡς ἂν εἰς μάχην ἀφιγμένων τῶν ἐν αὐταῖς φύςει ςυγγενῶν et 420, 12.

2) P. 379, 7 fortasse: ςὺ δ' ὡς ἐςεῖδες μαςτόν — ἐκείνης —, ἐκβαλὼν ξίφος | φίλημ' ἐδέξω κτλ.

3) Chrysippus igitur dixit (l. 1. non adscribam): οἶαι καὶ αἱ τοιαῦται καταςτάςεις (cf. 357, 1) εἰςίν, ὡς ἂν οὐ κρατούντων ἑαυτῶν, ἀλλὰ ἐκφερομένων, καθάπερ οἱ τῷ τόνῳ τρέχοντες προςεκφέρονται οὐ κρατοῦντες τῆς τοιαύτης κινήςεως· οἱ δέ γε κατὰ λόγον κινούμενοι ὡς ἂν ἡγεμόνα καὶ τούτῳ οἰακίζοντες, καὶ ἐὰν ὁποιοςοῦν ᾖ, κρατοῦςι τῶν κινήςεων καὶ τῶν κατὰ αὐτὰς ὁρμῶν, ὥςτε πειςθῆναι, ἐάνπερ ἐνδεικνύηται αὐτός, παραπληςίως τοῖς περιπατοῦςιν, ἀλλὰ οὐχ ὑπὸ αὐτῶν ἐκφέρονται βιαίως. διὸ καὶ αἱ οὕτως ἄλογοι κινήςεις πάθη τε λέγονται καὶ παρὰ φύςιν εἶναι ἅτε ἐκβαίνουςαι τὴν λογικὴν ςύςταςιν.

4) καὶ οὐχί ille, sed cum hoc enuntiato verborum καθ' ἣν φοράν ratio reddi videretur, ego γάρ praeterea addidi. — Pro οὐχὶ εἰ magis placeret οὐκ εἰ; sed quamquam p. 358, 10 et 435, 17 pro οὐχὶ non minus facile scribi potest οὐκ εἰ quam οὐχὶ ⟨εἰ⟩ (cf. p. 590 adn. 2.), tamen restat p. 342, 9, ubi οὐχὶ εἰ traditur nec mutandum esse videtur.

Reliqua autem cur mutemus, in verbis nihil est (cf. enarrationem meam p. 540), nec Ml. mutasset, nisi eiusdem loci mentionem Galenus etiam p. 342 fecisset: ἐπειδὰν δὲ γράφῃ χωρὶς λόγου καὶ κρίσεως γίνεσθαι τὴν κατὰ πάθος (sic H.) κίνησιν, εἶτα συνάπτων ἐφεξῆς λέγῃ· 'οὐχὶ εἰ διημαρτημένως φέρεται καὶ παριδών τι κατὰ τὸν λόγον' καὶ[1]) 'ἀπεστραμμένως τε καὶ ἀπειθῶς αὐτῷ', διορίζει τῶν ἁμαρτημάτων τὰ πάθη et p. 358, 9 ὥστε .. οὐκ ὀρθῶς ὁ Χρύσιππος εἶπεν ἔν τε τῷ πρώτῳ περὶ παθῶν 'οὐκ εἰ[2]) διημαρτημένως φέρεται καὶ παριδών τι κατὰ τὸν λόγον, ἀλλὰ ἀπεστραμμένως τε καὶ ἀπειθῶς αὐτῷ' καὶ πάλιν κτλ. Num igitur p. 339 in Chrysippi ipsius oratione ἀλλά ante μάλιστα delebimus, ut ἀλλὰ ἀπεστραμμένως τε καὶ ἀπειθῶς αὐτῷ inserere possimus? At facile adparet, cur Galenus[3]) p. 342 et 358 priorem enuntiati partem solam ad verbum adtulerit. Etenim si eodem modo pergere voluit, non suffecisset, ut plenam sententiam referret, pauca verba adscribere, sed totus fere locus p. 339 adlatus repetendus fuit. Quod ut vitaret, p. 345. 6 in posterioribus a Chrysippi verbis omnino recessit, illis autem locis eius sententiam ita reddidit, ut e verbis ἀπειθὲς λόγῳ καὶ ἀπεστραμμένον τὸν λόγον (p. 339, 2) formam efficeret ad priorem enuntiati partem accommodatam eaque utroque loco uteretur.

P. 395, 4 sqq. in verbis Chrysippeis e Posidonii libro translatis legimus: οὕτω γὰρ καὶ κλαίοντες παύονται καὶ μὴ βουλόμενοι κλαίειν κλαίουσιν, ὅταν μὴ ὁμοίας τὰς φαντασίας τὰ ὑποκείμενα ποιῇ καὶ ἐνίστηταί τι ἢ μηθέν — 'flentes desinunt et inviti flent, cum res obiectae visa non iam efficiunt respondentia (sc. voluntati hominum) et obstat aliquid (sc. ei qui flebat) aut[4]) nihil (sc. ei qui fletum retinere vult)'. Ut omnino in his verbis sensus aptus inest, sic illud μή post ὅταν optime quadrat. Sed cognoscimus quam facile Galenus p. 400, 16, ubi sensum loci solum curat, hac commodiore forma uti potuerit: ὅταν ὁμοίας τὰ ὑποκείμενα φαντασίας ποιῇ. Nec magis est, cur alterum ex his locis mutemus quam cur illud ἀσυλλόγιστον, quod p. 400, 2. 401, 10 legitur, p. 395, 4 Chrysippo tribuamus.

Permulti loci enumerari possunt, quibus Muellerus eadem de causa male a codicum lectione discesserit[5]); cum tamen fere omnes ita sint comparati, ut quisquis semel de hac Galeni consuetudine monitus sit, haesitare non possit, tantum addam eam quoque rem

1) ἀλλά ita ut ad Chr. orationem pertineat, Ml. sine necessitate.

2) Codd. hic et 435, 17 οὐχί. Sine particula εἰ cum neutro loco oratio recte procedat, Muellerus scribit οὐχὶ ⟨εἰ⟩, mihi Galenus foedum hiatum a Chrysippo admissum ita evitasse videtur, ut pro οὐχί diceret οὐκ.

3) an iam Posidonius quem p. 342 Galenus sequitur?

4) nos 'beziehungsweise'.

5) Velut p. 255, 12 rectissime se habent: ... ἐπὶ τῆς ὀργῆς· καὶ μάλιστα τοῦ θυμοῦ ἐκ τῆς καρδίας ἀναθυμιωμένου καὶ ὠθουμένου ... γίνεται ἡμῖν ἔμφασις. — Sic igitur etiam de p. 451, 7 in fragmentis restituendis iudicavi.

huc pertinere, de qua iam Petersenus p. 55 recte dixit. Cum enim rationis sit iudicium facere, Chrysippus p. 339, 4 dicit ἄνευ λόγου κρίσεως, sed Galenus quamquam rem saepe perstringit, ipsa verba fere nusquam retinet, sed nunc simpliciter pronuntiat ἄνευ κρίσεως (velut p. 350, 2) nunc amplioris sensus verbum praemittens ponit ἄνευ λόγου καὶ κρίσεως (p. 342, 7; 349, 12), sicut p. 354, 6. 7 dicit: ὃ σμικρὸν ἔμπροσθεν οὐκ ἐκ λόγου καὶ κρίσεως ἔφησε γίνεσθαι, προελθὼν ἐν λόγῳ καὶ κρίσει συνίστασθαί φησιν. Nullo autem loco quidquam mutandum est.[1])

Priusquam autem finem faciam, unum ex eis locis attingam, quibus Galenus e libris qui nunc extent, hauriat. Inde enim a p. 471 usque ad p. 485 Galenus Platonis de re publica librum IV, e quo iam antea nonnulla sumpsit, ita adhibet, ut inde a verbis τοῦ διψῶντος ἄρα ἡ ψυχή κτλ. (Platonis p. 439 A) usque ad eius p. 440 D ἀνακληθεὶς πραυνθῇ omnia exscribat, licet quattuor in partes dissecta (p. 471. 474. 477. 480)[2]), deinde postquam pauca intermissurum se esse significavit, p. 483, 10 nonnulla ex initio p. 441 Pl. addat, postremo iterum paucis intermissis perorationem quoque disputationis Platonicae exhibeat. Quem locum duas ob causas commemorandum putavi: primum quod Galenum id agere videmus, ut continuam Platonis disputationem fere totam reddat. Iam enim maiore fiducia statuemus etiam p. 356 sqq. et p. 370 sqq. continuas Chrysippi et Posidonii disputationes exhiberi. Altera causa est quod eius quoque consuetudinis quam hoc excursu ostendere studui, idonea exempla habemus. Nam hic quoque Galenus Platonis disputatione semel ad verbum adlata non adquiescit, sed eius loci quem p. 480 ad verbum adfert, sententiam statim ita circumscribit, ut cum ipsius Platonis verbis sua misceat (cf. p. 482, 1 ὁ δὲ ἕτερος, ὅστις ἂν ἀδικεῖσθαι νομίζῃ, θυμοῦται καὶ χαλεπαίνει καὶ συμμαχεῖ τῷ δοκοῦντι δικαίῳ cum Platonis verbis p. 480, 12 ὅταν ἀδικεῖσθαί τις ἡγῆται, οὐκ ἐν τούτῳ ζεῖ τε (sc. ὁ θυμός) καὶ χαλεπαίνει καὶ ξυμμαχεῖ τῷ δοκοῦντι δικαίῳ;).[3]) Habemus praeterea etiam hic Platonis locum quem

1) Ne p. 341, 7 quidem pro χωρὶς κρίσεως scribendum esse χωρὶς ⟨λόγου καὶ⟩ κρίσεως Wilamowitzius mihi persuadet (ap. Petersenum p. 55 in adn.). Cum enim Gal. ibi inter duas verbi ἄλογος significationes distinguat, quarum secundum alteram illud idem valet atque κατὰ μοχθηρὰν κρίσιν (cf. 357, 9), sec. alteram χωρὶς κρίσεως est, his verbis solis res pressius adeo circumscribi videtur. Quod autem Wilamowitzius in verbo ἄλογος interpretando λόγον commemorandum fuisse censet, primum quidem necessarium mihi hoc tum videretur, si ipse Gal. hanc explicationem proponeret neque ad Chrysippi verba respiceret. Deinde ne nunc quidem verbum λόγος deest, si quidem Galenus ipse explicationem illam cum pondere quodam ita repetit, ut ei verbum λόγος praemittat cf. v. 10: καθ' ὅσον ἀπέστραπται τὸν λόγον καὶ ἀπειθεῖ τῷ λόγῳ καὶ χωρὶς κρίσεως γίνεται.

2) nisi quod verba οὔκ, ἀλλ' εἰκότως, ἔφη, ἡγοίμεθ' ἂν οὕτως e Platonis p. 439 D initio alterius loci necessitate coactus omittit.

3) Id quod in ea quoque verba cadit, quibus Galenus p. 481, 12 φησίν addit.

Galenus bis ad verbum adferat (485, 3 et 486, 12), sed ita adferat, ut minuta quoque omnia accurate reddere tanti non putet. Cum enim Plato dicat ἑτέρῳ ἐπιπλῆττον πεποίηκεν, quae Galeno propter hiatum displicere debent, ille p. 485, 3 ea retinet, sed posteriore loco sive consulto sive inscius suaque dicendi consuetudine ductus substituit ἑτέρῳ πεποίηκεν ἐπιπλῆττον.

B. De reliquis auctoribus, qui Stoicorum de affectibus doctrinam tractaverunt.

I.

De Cicerone Plutarcho de breviariis de fragmento Ps.-Plutarcheo.

Quoniam quid e Galeni libris lucrari possemus ad Posidonii disputationem restituendam, ostendimus, haud scio an recte postulari possit, ut reliquos quoque libros quibus veteres Stoicorum de affectibus doctrinam tractaverunt omnes eundem in modum percenseamus. Sed eam doctrinam quae Ciceronis Tusculanis disputationibus commendetur a Posidoniana tam procul abesse, ut sperandum non sit fore, ut ibi inveniamus quae ad Posidonii librum spectent, facile concedet, quisquis ea quae adhuc disputavi probaverit.[1] Quod enim Cicero defendit: affectus opiniones esse vel certe opinionibus gigni, id a Posidonio vel maxime impugnatur. Ne autem summam disputationis aliunde sumptam additamentis e Posidonii disputatione haustis auctam esse putemus, obstat primum, quod singulae partes disputationis Tullianae inter se satis congruere videntur. Deinde Cicero si omnino Posidonii de affectibus libros in manibus habebat, cur rigidam hominum vere Stoicorum doctrinam potius quam doctrinam Posidonii magistri quae magis sine dubio ad eius ingenium accommodata erat, sequi voluerit, dici non potest.

Multo propius ad Posidonium Plutarchi liber accedit, qui inscribitur περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς. Cum tamen inter Peripateticos Plutarchi auctorem quaerendum esse non modo ipsa libri inscriptio sed totum argumentum indicet, hunc autem Peripateticum ante Posidonii aetatem fuisse cum multis ex rebus tum e brevitate simplicitateque argumentandi concludendum sit, hunc quoque librum, quam-

---

1) Nec flagitabit, ut post Hirzelium et Apeltium de Poppelreuteri dissertatione verbum addam. E qua nihil discimus nisi quantum a vero necessario aberret, si quis ante iudicium sibi conformarit, quam rem aggrederetur (id quod ille de se ipse in prooemio confitetur).

quam ex eo discere possumus non omnia argumenta a Posidonio contra Chrysippum prolata ex ipsius ingenio fluxisse, nunc seponamus. Spero tamen aliquando me et ad hunc librum et ad Tusculanas disputationes eo consilio redire posse, ut quid reliqui Stoici de affectibus scripserint docuerintque examinem.

Neque plus breviariis illis adiuvamur, quibus Stoicorum cum tota doctrina tum de affectibus sententiae percurruntur. Cum enim eis id agatur, ut genuina Stoicorum doctrina illustretur, Posidonii rationem non haberi consentaneum est. Passim igitur affectus opinione gigni aut in opinione consistere dicuntur. Barlaami quoque ethica, quamquam a reliquis breviariis admodum differunt, in hac re cum eis congruunt. (Cf. imprimis quae in fine proferuntur: 'Manifestum est, quod deletis animo illis opinionibus et sententia totaliter mutata nihil relinquitur, quod animum valeat perturbare'; quibuscum cf. Cic. Tusc. III, 32, 76 sqq.)

Duobus tantum locis praeter Galeni libros Posidonii de affectibus doctrina ita commemoratur, ut nomen quoque auctoris addatur. Primum enim in fragmento quo quaeritur 'animaene an corporis sit libido et aegritudo', quod Plutarchi nomen in capite praefert[1]) c. 6. (Bernard. VII p. 5, 14) haec leguntur: 'Ο γέ τοι Ποσειδώνιος τὰ μὲν (sc. τῶν παθῶν φησιν) εἶναι ψυχικά, τὰ δὲ σωματικά, καὶ τὰ μὲν οὐ ψυχῆς περὶ ψυχὴν δὲ ⟨σωματικὰ τὰ δ' οὐ σώματος περὶ

1) Haec enim capita cum ego et propter conexum qui inter ea et Plutarchi genuina scripta intercedit et propter sententias veterum philosophorum in eis servatas pro excerptorum collectione ab ipso Plutarcho confecta habuissem, non ante saec. IV. fere medium composita esse Wilamowitzius me docuit. Is enim sagacissime animadvertit auctorem eorum accentus verborum rationem ita habuisse, ut fere legem a Guilelmo Meyer indagatam observaret (cf. eius libellum 'Der accentuierte Satzschlufs in der griechischen Prosa' Göttingen 1891). Nam quisquis in primo capite has clausulas animadverterit: ψυχὴν ἀπελέγχεται (sic recte Duebner), ἐπιθυμίᾳ συμπέφυκεν, ἥδεται γενομένοις, φύσει ῥεπόντων, μεταςχηματιζομένην, φεύγει δ' ὃ δέδιεν, χειμάζει τὸν ἄνθρωπον, non dubitabit, quin ille operam dederit, ut ante ultimi verbi accentum duas pluresve syllabas accentu carentes (inter quas etiam ὅ et τόν referendae sunt) poneret. Occurrunt sane, totum tractatum si perlegimus, etiam clausulae aliter conformatae, sed tam paucae, ut inde auctorem illum id quod adpeteret consecutum non esse potius concludendum sit quam non adpetiisse. Accedit quod ex his quoque paucis locis, ut totus tractatus mendis scatet, nonnulli librariorum culpa depravati esse videntur (velut p. 9, 13 ἄνθρωπος per se offensioni esse debet, pro quo exspectaremus ὁ ἄνθρωπος; mihi ut glossa ad verba τοῦ ⟨ἐκ τούτων⟩ πάντων συνεστῶτος addita delendum hoc verbum videtur). Consulto tamen, ut omnino dactylos amat, praeter formas secundum Meyerum concessas hanc admittit –⏑–⏑⏑. Hanc enim saepe deprehendimus atque iis locis, ubi facile evitari potuerit. Velut in c. 3. quod artificiose compositum esse statim adparet, secundum regulas legimus τῆς ἀληθείας, καλὸς γὰρ ὁ ἀγών, πρὸς ἀπολογίαν, ἀπαλλαγήν, φυλάξασθαι τὸ ἑκούσιον, λοιδορεῖσθαι τἀλλότριον; unum restat πάντως χρήσιμον, quod et offensione caret et facile ita effugi potuit ut diceret πάντως ὠφέλιμον.

cῶμα δὲ ψυχικά· ψυχικὰ μὲν⟩ ἁπλῶc τὰ ἐν κρίcεcι καὶ ὑπολήψεcιν, οἷον ἐπιθυμίαc λέγων φόβουc ὀργάc· cωματικὰ δ' ἁπλῶc πυρετούc κτλ.[1])

Quo loco verba τὰ ἐν κρίcεcι καὶ ὑπολήψεcιν ita interpretanda esse, ut valeant 'quibus aliquid rei est cum iudiciis et opinionibus' ex eis quae disputavi adparet. Tum autem nihil habent offensionis. Nam in adulto certe homine secundum Posidonium quoque fieri vix potest, ut altera e facultatibus irrationalibus moveatur nec simul ratio ad actionem perveniat, ut ei aut resistat aut obtemperet. Ut autem rationis actio potissimum hic nominaretur, inde accidit, quod affectiones solius animi discernuntur ab eis quae et ad animum et ad corpus pertinent. Denique in tali excerpto verba inveniri non admodum accurata non est quod miremur.

II.

De Seneca.

Alterum locum quo Posidonius in quaestionibus ad affectus pertinentibus nominatur supra iam commemoravi. Lactantius enim in libro qui de ira dei inscribitur, cum Senecam secutus diversas irae definitiones a veteribus prolatas adferat, Posidonium quoque nominat. Ac de ipsa quidem definitione supra egi, nunc quaerendum est, num Seneca praeterea in libris quos de ira composuit, Posidonii disputationem arcessiverit. Quamquam multa nos apud eum inventuros esse quae ad Posidonium redeant, vel propterea non est sperandum, quod Posidonii θυμόc, de quo solo accuratius videtur dixisse, multum ab ira qualem Seneca tractat distat. Imprimis igitur ea quae ille, ut iram prorsus abiciendam esse demonstret, disputat, e Posidonii sententia sine dubio dicta non sunt. Accedit ea difficultas, quod Seneca minime is est, apud quem ea quae uni auctori debeat ab eis quae aut alterius aut ipsius sint facile distingui possint. Attamen unam particulam examinemus:

II, 18 hoc modo ad novam rem transit: 'Quoniam quae de ira quaeruntur tractavimus, accedamus ad remedia eius. Duo autem, ut opinor, sunt: ne incidamus in iram et ne in ira peccemus. . . . . . Quaedam ad universam vitam pertinentia praecipientur, ea in educationem et in sequentia tempora dividentur.'

Itaque c. 19—21 de educatione ita disserit, ut initio propter diversam mixturam elementorum etiam ingenia hominum diversa esse et alios propterea quod in eis ignis praevaleat, aliis fervidiores ob eamque rem ad iram propensiores esse ostendat. Addit non modo primam ipsorum corporis elementorum mixturam multum ad ingenia

1) suppl. Wyttenb. (qui καὶ ψυχικὰ μέν). τὰ ἐν κρίcεcι idem, τὸ κρίcεcι aut τὸ ἐκρίcεcι codd.

formanda valere, sed etiam regionis diversitatem, hominum aetatem et sexum, corporis condicionem (nam propter famem homines rabidos esse) victum denique morbos causasque extrinsecus natas eodem contribuere. Plurimum autem potest consuetudo (20, 2), qua facile ira, si ei indulsisti, alitur. Ac natura quidem corporis mutari non potest, sed vinum pueris subtrahendum esse Plato recte dicit, nec minus alia praecepta idonea sunt, quibus nimius fervor cohibeatur. Contra humidiora et frigidiora ingenia potius in laetitiam evocanda sunt, semperque opera danda est, ut id quod in animo redundet amputemus. C. 21 postquam puerorum educationem difficilem esse monuit, quia cavendum esset, ne aut iram nutriremus aut indolem retunderemus, singula praecepta ad educationem pertinentia addit.

Ad alienam argumentationem Senecam hic se adplicare cum per se verisimile sit, tum ob eam rem certum est, quod educationem, de qua ei dicere propositum est, c. 19 omnino non tractat, c. 20, 2 autem ubi ad eam transit, diserte non commemorat. Praeterea totam argumentationem aliunde a Seneca libro suo insertam esse ea res declarat, quod dispositionem illam qua inter educationem et sequentia tempora distinguit, postea paulatim abicit.[1]) Quodsi doctrinam capitum 19—21 examinamus, id statim videmus hic non tam de ira agi quam ampliorem sensum verbi θυμός respici. Quamquam autem ob eam ipsam rem fieri non potuit, quin aliqua ex parte ira probaretur, sane animadvertendum est Senecam cum alibi in his libris genuinum Stoicum se praebeat, hic eo progredi, ut iram pro minore vitio habeat quam pavorem (20, 4) et verendum esse dicat, ne servitute spiritum comminuamus (21, 3). Quodsi vel inde concludendum est non inter homines vere Stoicos eius auctorem quaerendum esse, ipsius verbis usi paulum progredi possumus. Animadvertentes enim totius primae partis cardinem in eo versari, ut quantum calor corporis ad iram incitandam valeat, demonstretur, haec verba pro additamento vili non habebimus: 'Volunt igitur quidam ex nostris iram in pectore moveri effervescente circa cor sanguine' (19, 3). His autem verbis quin Posidonium Seneca indicare voluerit[2]), non dubitabimus si quae de irae definitione ab illo proposita antea dixerimus in memoriam revocaverimus (cf. supra p. 582 sqq. App. II.).

Quodsi Posidonius hic a Seneca respicitur, quaerendum esse videtur, num totius disputationis argumentum ab eo mutuatum esse possit. Quod ut diiudicemus, in memoriam revocanda est illa de educatione puerorum disputatio, quam Posidonius postquam suam de origine et natura affectuum doctrinam comprobavit, accurate instituit (Gal. p. 442, 7 sqq. cf. nostrae disp. p. 566). Posidonius enim cum operam dandam esse censeat, et ut impediamus ne singuli affectus oriantur et ut ortos sanemus, illud recta educatione effici

1) Inde a c. 26 plane desinit eam respicere.
2) Posidonii nomen praeteriit, ne quo e fonte hausisset aperiret.

censet (p. 397, 14. 15), Seneca rem ita instituit, ut duo remedia irae esse statuat, 'ne incidamus in iram et ne in ira peccemus'; nam, ut statim addit 'aliter iram debemus repellere aliter conpescere'[1]) (c. 18, 1).

Porro ut apud Senecam (c. 19 init.), sic illic audimus, ὡς αἱ τοῦ σώματος κράσεις οἰκείας ἑαυταῖς ἐργάζονται τὰς παθητικὰς κινήσεις (443, 9. 10). Utroque loco vis regionum ad ingenium formandum ac diversitates corporum quae et in hominibus et in reliquis animalibus cernuntur, describuntur (Sen. 19, 1. 2. Gal. 442). Ad ea quae de re physiognomica Posidonius disserit (Gal. 442) optime quadrant, quae Seneca c. 19, 2 extr. de flavis rubentibusque profert. Quodsi ad ipsam educationem nos convertimus, cum Posidonio (Gal. 444, 5 sqq.) Seneca naturam animi corporis natura effectam haud facile mutari posse statuit (c. 20, 2); sed consuetudo maximam vim habet (Seneca ibidem, Galenus 444, 3 passim). Posidonius χρηστὰ ἐπιτηδεύματα (444, 9), Seneca modicum laborem (20, 3) commendat. Denique Posidonius οἷον ἐπιτομήν τινα . . . τῶν ὑπὸ Πλάτωνος εἰρημένων confecit (445, 8. 9), Seneca multa praecepta dat, quae cum Platonis libris concinant[2]), unum vero Platonis locum (quo ille pueris vinum dari vetat)[3]) diserte c. 20, 2 commemorat. Qui locus ad verbum a Galeno adfertur in consimili argumentatione eius libri, in quo Posidonii disputationem semel ipse laudat sed etiam praeterea adhibere videtur[4]), librum dico qui inscribitur ὅτι ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν αἱ τῆς ψυχῆς δυνάμεις ἕπονται cf. p. 67 extr. Ml.

Quamobrem Senecam per haec capita ea ipsa disputatione quam Galenus p. 442 sqq. sequitur usum esse puto. Cum autem Posidonius irae et cupiditatis aequaliter rationem habuisset, Seneca ea elegit quae ad iram spectarent; sed in ea disputatione quam adhiberet, concupiscibilem quoque facultatem commemoratam fuisse etiamnunc c. 20, 3 indicat. Ibi enim modica voluptas commendatur, ut concupiscibilis facultas alatur, ira retundatur. E singulis praeceptis a Seneca datis ad Posidonium ea referenda sunt, quae cum Platonis aut Galeni verbis congruunt. De reliquis adfirmari nihil potest.

---

1) Quae ratio inter haec duo remedia et inter educationem sequentiaque tempora intercedat, apud Senecam non comperimus. Posidonium sicut modo feci, his sanandorum illi prohibendorum affectuum curam mandavisse e Galeni p. 443, 5. 444, 11 concludendum est.

2) Velut de vinolentia et cibis (20, 2) cf. Reip. 403 E sqq., de lusu (20, 3) — Legg. 797 sqq., de licentia et servitute (21, 3) — Legg. 791 D. 793 E, de diversa educandi in diversis ingeniis ratione — Reip. 411 B saep., de cura in eligendis nutricibus paedagogisque adhibenda (21, 9 sqq.) — Legg. 794 saep.

3) cf. Legg. 666 A.

4) cf. supra p. 582.

III.

De Nemesio.

Nemesius in libro qui inscribitur περὶ φύσεως ἀνθρώπου c. 15 animam ab Aristotele ita dividi commemorat, ut ratio et facultas irrationalis distinguantur, in ipsa autem facultate irrationali duae partes agnoscantur, quarum altera nihil habeat cum ratione adfinitatis, altera ei obtemperare debeat. Cum autem de ratione iam antea dixerit, proximis capitibus iam eo transgressus ut irrationalem facultatem tractaret, c. 16—21 de ea parte quae rationi natura oboediat, c. 22 sqq. de altera parte, qua τὸ θρεπτικὸν καὶ τὸ γεννητικὸν καὶ τὸ σφυγμικόν comprehenduntur, disputat. Prior autem disputatio cum ita disposita sit, ut c. 16 de ipsa facultate irrationali et de affectus notione, c. 17 περὶ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, c. 18 περὶ ἡδονῶν, c. 19 π. λύπης, c. 20 π. φόβου, c. 21 π. θυμοῦ disserat, statim cognoscimus ad Stoicorum generales affectus — ἐπιθυμίαν ἡδονὴν λύπην φόβον — respici; sed cum illi c. 17 e concupiscibili facultate deducantur (de hac re mox!), porro cum ira non inter cupiditates sed seorsum suo capite tractetur, dubium non est, quin id Nemesius agat, ut Stoicorum de affectibus doctrinam cum Platonis de natura animi sententia conglutinet. Posidonium autem idem sibi proposuisse cum sibi persuasisset, Apeltius in disputatione iam saepius advocata non sine ratione, num forte haec pars e Posidonii ipsius libro aliave disputatione quae ad illum rediret, hausta esse videretur, quaesivit. Num vero recte hoc ita esse statuerit ut diiudicemus, singula perquirere necesse est.[1])

C. 16 igitur Nemesius cum de ipsa facultate irrationali disserat, primo quidem eam a quibusdam tamquam irrationalem animam rationali opponi nec pro parte rationalis animae haberi commemorat[2]), tum divisionem animae ab Aristotele factam, quam c. 15 iam attigit, repetit accuratiusque nunc in ea facultatis irrationalis parte quae rationi natura oboediat, concupiscibilem et irascibilem facultatem distinguit et illi iecur huic cor adsignat. Quodsi pergit (p. 97 Antv. extr.) ἔστι δὲ καὶ ταῦτα τὰ πάθη συστατικὰ τῆς ζωώδους οὐσίας, nomen πάθη neque ad priora quadrare — nam de *partibus* facultatis irrationalis ibi agitur — neque in ipso enuntiato locum habere perspicuum est. Admittitur a Nemesio, quia statim de affectibus dicturus est;

---

1) Conferendus est Euangelides Margarites 'Zwei Kapitel aus einer Monographie über Nemesius und seine Quellen' Diss. Berol. 1882.

2) Non ita dilucide haec a Nemesio exprimuntur. Cum enim inde quod ea in reliquis animalibus sola per se invenitur, concludendum sit eam omnino partem *animae* non esse, non recte praemittitur οὐ μέρος τῆς λογικῆς. (Melius [Plutarchus] εἰ μέρος τὸ παθητικὸν τῆς ἀνθρώπου ψυχῆς ἢ δύναμις c. 2. VII, 12, 10 sqq. Bern.) — Sic statim ubi de Aristotele agit, ad δύναμιν non est subaudiendum τῆς λογικῆς, sed τῆς ψυχῆς.

quae tamen ratio inter hos et inter τὸ ἐπιθυμητικόν et τὸ θυμικόν intercedat, non audimus. Statim Nemesius affectus notionem explicat. Cum enim et de corpore et de anima praedicetur, generalem affectuum animalis notionem eam esse exponit, ut sit ᾧ ἕπεται ἡδονὴ ἢ λύπη. Non enim ipsum πάθος esse aegritudinem, sed eius sensum. Hoc autem πάθος aliquam magnitudinem habeat necesse est, ut sensibus percipiatur. Animae vero affectus definiendus est: πάθος ἐστὶ κίνησις τῆς ὀρεκτικῆς δυνάμεως αἰσθητὴ ἐπὶ φαντασίᾳ ἀγαθοῦ ἢ κακοῦ vel πάθος ἐστὶ κίνησις ἄλογος τῆς ψυχῆς δι' ὑπόληψιν καλοῦ ἢ κακοῦ.

Hic paulo subsistendum est, cum ea quae modo enarravi haud parvam difficultatem praebere videantur. Ut enim non dicam ultimam definitionem cum reliquis omnino non cohaerere, generalem affectuum animalis notionem ob eam rem generalem a Nemesio nominari adparet, quod et corporis et animae affectus comprehendat. (Expressa est secundum Aristotelis Eth. Nic. B 5, 1105 b 21 sqq.: λέγω δὲ πάθη μὲν ἐπιθυμίαν ὀργὴν .... ὅλως οἷς ἕπεται ἡδονὴ ἢ λύπη, cf. Stob. ecl. II, 296). Sed ut ea argumentatio quam Nemesius de partibus sensu carentibus addit ad corporum tantum affectiones spectat, sic omnino affectionis *sensui* soli aegritudinis nomen tribuendum esse de corpore recte praedicatur, sed quomodo ad animum transferri possit, non video. Quod autem in priore definitione affectus animi κίνησις αἰσθητή esse dicitur, hoc non ad illustrandam sed ad obscurandam rem valet, si quidem eo nihil nisi ἀξιόλογος significari Nemesius ipse addit.

Nec minores difficultates statim oboriuntur. Cum enim modo de generali notione affectuum animalis ad notionem affectuum animi descenderimus, nunc iterum ascendit: τὸ δὲ γενικὸν πάθος οὕτως ὁρίζονται· πάθος ἐστὶ κίνησις ἐν ἑτέρῳ ἐξ ἑτέρου et addit ἐνέργεια δέ ἐστι κίνησις δραστική κτλ. Scilicet eundem in modum atque Galenum facere supra vidimus (cf. eius p. 491 sqq.), affectus et actionis summis notionibus expositis facultatum irrationalium motus dupliciter affectus nominari posse ostendit, aut quia quae sit actio unius facultatis, reliquarum affectus sit aut quia illi si immoderati sint, secundum naturam esse desinant. — Neque negaverim Nemesium a notione animi affectuum iterum ad primam affectuum notionem ascendere potuisse, sed doctrinam hic prolatam non quadrare ad eam definitionem quam antea pronuntiavit: πάθος ἐστὶ κίνησις . . . αἰσθητή, ea ipsa declarant quae Nemesius extremo capite ut haec inter se conciliet disserit. Cum enim dicat: οὐ πᾶσα δὲ κίνησις τοῦ παθητικοῦ πάθος καλεῖται, ἀλλ' αἱ σφοδρότεραι καὶ εἰς αἴσθησιν προβαίνουσαι . . . διὸ πρόσκειται τῷ ὅρῳ τοῦ πάθους τὸ κίνησις αἰσθητή, ipse ad ea verba respicere videtur quae praecedunt: καθ' ὃ δὲ ἄμετροι καὶ οὐ κατὰ φύσιν, οὐκ ἐνέργειαι ἀλλὰ πάθη, sed in verbo ἄμετροι ibi vim longe aliam inesse atque in αἰσθητή nemo negabit. (Cf. etiam infra p. 608.)

Quamobrem equidem Apeltio adsentiri non possum, cum p. 320 dicat: 'Jeder Leser wird das Gefühl haben, dafs Nemesius, wo er die ihm und dem Galen gemeinsame Partie fand, auch das Vorhergehende und Nachfolgende, das innerlich durchaus damit zusammengehört, hernahm.' Immo ut totum caput farrago mihi videtur esse sententiarum undique conflatarum, sic haec quin diversis e regionibus adsumpta sint, non dubito.

Sed conferamus accuratius eas disputationes, quibus Galenus et Nemesius consentiunt:

Galenus p. 491, 12 sqq.	Nemesius p. 216 Matth.
ἡ μὲν οὖν ἐνέργεια κίνηςίς ἐςτι δραςτική, δραςτικὴν δὲ ὀνομάζω τὴν ἐξ ἑαυτοῦ, τὸ δὲ πάθος ἐν ἑτέρῳ κίνηςίς ἐςτιν ἐξ ἑτέρου. ὥςτε ἀναγκαῖον μὲν πολλάκις εἰς ἓν ὑποκείμενον τῷ πάθει τὴν ἐνέργειαν ςυνέρχεςθαι κτλ.	πάθος ἐςτὶ κίνηςις ἐν ἑτέρῳ ἐξ ἑτέρου. ἐνέργεια δέ ἐςτι κίνηςις δραςτική, δραςτικὸν δὲ λέγεται τὸ ἐξ ἑαυτοῦ κινούμενον.
p. 492, 3 οὕτως οὖν καὶ ὁ θυμὸς ἐνέργεια μέν ἐςτι τοῦ θυμοειδοῦς, πάθημα δὲ τῶν λοιπῶν τῆς ψυχῆς δύο μερῶν καὶ προςέτι τοῦ ςώματος ἡμῶν παντός, ὅταν ὑπὸ τοῦ θυμοῦ βιαίως ἄγηται πρὸς τὰς πράξεις. ἓν μὲν δὴ τοῦτο τὸ ςημαινόμενον ἑκατέρου τῶν ὀνομάτων, ἕτερον δὲ τὴν μὲν ἐνέργειαν κατὰ φύςιν τινὰ κίνηςιν ἡμῶν νοούντων, τὸ δὲ πάθος παρὰ φύςιν.	οὕτως οὖν καὶ ὁ θυμὸς ἐνέργεια μέν ἐςτι τοῦ θυμοειδοῦς, πάθος δὲ τῶν δύο μερῶν τῆς ψυχῆς καὶ προςέτι τού ςώματος ἡμῶν παντός, ὅταν ὑπὸ τοῦ θυμοῦ βιαίως ἄγηται πρὸς τὰς πράξεις. ἐξ ἑτέρου γὰρ ἐν ἑτέρῳ γέγονεν ἡ κίνηςις, ὅπερ ἐλέγομεν εἶναι πάθος. καὶ καθ' ἕτερον δὲ τρόπον ἡ ἐνέργεια πάθος λέγεται, ὅταν ᾖ παρὰ φύςιν. ἐνέργεια μὲν γάρ ἐςτι κατὰ φύςιν κίνηςις, πάθος δὲ παρὰ φύςιν.
p. 492, 14 ἡ τοιαύτη κίνηςις κατὰ φύςιν, εἴτε ἐξ αὑτοῦ κινοῖτο τὸ κινούμενον εἴθ' ὑφ' ἑτέρου. — p. 493, 1 postquam exemplo se usurum esse promisit: ἡ τῆς καρδίας κίνηςις ἡ μὲν κατὰ τοὺς ςφυγμοὺς ἐνέργειά ἐςτιν, ἡ δὲ κατὰ τοὺς παλμοὺς πάθος. ἐξ ἑαυτῆς μὲν γάρ ἐςτι καὶ ἡ κατὰ τοὺς παλμούς, ἀλλὰ οὐ κατὰ φύςιν, ἐξ ἑαυτῆς δὲ καὶ ἡ τῶν ςφυγμῶν, ἀλλὰ κατὰ φύςιν.	καὶ κατὰ τοῦτον οὖν τὸν λόγον ἡ ἐνέργεια, ὅταν μὴ κατὰ φύςιν κινῆται, λέγεται πάθος, εἴτε ἐξ ἑαυτοῦ κινοῖτο εἴτε ἐξ ἑτέρου. τῆς γοῦν καρδίας ἡ μὲν κατὰ τοὺς ςφυγμοὺς κίνηςις ἐνέργειά ἐςτιν, ἡ δὲ κατὰ τοὺς παλμοὺς πάθος. ἐξ αὑτῆς μὲν γάρ ἐςτι καὶ ἡ κατὰ τοὺς παλμοὺς κίνηςις, ἀλλ' οὐ κατὰ φύςιν, ἐξ αὑτῆς δὲ καὶ ἡ τῶν ςφυγμῶν, ἀλλὰ κατὰ φύςιν.
p. 494, 2 ὥςτε, εἰ οὕτως ἔτυχεν, οὐδὲν εἶναι θαυμαςτὸν ἓν	οὐδὲν οὖν θαυμαςτὸν ἓν καὶ ταὐτὸν πρᾶγμα καὶ πάθος καὶ ἐνέργειαν ὀνομάζεςθαι.

πρᾶγμα καὶ πάθος ὀνομάζεσθαι καὶ ἐνέργειαν.

p. 494, 9 ἅπαντα γὰρ ἐνέργειαί τινές εἰσι τοῦ παθητικοῦ τῆς ψυχῆς κατά γε τὸ πρῶτον[1]) τῆς ἐνεργείας σημαινόμενον, καθ' ὅσον δὲ ἔκφοροί τε καὶ ἄμετροι κινήσεις εἰσὶ καὶ οὐ κατὰ φύσιν, οὐκ ἐνέργειαι λέγοιτο ἂν[2]) ὑπάρχειν ἀλλὰ πάθη.

καθ' ὃ μὲν γὰρ κινήσεις **εἰσὶν** ἐξ ἑαυτῶν τοῦ παθητικοῦ **τῆς** ψυχῆς, ἐνέργειαί τινές εἰσι· **καθ'** ὃ δὲ ἄμετροι καὶ οὐ κατὰ **φύσιν**, οὐκ ἐνέργειαι ἀλλὰ πάθη.

p. 495, 6 ἡ κίνησις τοῦ ζῴου πάθος ἔσται κατὰ ἄμφω τὰ σημαινόμενα.

οὕτως οὖν ἡ κίνησις τοῦ **ἀλόγου** πάθος ἐστὶ κατ' ἄμφω **τὰ** σημαινόμενα.

Nemesii orationem eo consilio totam adscripsi, ut nullum enuntiatum ac prope nullum verbum in ea occurrere adpareret, quin apud Galenum rediret. Quod cum cognoscamus, quamquam Galenum ipsum hanc disputationem Posidonio debere supra conclusimus, non facile est creditu a Nemesio eam vel e Posidonio ipso vel ex alio scriptore, non e Galeno haustam esse. Accedit quod ea quoque quae Galenus de suo addidisse videtur, apud Nemesium redeunt. Ut enim illud de pulsu et palpitatione exemplum e Galeni ingenio prodiisse videtur, sic haec verba quae apud utrumque occurrunt: πάθημα δὲ τῶν λοιπῶν τῆς ψυχῆς δύο μερῶν καὶ προσέτι τοῦ σώματος ἡμῶν παντός (Gal. p. 492, 4. 5; Nem. 216 extr. M.), Posidonii ipsius esse non possunt; nam dixit:τοῦ ἀνθρώπου παντός (cf. etiam Gal. 495, 5).

Galeni autem libros Nemesius p. 36. 53. 54. 79. 94. 108. 114 ita adhibet, ut auctorem suum nominet ac saepius, quanti illum faciat ostendit (cf. p. 53 ὁ θαυμάσιος ἰατρός).[3]) Quod autem Apeltius ex ea ipsa re quod Nemesius hic Galenum non nominat, eius libros hic non adhiberi concludit et addit libros de Hippocratis et Platonis placitis omnino illi ignotos esse, hos sane libros nusquam commemorat, sed συμφωνίαν illam quam p. 79 in testimonium vocat, non diversam ess ab illa disputatione facile concedes, si haec comparaveris:

Nem. p. 79 (180 Matth.) Γαληνὸς δὲ συμφώνως Πλάτωνι περὶ τῆς ὄψεως ἐν τῷ ἑβδόμῳ τῆς συμφωνίας λέγει γράφων οὕτω πως σποράδην·

Gal. l. VII p. 615, 15: ὅπερ (sc. τὸ τρῆμα) εἰ περιέμενε πρὸς ἑαυτὸ παραγενέσθαι τινὰ μοῖραν ἢ δύναμιν ἢ εἴδωλον ἢ ποιό-

εἴπερ γὰρ εἰς τὸν ὀφθαλμὸν ἀφικνεῖτο μοῖρά τις ἢ δύναμις

1) πρότερον ci. Ml., sed cf. 331, 17 et 295, 12.

2) sic H. Praedicatur de ἅπαντα.

3) cf. Margariten p. 23 adn. 2, qui p. 23—28 haud male cur Galeni de natura hominis doctrina Nemesio tantopere placuerit exponit.

τητα τῶν ἐκτὸς ὑποκειμένων σωμάτων, οὐκ ἂν τοῦ βλεπομένου τὸ μέγεθος ἐγνώκειμεν (codd. -καμεν), οἷον ὄρους, εἰ τύχοι, μεγίστου· τηλικοῦτον γὰρ εἴδωλον ἐνέπιπτεν ⟨ἂν⟩ ἀπὸ αὐτοῦ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ἡλίκον ἐστὶν αὐτό, ὅπερ παντάπασιν ἄλογον ....
τῷ τε ὀπτικῷ οὐχ οἷόν τε τοσαύτην ῥύσιν ἐκτεινομένῳ λαμβάνειν, ὡς περιχεῖσθαι παντὶ τῷ βλεπομένῳ σώματι ....
λείπεται οὖν ἔτι τὸν πέριξ ἀέρα τοιοῦτον ὄργανον ἡμῖν γίνεσθαι κτλ.

ἢ εἴδωλον ἢ ποιότης τῶν ὁρωμένων σωμάτων, οὐκ ἂν τοῦ βλεπομένου τὸ μέγεθος ἔγνωμεν, οἷον ὄρους, εἰ τύχοι, μεγίστου. τηλικούτου γὰρ εἴδωλον ἐμίπτειν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν παντάπασιν ἄλογον·

ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ὀπτικὸν οὐχ οἷόν τε τοσαύτην ἰσχὺν ἐκκρινόμενον λαμβάνειν, ὡς περιχεῖσθαι παντὶ τῷ βλεπομένῳ· λείπεται οὖν τὸν πέριξ ἀέρα τοιοῦτον ὄργανον ἡμῖν γίνεσθαι κτλ.[1])

ac sic omnia usque ad Porphyrii verba (p. 182 Matth. in.) e Galeno sumpta sunt (cf. p. 616, 10—617, 2; 623, 4—7; 637, 9 sqq.). Sed ea quae adscripsi sufficiunt, ut cognoscamus Nemesium ne longam inscriptionem eius libri quo consensus Hippocratis et Platonis demonstraretur adscriberet, ipso verbo 'consensus' adquievisse.[2]) Nec minus videmus plane eundem in modum atque in c. 16. facit satis libere commutata verba Galeni adferri.

Quodsi quis etiamnunc dubitaverit, num Nemesius hoc libro ita usus esse videatur, ut auctorem non nominaret, inspiciat eius c. 6. Ibi enim cum περὶ τοῦ φανταστικοῦ agat, primo quidem Stoicorum doctrinam ita persequitur, ut ad verbum fere Doxographorum disputationem reddat[3]), inde a verbis ὄργανα δὲ αὐτοῦ autem (p. 173 M.)

1) Quantum hic consensus in re critica et apud Galenum et apud Nemesium facienda prosit, adparet, si videmus lectiones ὅλον et φερομένη ap. Gal. 616, 15 coniectura inventas in Nemesii codicibus extare. Nec dubito quin v. 14 secundum illum ⟨δια⟩δίδωσιν legendum sit (fort. etiam ἔγνωμεν v. 1 et ἐκκρινομένῳ v. 7, sed cf. 623, 14). Sic etiam si de Nemesii codicibus iudicandum est, magni momenti est quod e recenti codice A_8 (Burkhard 'die handschriftliche Überlieferung von Nemesius π. φ. ἀ.' St. Vindob. X. XI eum littera 𝔄 signat) p. 181 med. M. lectio adnotatur ἄχρι πλείστου συνεχοῦς ἑαυτῇ, reliqui omnes συνέχουσα ἑαυτὴν aut ἑαυτῇ habere videntur. Sed συνεχοῦς habet Galenus p. 617, 2. Apud quem legendum ἄχρι πλείστου — συνεχοῦς αὐτῷ τοῦ πέριξ σώματος ὑπάρχοντος 'acies immutationem in aere qui circum hominem est ubi effecit, statim quam maxime dispergit — scilicet si ea quae circa sunt ei continua sunt' (id quod summi momenti etiam in radio solis esse statim illustratur).

2) Ne quis dubitare posset quem librum significaret, addidit συμφώνως Πλάτωνι. — Rem perspexit iam Hieronymus Mercurialis, medicus Italicus (cf. eius Varias Lectiones quas Venetiis a. 1571 promulgavit, L. IV, fol. 103 b).

3) cf. [Plut.] plac. phil. p. 900 D F, Diels Doxographi p. 401 sqq.

eo transit, ut de sensibus dicat. Qua in parte Galeni ipsa verba maxime e p. 626 repetit; quod ut cognoscamus, pauca adscribam:

Nem. p. 174 M.	Gal. p. 626, 2
καὶ τῷ μὲν γεωδεστάτῳ καὶ cωματικωτάτῳ τῶν αἰcθητηρίων, ὅπερ ἐcτὶν ἡ ἁφή, τῆc γεώδουc φύcεωc αἰcθάνεται.	αἰcθανόμεθα γὰρ ὄντωc τῷ μὲν γεωδεστάτῳ τῶν αἰcθητηρίων, ὅπερ ἐcτὶν ἡ ἁφή, τῆc γεώδουc φύcεωc ἐν τοῖc αἰcθητοῖc.
p. 175 ἔδει τοίνυν κατὰ τοῦτον τὸν λόγον, ἐπειδὴ τέccαρα cτοιχεῖα, τέccαραc εἶναι καὶ τὰc αἰcθήcειc· ἀλλ' ἐπειδήπερ ὁ ἀτμὸc καὶ τὸ τῶν ὀcμῶν γένοc μεταξὺ τὴν φύcιν ἐcτὶν ἀέροc καὶ ὕδατοc . . . . τούτου χάριν πέμπτον αἰcθητήριον, ἡ ὄcφρηcιc, ὑπὸ τῆc φύcεωc ἐξεύρηται.	p. 626, 16 πέμπτον γὰρ δὴ τοῦτο (sc. τὸ τῆc ὀcφρήcεωc) ἐcτὶν αἰcθητήριον, οὐκ ὄντων πέντε cτοιχείων, ἐπειδὴ τὸ τῶν ὀcμῶν γένοc ἐν τῷ μεταξὺ τὴν φύcιν ἐcτὶν ἀέροc τε (sic H) καὶ ὕδατοc, ὡc καὶ Πλάτων εἶπεν ἐν Τιμαίῳ κτλ.

Haec atque similia animadvertentem non iam quemquam dubitaturum esse puto, quin etiam c. 16. disputationem de actione et affectu Nemesius Galeno debeat. Fortasse tamen ibi ea quoque quae ad affectionem affectionisque sensum pertinentia profert, ab eodem mutuata sunt. Quae enim Nemesius eo loco quem modo examinavimus (p. 175) addit: ἔcτι δὲ ἡ αἴcθηcιc οὐκ ἀλλοίωcιc ἀλλὰ διάγνωcιc ἀλλοιώcεωc, ad verbum sumit e Gal. p. 635, 5. 6, eodem autem loco v. 10 sqq. Galenus addit: μόνον γὰρ ἀξιῶ cε μεμνῆcθαι τοῦ διαφέρειν ἀλλήλων τήν τε διάθεcιν, ἣν ἴcχει τὰ cώματα τῆc φύcεωc ἐξιcτάμενα, καὶ τὴν αἴcθηcιν αὐτῆc.

Ex eis vero sententiis quae praeterea apud Nemesium in c. 16. leguntur nulla ita comparata est, ut priorem nostram disputationem memoria si teneamus, e Posidonii libro eam sumptam esse statuendum sit. Quod enim Nemesius inter corporis et animi affectus distinguit, Posidonius multo accuratius hac de re iudicium tulit.

C. 17. περὶ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ Nemesius ita agit, ut initio illud in voluptates et aegritudines dividi dicat, quia cupiditas adsecuta id quod adpetiverit, voluptatem efficiat, non adsecuta aegritudinem gignat. 'Alio autem modo divisa cupiditas quattuor secum species efficit.' Cum enim omnes res extra nos positae aut bonae sint aut malae et aut adsint aut instent, τὰ τῆc ἐπιθυμίαc εἰc τέccαρα διαιρεῖται. Sc. προcδοκώμενον ἀγαθὸν ἐπιθυμία ἐcτίν κτλ. Extremo capite pravos affectus in homine propter malam institutionem, inscientiam, malam indolem nasci refert.

Id Nemesium hoc capite agere, ut Stoicorum de affectibus doctrinam cum Platonica commisceret, supra monuimus. Sed proprie hoc in alteram tantum capitis partem cadit. Nam in priore partis concupiscibilis divisione Stoicorum doctrinae ratio nondum habetur, nec magis ea cum posteriore cohaeret quam alibi divisiones, quas

de eadem re Nemesius plures proponit, inter se cohaerere solent.[1]) Posteriorem vero divisionem aliunde a se arripi nec pro vera spectataque tradi Nemesius ipse significat, cum dicit διό τινες τὸ πάθος εἰς τέσσαρα διαιροῦσιν. Ac de hac quidem re postea dicemus. Quae autem Nemesius de origine affectuum tradit quin e Posidonii sententia dicta sint, dubium non est (cf. Gal. p. 443. 4). Sed apud Aristotelem quoque legimus Eth. Nic. 1179 b 20: γίνεσθαι δ' ἀγαθοὺς οἴονται οἳ μὲν φύσει οἳ δ' ἔθει οἳ δὲ διδαχῇ (cf. Stob. ecl. II, 246; Wachsm. p. 118, 5. 6: ἐκ τριῶν δὲ συμβεβηκέναι τὴν ἀρετὴν τελειοῦσθαι, φύσεως ἔθους λόγου cf. ibid. II, 70; p. 51, 6 W.).[2])

Quodsi ad cap. 18 transimus quo Nemesius περὶ ἡδονῶν agit, ipsa disputationis amplitudo alio modo eum hic progredi indicat.[3]) Ostendit autem primo animi voluptates seiungendas esse ab eis quae et animi et corporis sint. Solius enim corporis voluptates omnino non sunt, quia voluptas sine sensu non fit, sensus autem animi est. Corpori igitur affectus soli tribuendi.[4]) Tum de vario usu nominis ἡδονή, de voluptatibus corporis necessariis et non necessariis dicit (— p. 222 med.), omnino autem eas voluptates bonas et veras voluptates esse addit, quae cum aegritudine coniunctae non sint; has autem e virtute et scientia percipi. Sic autem Platonem quoque inter falsas et veras voluptates distinguere postquam ostendit (p. 223), de definitionibus voluptatis Platonicis et Aristotelicis agit (p. 224—227). Denique a definitione τέλος τῶν τοῦ ζῴου κατὰ φύσιν ἀνεμποδίστων ἐνεργειῶν profectus primum non omnes actiones per motum fieri ob eamque rem etiam ad voluptatem e cogitatione perceptam hanc definitionem quadrare, deinde ut actionum sic voluptatum genera diversa distinguenda esse comprobat.

Haec fere omnia ad Aristotelis sententiam maximeque ad Ethica Nicomachia expressa sunt. Quamquam autem eius sententiae haud parva cum vi iudicandi et libertate inter se coniunguntur (qua de re cf. Apeltium p. 324. 5), tamen Nemesium sic agere potuisse non facile quisquam negabit. Ut enim ad verbum fere alios libros ab eo excerpi saepius iam vidimus, sic aliis locis multo maiore cum libertate eum agere cognoscimus. Sic autem eum hic progredi eo facilius credi potest, quod non modo Aristotelis totam doctrinam penitus ei notam fuisse passim videmus, sed etiam quin ipsa Ethica Nicomachia ab eo adhibita sint, quisquis c. 30 sqq. cum illorum l. III. comparavit (vel etiam c. 15. 16 init. examinavit), dubitare non potest.

---

1) Quam rem Margarites l. l. p. 39. 40 inde explicandam esse putat, quod Nem. morte prohibitus sit opus suum ad umbilicum adducere. Sed talia suspicari ipsa sane re non cogimur: Quam plurima Nem. legentibus dare voluit; utrum vero omnia inter se congruerent necne, neque ipse neque illi magni referre iudicabant.

2) E Galeni libris cf. π. ψυχ. παθῶν καὶ ἁρματ. p. 28, 22 sqq. M.

3) Agit de hoc capite Margarites l. l. p. 12 sqq.

4) Sine ratione haec Apeltio offensioni sunt (p. 327).

Stoicorum vero doctrinae uno tantum loco hic rationem habet, cum dicit (p. 223 extr. M.) τινὲς δὲ κυρίως τὴν τοιαύτην ἡδονὴν χαρὰν λέγουσιν; sed hoc enuntiatum cum reliquis omnino non cohaeret. Quod autem Apeltius p. 222 Posidonii sententias deprehendere sibi visus est, ubi inter sapientem primi et secundi ordinis et reliquos homines Nemesius distinguit, hanc distinctionem inde ortam esse Nemesius ipse significat, quod eis quae praecedunt corporis voluptates aut necessarias et naturales aut non necessarias sed naturales aut neque necessarias neque naturales esse exposuerat. Sed in hac divisione non modo omnino offensioni est, quod voluptates ad vivendum necessariae esse dicuntur — ubi hoc praeter Nemesii locum fiat, profecto non video — sed magis etiam mirum est, quod in *voluptatibus* necessariis cibus et vestimenta numerantur (rectius p. 221 init. αἱ περὶ τὰς τροφάς). Res quomodo explicanda sit, in promptu est dicere. Sc. quae Epicurei de cupiditatibus et desideriis corporis docent, Nemesius ad voluptates transfert (cf. Useneri fr. 456 maximeque Schol. in Arist. eth. Nic. III, 13 p. 1118b 8, ubi item cibus vestimenta res venereae commemorantur).[1]

C. 19—21 Nemesius ita progreditur ut initio singulos affectus sub aegritudinem metum iram subiciendos enumeret definiatque, deinde nonnulla quae ad ipsum de quo agat affectum spectent addat. Nam c. 19 aegritudine quia natura sua malum sit, τὸν θεωρητικόν plane carere, τὸν σπουδαῖον non nisi maximis in rebus affici neque κατὰ πρόθεσιν ἀλλὰ κατὰ περίστασιν perturbari dicit et aegritudinem, si malum bono opponamus, mediocri voluptati, sin malum malo, redundanti voluptati respondere addit. Proximo capite metum per refrigerationem nasci calore ad cor refugiente ubi praemisit, Galeni verbis usus multa addit, quae ad aegritudinis originem spectent.[2]) De ira cum dicit, eius singulis partibus enumerandis non adquiescit, sed eam ipsam aut ita circumscribi posse, ut sit ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος aut cum cupiditate ita coniunctam esse, ut sit cupiditas doloris reponendi addit. Extremo capite iram quasi rationis satellitem esse refert.

Priores horum capitum partes tantopere inter se congruunt, ut si Nemesii ipsius non sint, ex eodem libro adsumpta esse putanda sint; posteriores vero neque inter se aequales sunt neque cum prioribus cohaerent. Immo Nemesius sic agere videtur, ut primo quidem ex uno libro divisiones illas et definitiones affectuum excerpat, tum quae praeterea idonea visa sint addat. Itaque c. 20. Galeni libris

1) cf. Margariten p. 13, qui tamen quid inter Epicurum et Nemesium intersit, non videt. — Quod porro ille putat Nemesium hoc loco vitam monachorum commendare voluisse, talia plane aliena esse mihi videntur.

2) Quo de loco bene disserit Muellerus in libello qui inscribitur 'Über Galens Werk vom wissenschaftlichen Beweis' (Abh. d. bayr. Akad. Phil.-hist. Kl. XX) München 1895.

de demonstratione utitur, c. 21. extremo l. V de Hippocratis et Platonis placitis reminisci videtur, c. 18. ultimum secundum Peripateticorum doctrinam componit. Restat ibi illa hominis cogitationi dediti et boni distinctio, quae a Nemesio iam in c. 18 similem in modum admittitur. Neque negaverim Apeltium recte statuere, cum ad Posidonii doctrinam eam quadrare censeat[1]), sed per se haec res sine dubio tanta non est, ut inde ad Posidonii doctrinam Nemesium se accommodare concludi possit.

Veniamus nunc ad affectuum divisiones capitum initiis propositas. In quibus singulorum affectuum definitiones fere ad verbum e collectionibus definitionum Stoicarum a Diogene aliisque servatis repetuntur. Discedit autem Nemesius ab iis ita, ut minorem affectuum numerum proferat[2]), ut verecundiam recipiat, quae a Stoicis inter εὐπαθείας referatur, denique ut iram eiusque asseclas suo capite tractet. Unde adparet hic quoque id agi, ut Stoicorum de affectibus doctrina cum Platonica conectatur, quo consilio in c. 17. divisionem concupiscibilis partis factam esse supra vidimus. Hanc igitur eiusdem originis esse atque illas cum per se verisimile sit, pro certo habebimus, si et hanc et illas non apud Nemesium solum occurrere cognoverimus. In eo enim lexici fragmento quod G. Hermannus in libello de emendanda ratione grammaticae graecae edidit, p. 328 primo quidem legimus: τέσσαρα εἴδη τοῦ ἐπιθυμητικοῦ μέρους τῆς ψυχῆς, ἐπιθυμία ἡδονὴ φόβος καὶ λύπη. ἐπὶ μὲν οὖν προσδοκωμένου ἀγαθοῦ λέγεται ἐπιθυμία eqs. (sequuntur fere eadem verba atque ap. Nemesium c. 17.). Statim sequitur: τῆς λύπης δὲ ἔτι εἰσὶν εἴδη τέσσαρα, ἄχος ἄχθος φθόνος καὶ οἶκτος. ὧν τὸ μὲν ἄχος ἐστὶ λύπη ἀφωνίαν ἐμποιοῦσα, ὡς καὶ Ὅμηρός φησι·

Πηλείωνι δ' ἄχος γένετο·

διὰ γὰρ τὴν ἐξαίφνης ἔφοδον τῶν ἀκουσθέντων ἢ θεαθέντων εἰς βάθος χωρεῖ τὸ λογιστικόν· τὸ δὲ ἄχθος ἐστὶ λύπη βαροῦσα καὶ διοχλοῦσα τὸν νοῦν ἐπ' ἀβουλήτοις συμπτώμασιν. Invidia et misericordia ut apud Nemesium circumscribuntur. — Denique τοῦ φόβου πάλιν εἴδη ἕξ, ὄκνος αἰδὼς αἰσχύνη κατάπληξις ἔκπληξις ἀγωνία. Haec eodem modo ut ap. Nemesium definiuntur, nisi quod ἔκπληξις dicitur φόβος ἐκ δεινῆς ἀκοῆς καὶ μεγάλης ἀφαιρούσης τὴν αἴσθησιν et ἀγωνία verbis διαπτώσεως τουτέστι omissis φόβος ἀποτυχίας explicatur. Desunt quae apud Nemesium de pudore et verecundia adduntur.

Eaedem igitur divisiones apud hunc grammaticum redeunt atque adeo accuratius (cf. verbi ἄχος explicationem) meliusque ab eo traduntur.[3]) (Nam recte ille divisionem concupiscibilis partis animi fieri vult, Nemesius non bene alio modo divisam *cupiditatem* quattuor

1) Quamquam nomen ὁ θεωρητικός alibi quoque a Posidonio adhiberi evinci non potest (cf. supra p. 563. 4).

2) Qua in re cum Barlaamo congruit.

3) Proinde ne quis putet eum a Nemesio pendere.

secum species efficere dicit. Porro rectius dici potest ἐπὶ προcδοκωμένου ἀγαθοῦ λέγεται ἐπιθυμία quam προcδοκώμενον ἀγαθὸν ἐπιθυμία ἐcτίν). Easdem autem apud alios quoque grammaticos ita expressas legimus, ut modo ad grammaticum Hermanni modo ad Nemesium propius accedant cf. Crameri Anecdota Ox. I, 429 et II, 422 s. v. φόβοc, I p. 7 (ad A 183 quo versu grammaticus Hermanni utitur) s. v. ἄχοc: τὸ γενικόν ἐcτιν ἡ λύπη καὶ εἴδη αὐτῆc δ' κτλ., I p. 263 et II p. 388 s. v. λύπη. Denique ne ira quidem ibi deest; nam I p. 197 s. v. θυμόc legimus: Ποίου εἴδουc τῶν ὑποπεπτωκότων; εἰ μὲν cημαίνει τὴν ψυχήν, γενικοῦ· εἰ δὲ τὴν ὀργήν, εἰδικοῦ. Τί διαφέρει μῆνιc ὀργὴ χολὴ κότοc θυμόc; μῆνιc μέν ἐcτιν ἡ ἐπίμονοc ὀργὴ ἀπὸ τοῦ μένω· χόλοc οἱονεὶ κίνηcιc χολῆc καὶ αὕτη ἐπ' ὀλίγου χρόνου γίνεται· κότοc δὲ πολυχρόνιοc μνηcικακία ἀπὸ τοῦ κεῖcθαι· ὀργὴ ἡ ἐπ' ὀλίγον χρόνον ἀπὸ τοῦ ὀργᾶν· θυμὸc δὲ ζέcιc τοῦ περικαρδίου αἵματοc ἀπὸ τοῦ θύειν τουτέcτι μανικῶc ὁρμᾶν.

Atque hoc quidem loco μῆνιc κότοc κτλ. in eodem ordine cum verbo θυμόc ponuntur, sed apud eum auctorem, cui grammaticus sua deberet, similiter atque apud Nemesium rem se habuisse non modo inde adparet, quod definitio verbi θυμόc multum a reliquis distat[1]), sed ex alio quoque loco concludendum est, cf. schol. ad Aristoph. Ranas v. 844: θυμὸc γάρ ἐcτι ζέcιc τοῦ περὶ τὴν καρδίαν αἵματοc δι' ὄρεξιν ἀντιλυπήcεωc κινούμενοc· ἡ ὀργὴ ἐναρχομένη — sequuntur definitiones verborum κότοc μῆνιc χόλοc ὀργή.[2])

Haec animadvertenti dubium esse non potest, quin et Nemesius et grammatici illi breviario quodam usi sint, in quo Stoicae affectuum definitiones inessent ad Platonis de tribus animi partibus (vel facultatibus) accommodatae. Quodsi quaerimus num forte hoc, ipsam originem si respicimus, secundum Posidonii disputationem confectum esse videatur, primum tenendum est iram a Posidonio sub cupiditate poni non potuisse. Deinde quae de definitione irae ibi legebantur, si e Nemesio et e scholio modo adlato coniecturam facere licet, olim non procul afuerunt ab eis quae Posidonius protulisse videtur (cf. supra p. 582—586. Tum Posidonius cum propter concupiscibilem partem animi natura voluptatem homines adpetere, dolorem fugere censeret, doctrinae Stoicae rationem ita habere potuit, ut sub ipsam concupiscibilem facultatem voluptatem et aegritudinem impetumque hanc fugiendi illam adpetendi subiceret. — Interest tamen utrum voluptas adpeti dicatur an bonum aliquod, ut apud Nemesium fit. Praeterea neque quae de cupiditate neque quae de metu dicuntur in breviario,

---

1) Fortasse etiam dum de speciali et generali verbi θυμόc significatione agitur, quamquam grammaticus ipse notissimam eius apud Homerum notionem respicit, de ira modo sub cupiditatem subiungenda modo cum ea adaequanda cogitari potest.

2) Unde adparet definitionem quoque verbi θυμόc a Nemesio non ex Aristotelis libris aliundeve adferri, sed a reliquis separari non posse.

ad Posidonium referenda esse mihi videntur. Illam enim vix ita definire potuit, ut esset *expectatio* boni, sed potius *adpetitio* ei commemoranda fuit; hunc mihi ab ea animi facultate seiunxisse non videtur, cuius virtus fortitudo esset.

Omnino autem auctor, cui illud breviarium debetur, nihil de suo dedit nisi eam ipsam doctrinam, qua iram a cupiditate revelleret et quattuor generales affectus sub facultatem concupiscibilem subiceret. Quod enim minore definitionum numero adquievit[1]), id mihi tum magni momenti videbitur, cum aliquis mihi ostenderit, quo consilio illas elegerit.[2]) In ea vero parte, in qua largissime sua deprompturum esse illum speramus, eam dico qua de ira agitur, spes vehementer nos fallit. Subiciuntur enim sub iram ὀργὴ χόλος (qui sec. Nemesium ab ὀργή non differt) μῆνις κότος, quae item in Stoicarum definitionum collectionibus reperiuntur, ac tum apud Nemesium certe et in scholio adlato[3]) eorum definitiones ad verbum secundum Stoicos adscribuntur, nisi quod Nemesius ad verbum ὀργή transfert, quae illi de verbo θυμός praedicant (θυμός — ὀργὴ ἐναρχομένη).[4])

Quodsi quis tali modo Posidonium progressum esse putat, non facile refelli potest; mihi verisimilius videtur illum has quaestiones non curasse, e posterioribus autem quendam cum eius doctrinam probasset, ut haberet quod collectionibus definitionum vere Stoicarum opponeret, haec concinnasse. Cuius nomen nec scimus nec multum interest scire. Fuit fere saeculo p. Chr. n. I. vel altero; nam post id tempus genuina Stoicorum doctrina sola floruisse videtur.

Ut igitur breviter quid de Nemesii disputatione iudicem comprehendam, non ad unius auctoris continuam disputationem ille se accommodat, sed undique quae ad rem facere videantur arripit, ita ut nunc breviario quodam utatur nunc Aristotelem ipsum adeat nunc e Galeni libris[5]) nunc nescio quo alio ex fonte hauriat. Posi-

---

1) 'Die weise Enthaltsamkeit in der Aufzählung der Unterarten' Apelt. p. 315. — Similiter egit auctor Barlaami ethicorum.

2) Equidem certum consilium indagare non possum, nisi quod singula paria comparari videntur φθόνος — ἔλεος, ἄχος — ἄχθος; αἰσχύνη — αἰδώς, ἔκπληξις — κατάπληξις. Fortasse etiam numeri ille rationem habuit; occurrunt enim numeri IV, VI, IV, IV. (Nam etiam sub iram apud grammaticos quattuor subiciuntur.)

3) Grammaticus Crameri (I p. 197) etymologias substituit.

4) κότος propter illos explicatur ὀργὴ ἐπιτηροῦσα καιρόν, non θυμὸς ἐπιτηρῶν!

5) Atque huic quidem fortasse multo plura debet quam sine dubitatione ei tribuere possumus. Libros enim de demonstratione, quorum e tertio alteram capitis 20. partem sumit, etiam p. 36 Antv. ita adhibet, ut unde hauriat indicet. Sed indidem haud scio an totam de sensibus disputationem sumpserit. Nam p. 76. 77 et 80 Antv. Galeni libro VII. de Hippocrate et Platone utitur (cf. supra p. 602). Quodsi videmus Galenum in ea ipsa disputatione qua Nemesius utatur (p. 623 Ml. utitur in sua p. 80, 626 Ml. p. 76. 77), eos qui plura de singulorum sensuum vi per-

doniana vero si quae praeter locum supra examinatum insunt, non ex ipsa eius disputatione sed per alios ad eum pervenerunt.

Cum autem Apeltius affectus definitionem qua dicitur κίνηcιc τῆc ὀρεκτικῆc δυνάμεωc αἰcθητὴ ἐπὶ φαντασίᾳ ἀγαθοῦ ἢ κακοῦ (Nem. c. 16) pro Posidoniana habeat, pauca de ea addam. Quam in sententiam ea re deductus est, quod cum Hirzelio (Unt. II, 464 adn. 2) verbum πάθοc dupliciter a Posidonio adhibitum esse censet, ita ut aut motum facultatum irrationalium supra naturae modum redundantem significaret aut omnibus earum motibus, sive contra naturam essent sive non essent, tribuerentur. Sed cur Posidonius praeter Zenonis definitiones, quas ab eo probatas esse vidimus, aliam ampliorem admittere voluerit, non video. Immo si admisit, necessario eius rationem habere debuit, ubi de affectus et actionis notione disserebat. Sed ibi affectus nomen motibus irrationalium facultatem tribui posse inde demonstratur, quod unius facultatis actio affectus reliquarum esse potest. Hoc tamen de eis tantum motibus praedicatur, quae non modo sensibus percipi possint, sed reliquas facultates totumque hominem secum abripere valeant (cf. Galeni p. 492, 6 et ea quae de verbis αἰcθητόc et ἄμετροc in Nem. c. 16 disputavi). Altera ratio est, quod nomen affectus omnibus actionibus indi potest, quae contra naturam sunt. Illud παρὰ φύcιν autem iterum redundantia impetus explicatur. Recte igitur sapienti ἀπάθεια tribui potest, cum sit is animo status, in quo impetus *redundare* non possit.[1])

cipere velint, ad librum V. de demonstratione relegare (p. 624, l. 9—11; cf. 638, 7. Etiam p. 637, 7 sqq. utitur Nem. p. 80), nonne necessario Nemesius cum plura de ea re dicturus esset, hos libros, cum ei in manibus essent, evolvisse et adhibuisse putandus est? Illis enim libris Galenum non tam quaestiones ad logicam pertinentes solvisse quam ostendisse qua via ac ratione verum indagandum esset, et hanc doctrinam ipsam statim exemplis illustravisse iam ante haec tria saecula vidit medicus ille Italicus, qui supra iam mihi commemorandus fuit, Hieronymus Mercurialis (cf. eius Varr. Lectt. IV fol. 104) et nuper accuratius exposuit Iw. Mueller in libello qui inscribitur 'Über Galens Werk vom wissenschaftlichen Beweis' (Abh. d. k. bayr. Akad. d. Wiss. Cl. I B. XX. München 1895). Qui recte statuit toto l. V. (fortasse etiam l. VI. et VII.) de sensuum vi Galenum disputavisse (l. l. p. 63—65).

1) Cum pueros κατὰ πάθοc vivere dicit (cf. Hirzelium II p. 464 adn. 2), Posidonius eos rationi nondum obtemperare et nisi ab aliis coerceantur, redundantiae impetus semper cedere significat. Nomine παθητικόν autem facultates irrationales comprehendi possunt, quod ex eis solis affectus nascuntur. Quod denique secundum Galenum p. 405, 13 Posidonius affectus κινήcειc τινὰc ἑτέρων δυνάμεων ἀλόγων, ἃc ὁ Πλάτων ὠνόμαcεν ἐπιθυμητικήν τε καὶ θυμοειδῆ esse dixit, eo loco non de definitione affectuum agitur, sed contra Chrysippum Posidonius non e iudicio rationis sed e motu facultatum irrationalium affectus nasci contendit; qualis vero motus esset, ibi dicere eius non intererat.

De ipsis Posidonii libris περὶ παθῶν.

Inscripsit Posidonius disputationem suam περὶ παθῶν, si quidem Galenus p. 448, 5 dicit κατὰ τὸ πρῶτον περὶ παθῶν et p. 445, 8 κατὰ τὸ πρῶτον περὶ παθῶν cύγγραμμα. Quod autem idem saepius τὴν περὶ παθῶν πραγματείαν commemorat (348, 17 al.), verbo πραγματεία non ipsam inscriptionem sed librorum genus ad quod illa disputatio pertineat, indicat.

Plures uno libros de affectibus a Posidonio compositos esse inde adparet, quod Galenus eis locis quos modo adtuli, librum primum nominat. Quot autem libri fuerint aut quid in posterioribus libris Posidonius protulerit, non traditur.

Forma disputationis qualis fuerit ut cognoscamus, haec ipsius Posidonii verba a Galeno (p. 453, 15. 6) servata examinemus: οἶμαι γάρ, ὅτι πάλαι βλέπετε, πῶc διὰ λόγου μὲν πειcθέντεc κακὸν ἑαυτοῖc παρεῖναι ἢ ἐπιφέρεcθαι οὔτε φοβοῦνται οὔτε λυποῦνται κτλ. Quae dum legimus, facile in eam sententiam deducimur, ut dialogum in Aristotelis fere morem a Posidonio compositum esse iudicemus. Sed hanc formam artificiosam si habuisset, disputatio Posidoniana πραγματεία a Galeno vocari non potuit; neque omnino artificiosae compositioni Posidonium studuisse fragmenta ipsa ad verbum servata indicant. Non enim modo hiatus minime evitat (cf. p. 376 in. in uno enuntiato: εἶναι ἀγαθά, πάντα οὐκ ἐμπαθῶc, qui tamen pausa excusatur, κινοῦνται ὑπό, γινόμενοι ἐπί) sed ne reliqua quidem ornamenta orationis petit: Ut in vulgari sermone leniter fluit oratio, poetarum versus non nisi uno loco (p. 372, 12) in testimonium vocantur, argumenta singula inter se particulis δέ, τέ coniunguntur, in enuntiatis conformandis perspicuitas sola quaeritur, rhetorum praecepta non observantur. Immo dum recte et dilucide sententiam pronuntiet, invenuste verba coniungere (velut p. 376, 1 διὰ τὸ μέγα αὐτὸ ἀγαθὸν ὑπολαμβάνειν οἴεcθαι δεῖν) aut eandem rem bis terve eisdem fere verbis exprimere (cf. supra p. 547 adn. 2) non veretur.

Quae dicendi neglegentia cum ad dialogum non quadret, in verbis quae supra adscripsi: οἶμαι ὅτι πάλαι βλέπετε ipsius Posidonii adlocutio inesse videtur. Potuit enim haec dicere, sive inter discipulos sententias suas pronuntiaturus erat sive λόγον προcφωνητικόν pluribus destinatum componebat.[1]

---

1) Sententias verbaque quae ad Posidonii libros π. παθῶν pertineant, dum restituam, primum quidem operam dabo, ut illorum conexum sententiarum qualis e Galeni reliquorumque auctorum libris concludi possit reddam (et ubi quaeque inveniantur, uti par est, indicem). Fragmenta ad verbum servata quantum fieri poterit suis locis inseram; ex eis vero locis quibus Posidonius ita nominatur, ut non verba eius sed sententiae adferantur, paucos ad verbum adscribam.

Initio Posidonius quanti momenti esset de affectibus recte iudicare, ostendit; dixit enim κατὰ τὸ πρῶτον περὶ παθῶν οὐ μετὰ πολλὰ τῆς ἀρχῆς τοῦ βιβλίου· (Gal. 448, 9 sqq.)

νομίζω γὰρ καὶ τὴν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ τὴν περὶ τελῶν καὶ τὴν περὶ ἀρετῶν ἐκ τῆς περὶ παθῶν ὀρθῶς διασκέψεως ἠρτῆσθαι. 5

Quaeritur autem maxime, irrationaliumne quarundam facultatum animi motus affectus an iudicia sint an saltem secundum iudicia nascantur (335, 13). Nam Plato affectus velut amorem et iram irrationalibus quas in animo statuit, facultatibus, concupiscibili 10 et irascibili, gigni censet (405, 13. 4). Nec Zeno plane ab eius sententia discedit. Putat enim affectus secundum iudicia nasci, non autem ipsos rationales esse sed irrationales esse animorum elationes et demissiones (τὰς ἐπὶ ταύταις ἀλόγους συστολὰς καὶ ταπεινώσεις καὶ δήξεις ἐπάρσεις τε καὶ διαχύσεις 348, 10. 1). Quamobrem 15 affectum ita definit, ut sit ἄλογός τε καὶ παρὰ φύσιν κίνησις ψυχῆς vel πλεονάζουσα ὁρμή (338, 4. 5). Chrysippus vero has ipsas definitiones retinet; cum tamen animum totum rationalem esse statuat, affectus in ratione consistere iudiciaque esse censet. In ipsis autem definitionibus enarrandis ea pronuntiat, e quibus manifesto eam 20 sententiam falsam esse adpareat (p. 338).[1] Ait enim ille: δεῖ δὲ πρῶτον ἐντεθυμῆσθαι, ὅτι τὸ λογικὸν ζῷον ἀκολουθητικὸν φύσει ἐστὶ τῷ λόγῳ καὶ κατὰ τὸν λόγον ὡς ἂν ἡγεμόνα πρακτικόν. πολλάκις μέντοι καὶ ἄλλως φέρεται ἐπί τινα καὶ ἀπό τινων ἀπειθῶς τῷ λόγῳ ὠθούμενον ἐπὶ πλεῖον, καθ' ἣν φορὰν ἀμφότεροι ἔχουσιν 25 οἱ ὅροι τῆς παρὰ φύσιν κινήσεως ἀλόγως οὕτως γινομένης καὶ τοῦ ἐν ταῖς ὁρμαῖς πλεονασμοῦ. τὸ γὰρ ἄλογον τουτὶ ληπτέον ἀπειθὲς λόγῳ καὶ ἀπεστραμμένον τὸν λόγον, καθ' ἣν φορὰν καὶ ἐν τῷ ἔθει τινά[ς] φαμεν ὠθεῖσθαι καὶ ἀλόγως φέρεσθαι ἄνευ λόγου κρίσεως· καὶ γὰρ οὐχὶ εἰ διημαρτημένως φέρεται καὶ παριδών τι κατὰ τὸν 30 λόγον, ταῦτα ἐπισημαινόμεθα, ἀλλὰ μάλιστα καθ' ἣν ὑπογράφει φοράν, οὐ πεφυκότος τοῦ λογικοῦ ζῴου κινεῖσθαι οὕτως κατὰ τὴν ψυχὴν ἀλλὰ κατὰ τὸν λόγον. ac statim (Gal. 339, 13): κατὰ τοῦτο δὲ καὶ ὁ πλεονασμὸς τῆς ὁρμῆς εἴρηται διὰ τὸ τὴν καθ' αὑτοὺς καὶ φυσικὴν τῶν ὁρμῶν συμμετρίαν ὑπερβαίνειν· γένοιτο δὲ ἂν τὸ λεγό- 35 μενον διὰ τούτων γνωριμώτερον, οἷον ἐπὶ τοῦ πορεύεσθαι καθ' ὁρμὴν οὐ πλεονάζει ἡ τῶν σκελῶν κίνησις, ἀλλὰ συναπαρτίζει τι τῆς ὁρμῆς, ὥστε καὶ στῆναι, ὅταν ἐθέλῃ, καὶ μεταβάλλειν. ἐπὶ δὲ τῶν τρεχόντων καθ' ὁρμὴν οὐκέτι τοιοῦτον γίνεται, ἀλλὰ πλεονάζει

Adn. crit. v. 14 sic H v. 21 ἐντεθυμῆσθαι sic H. 28 τινά em. Ml. 29 ὡς εἰ H. καὶ οὐχὶ εἰ Ml., cf. supra p. 589. 90 37 τῇ ὁρμῇ Ml. (συναπ. = comitatur moderans)

1) Quae modo enarravi, sine dubio Posidoniana sunt et in prooemio locum habuerunt; num vero singula eodem ordine prolata sint, dici non potest.

παρὰ τὴν ὁρμὴν ἡ τῶν σκελῶν κίνησις, ὥστε ἐκφέρεσθαι καὶ μὴ μεταβάλλειν εὐπειθῶς οὕτως εὐθὺς ἐναρξαμένων. αἷς οἶμαί τι παραπλήσιον καὶ ἐπὶ τῶν ὁρμῶν γίνεσθαι διὰ τὸ τὴν κατὰ λόγον ὑπερβαίνειν συμμετρίαν, ὥσθ', ὅταν ὁρμᾷ, μὴ εὐπειθῶς ἔχειν πρὸς
5 αὐτόν, ἐπὶ μὲν τοῦ δρόμου τοῦ πλεονασμοῦ λεγομένου παρὰ τὴν ὁρμήν, ἐπὶ δὲ τῆς ὁρμῆς παρὰ τὸν λόγον. συμμετρία γάρ ἐστι φυσικῆς ὁρμῆς ἡ κατὰ τὸν λόγον καὶ ἕως τοσούτου [καὶ], ἕως αὐτὸς ἀξιοῖ. διὸ δὴ καὶ τῆς ὑπερβάσεως κατὰ τοῦτο καὶ οὕτως γινομένης πλεονάζουσά τε ὁρμὴ λέγεται εἶναι καὶ παρὰ φύσιν καὶ
10 ἄλογος κίνησις ψυχῆς.

Priore igitur oratione Chrysippus verbum ἄλογος ita interpretatur, ut aversionem a ratione significet, propter quam affectus illi non oboediat.[1]) Quod cum dicit, neque rebus anima carentibus neque brutis animalibus affectus tribuendos esse statuit, cum a ratione
15 se avertere non possit nisi qui eam habeat. Verbis autem οὐχὶ εἰ διημαρτημένως κτλ. recte inter affectus ex aversione a ratione natos et errores logicos lapsu iudicii commissos distinguit. Quod quam recte fecerit, cognoscemus, si cum Medea liberos trucidante eum comparaverimus, qui servandae patriae causa eos morti tradit. Hic
20 enim honesti specie ducitur et iudicio quodam utitur, illa quamquam scit, quid commissura sit, a ratione aversa iram sequitur.[2]) At Chrysippus ipse cum affectum ob eam rem irrationalem esse statuit, quod sit motus a ratione aversus, in iudicio rationis eum ponendum non esse confitetur. Neque enim fieri potest, ut quidquam a se ipsum
25 se avertat.[3])

Sed alterius quoque definitionis enarratio maximeque currentium exemplum, quo Chrysippus utitur, declarat affectum non ratione sed aliis quibusdam facultatibus gigni. Id quod perspicuum erit, si cognoverimus, qua re fiat, ut multi qui currant quando voluerint, stare
30 non possint.[4]) Hoc enim cum eis solis accidat, qui per declive aut pronis corporibus currant, causam cur statim consistere non possint, eam esse adparet, quod utrisque motus non modo rationis voluntate sed etiam corporis pondere efficitur. Quamobrem voluntatis imperium non sufficit ad motum finiendum, sed illa quoque vis in
35 actione esse desinat necesse est. Contra eorum qui per aequum campum aut supinis corporibus currunt, motus cum voluntate sola effecti sint, eiusdem solius iussu terminantur. Eodem modo animi impetus si ratione sola effectus est, eius imperio oboedit, at supra modum a ratione datum redundat, si aliis animi facultatibus irratio-
40 nalibus gignitur. Tum enim motus si ab illis solis profectus est,

Adn. crit. 2 αἷς — ταῖς τῶν σκελῶν κινήσεσιν (οἷς Ml.) 7 [καὶ] Ml.

1) Ad ea quae sequuntur cf. supra p. 540 sqq., Galeni p. 341—347.
2) Gal. p. 342, 15 sqq. 3) ib. p. 343, 10 sqq.
4) ib. p. 344 init.

solis etiam regitur, sin ratio una cum eis in actione est, fieri potest, aut ut illae inter se consentiant (neque unquam motus tum consistere potest) aut ut altera facultas alteram vincat motumque gubernet.[1] Qua in re discrimen positum est, quod extat inter intemperantes et incontinentes. In illis enim ratio cum cupiditate adeo consentit, ut voluptates pro summo bono habeat proptereaque cupiditates sponte sequatur; hi quamquam voluptatem ad quam cupiditas feratur malam esse statuunt, irrationalis motu vehementi abripiuntur. Similiter quid inter temperantes et continentes intersit, explicandum est.[2]

Chrysippi ipsius igitur exemplum testimonio est affectum cum rationi non oboediat et ultra eius voluntatem redundet, facultate animi a ratione diversa gigni. Quam si negamus, quae est tandem causa, cur impetus animi redundet? Ratione enim ipsa effici non potest, ut impetus modum a ratione datum excedat.[3]

Quodsi Chrysippus ex hac difficultate ita extricare se posse sibi videtur, ut impetum non secundum iudicia nasci sed ipsum iudicium esse statuat[4]), primum quidem dicendum est, verbum κρίcιc dupliciter ab eo usurpari. Cum enim in priore definitione enarranda verbum ἄλογοc ita interpretetur, ut sit ἄνευ κρίcεωc, ibi si Chrysippus sibi constat, haec verba idem valere debent atque ἄνευ περιcκέψεωc.[5] Nunc autem cum affectus iudicia esse censet, hoc verbo adsensiones iudicia impetus comprehendit. Sed licet eum secuti has actiones ita confundamus, ut πλεονάζουcα ὁρμή idem valere dicamus atque πλεονάζουcα cυγκατάθεcιc[6]), illa quidem adsensio sine dubio ratione regitur[7]), sed qui fiat, ut adsensio redundet ac modum a ratione praescriptum excedat, non minus quaerendum est.[8]

Quae autem secundum Chrysippi doctrinam responderi possint, minime sufficiunt. Illa enim redundantia adsensionis, si eius doctrinam sequimur, sine dubio in eo ponenda est, quod iudicium hominis amplius quam decet effertur, ita ut oportere et ad officium pertinere statuat in affectu esse et a ratione se avertere. Quamobrem etiam sapientium et proficiscentium exemplis utitur, qui quamquam summa bona vel mala sibi adesse putent, tamen quod opinio officiosi affectus

---

1) cf. Galeni p. 344—346.

2) cf. Galeni p. 346, 14 sqq. Ad rem cf. Arist. eth. Nic. 1102^{b} 14 sqq. 1150^{b} 29 sqq., Plut. ἠθ. ἀρ. 445 B sqq.

3) Gal. p. 349 in., supra p. 541.

4) Gal. p. 348, 5 sqq., sed confer supra p. 542.

5) cf. Galeni p. 349, 12—350, 1.

6) cf. Stob. ecl. II, 164 H (p. 88 in. W) πάcαc δὲ τὰc ὁρμὰc cυγκαταθέcειc εἶναι, τὰc δὲ πρακτικὰc καὶ τὸ κινητικὸν περιέχειν cf. Plut. ἠθ. ἀρ. 447 A. Verbis πλεονάζουcα cυγκατάθεcιc autem Chrysippus usus non est. (Cf. supra p. 549.)

7) Hoc enuntiatum addo cf. p. 542 adn. 1.

8) cf. Gal. p. 350 init.

desit, non perturbentur. Ut autem ad eam ipsam opinionem homines deducantur, magnitudine opinati boni fieri censet.[1])

τοιούτων δὲ ὑπὸ τοῦ Χρυσίππου λεγομένων διαπορήσειεν ἄν τις πρῶτον μέν, πῶς οἱ σοφοὶ μέγιστα καὶ ἀνυπέρ-
5 βλητα νομίζοντες εἶναι ἀγαθὰ τὰ καλὰ πάντα οὐκ ἐμπαθῶς κινοῦνται ὑπὸ αὐτῶν ἐπιθυμοῦντές τε ὧν ὀρέγονται[2]) καὶ περιχαρεῖς γινόμενοι ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς, ὅταν τύχωσιν αὐτῶν. εἰ γὰρ τὸ μέγεθος τῶν φαινομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν κινεῖ τὸ νομίζειν καθῆκον καὶ κατὰ ἀξίαν εἶναι παρόντων αὐτῶν
10 ἢ παραγινομένων ⟨ἐν πάθει γίνεσθαι⟩ καὶ μηδένα λόγον προσίεσθαι περὶ τοῦ ἄλλως δεῖν ὑπὸ αὐτῶν κινεῖσθαι, τοὺς ἀνυπέρβλητα νομίζοντας εἶναι τὰ περὶ αὐτοὺς τοῦτο ἔδει πάσχειν, ὅπερ οὐχ ὁρᾶται γινόμενον. ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τοὺς προκόπτοντας [ἢ] μεγάλας βλάβας ὑπὸ τῆς κακίας ὑπο-
15 λαμβάνοντας παρεῖναι· ἔδει δὲ καὶ ὑποφέρεσθαι φόβοις καὶ λύπαις περιπίπτειν μὴ μετρίαις, ὅπερ οὐδὲ αὐτὸ συμβαίνει. εἴ τε[3]) πρὸς τῷ μεγέθει τῶν φαινομένων καὶ τὴν ἀσθένειαν τῆς ψυχῆς αἰτιάσονται καὶ διὰ τοῦτο τοὺς μὲν σοφοὺς τὸ παράπαν ἐροῦσιν ἀπηλλάχθαι τῶν παθῶν, τοὺς δὲ φαύ-
20 λους ⟨εὐεμπτώτους εἶναι⟩, ὅταν ἀσθενεῖς ὦσι μὴ κατὰ τὴν κοινὴν ἀσθένειαν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐπὶ πλεῖον ἐρρυηκυῖαν, οὐδὲ οὕτως λέλυται τὸ ζητούμενον. ὅτι γὰρ διὰ τὴν νόσον τῆς ψυχῆς ἐν τοῖς πάθεσι γίνονται, πάντες ὁμολογοῦσι· πῶς μέντοι γε κινηθείσης καὶ πῶς κινούσης, ζητεῖται μέν,
25 οὐχ ὑποδείκνυται δέ. οὐ μόνον[4]) δὲ οἱ ἐπὶ πλέον ἐρρυηκυῖαν ἔχοντες τὴν κακίαν καὶ ἐν ταῖς εὐεμπτωσίαις ὄντες ἐμπίπτουσιν εἰς τὰ πάθη, ἀλλὰ πάντες οἱ ἄφρονες, ἕως ἂν ἔχωσι τὴν κακίαν, καὶ εἰς μεγάλα πάθη καὶ εἰς μικρὰ ἐμπί-

Adn. crit. 4 μέγιστοι M (H deest usque ad 371, 18 Ml.) 5 ἐμπαθῶν M 10 haec suppleam cf. ἄλλως v. 11, Bake del. καί 13 εἰς sc. διαπορήσειεν ἄν τις (cf. 311, 2; 579, 8; 379, 4), εἰς et δέ (v. 15) del. Ml. 14 [ἢ] Ml. 18 αἰτοιάσοιντο M. αἰτιάσοιντο A, em. Ml. cf. supra p. 546 adn. 3 20 ὅτε MA (ζῶσι pro ὦσι Ml.) 21 ἐρρυκυῖαν MA, ἐρρυηκυῖαν Ml. cf. v. 25 25 ἐρρυκυῖαν A 27 μάθη M

1) Haec a Posidonio ita disputata esse concludendum est ex eis quae sequuntur fragmentis et e Gal. p. 369, 7 sqq. (cf. p. 548). Exempla sapientium et proficiscentium a Chrysippo adhibita esse adparet e p. 458, 13—15; 454, 9. 12 (cf. supra p. 569 adn. 2). Ad rem cf. Cic. Tusc. 28, 68. 69. — De conexu eorum quae sequuntur (Gal. p. 370 sqq.) cf. supra p. 545 sqq.

2) 'ita ut effuse adpetant quae cum ratione adpetunt' (cf. περιχαρεῖς). Posidonius hic ad Chrysippi usum verborum vim prementis se accommodat. (Non recte Hirzelius II, 387.)

3) Ante εἴ τε Galenus: τούτοις δὲ ἐφεξῆς ὁ Ποσειδώνιος καὶ τάδε γράφει· (p. 370, 15).

4) Ante οὐ μόνον Galenus (p. 371, 9): εἶτα ἐφεξῆς καὶ τάδε γράφει·

πτουcι. τὸ δὲ[1]) ὑπολαμβάνειν κατὰ ἀξίαν εἶναι τῶν cυμβεβηκότων οὕτως κεκινῆcθαι, ὥcτε ἀποcτρέφεcθαι τὸν λόγον, μέγα πάθοc ἐμφαίνει †οὐ καλῶc ὑπολαμβάνειν ἐcτί· γίνεται δὲ καὶ διὰ cύμμετρον καὶ μικρόν. δυοῖν[2]) τε τὴν αὐτὴν ἀcθένειαν ἐχόντων καὶ τὴν ὁμοίαν λαμβανόν- 5 των φαντασίαν ἀγαθοῦ ἢ κακοῦ ὁ μὲν ἐν πάθει γίνεται, ὁ δὲ οὔ, καὶ ὁ μὲν ἧττον, ὁ δὲ μᾶλλον, καὶ ἐνίοτε ὁ ἀcθενέcτεροc μεῖζον ὑπολαμβάνων τὸ προcπεπτωκὸc οὐ κινεῖται καὶ ὁ αὐτὸc ἐπὶ τοῖc αὐτοῖc ὁτὲ μὲν ἐν πάθεcι γίνεται, ἔcτιν ὅτε δὲ οὒ καὶ ὁτὲ μὲν μᾶλλον, ὁτὲ δὲ ἧττον. οἱ γοῦν 10 ἀήθειc μᾶλλον πάcχουcιν ἐν φόβοιc ἐν λύπαιc ἐν ἐπιθυμίαιc ἐν ἡδοναῖc καὶ οἱ κακώτεροι cυναρπάζονται ταχέωc ὑπὸ τῶν παθῶν.

Gal. p. 372, 12—14: ἐφεξῆc δὲ τούτων ὁ Ποcειδώνιοc ῥήcειc τε ποιητικὰc παρατίθεται καὶ ἱcτορίαc παλαιῶν πράξεων μαρτυ- 15 ρούcαc οἷc λέγει. καὶ μετὰ ταῦτα ἐπιφέρων φηcί·

τὸ μὲν ἄρα κακὸν ὑπὸ τοῦ ἀcυνήθουc ταχὺ cυναρπάζεται, τὸ δὲ ἐναντίωc †ἡγμένον χρόνῳ μεταcυνεθιζόμενον· ἐν οἷc αἱ μὲν ὑπολήψειc ἴcαι πολλάκιc καὶ τὰ τῆc ἀcθενείαc, τὰ πάθη δὲ οὔτε ἐπὶ ἴcηc οὔτε ἴcα γίνεται. διὰ[3]) 20 τί δέ τινεc τῶν μεγάλα νομιζόντων καίπερ ἀcθενεῖc ὄντεc ταῖc γνώμαιc βουλεύονταί τε καὶ cυμφράδμοναc ἄλλουc παραλαμβάνουcιν; ὡc ὁ διαγρυπνῶν Ἀγαμέμνων· οὗτοc γὰρ διὰ τὴν τροπὴν εὐθὺc ἅμα τοῖc ἄλλοιc ἀριcτεῦcιν ἀρρήτῳ τινὶ πένθει βέβλητο κατὰ τὸν ποιητήν. λωφήcαντοc 25 δὲ τοῦ πάθουc καίπερ τῆc τῶν cυμβεβηκότων ὑπολήψεωc ἅμα ⟨τε⟩ τῆc τῶν λογιcμῶν ἀcθενείαc διαμενούcηc οὐδαμῶc ἡcυχάζειν ἐδοκίμαζεν·

'ἥδε δέ οἱ κατὰ θυμὸν ἀρίcτη φαίνετο βουλή,
Νέcτορ' ἐπὶ πρῶτον Νηλήιον ἐλθέμεν ἀνδρῶν, 30
εἴ τινά οἱ cὺν μῆτιν ἀμύμονα τεκτήναιτο,
ἥτιc ἀλεξίκακοc πᾶcιν Δαναοῖcι γένοιτο.'

Adn. crit. 3 suspicor καὶ οὐχ ἁπλῶc cf. supra p. 547 adn. 1 (et Gal. 369, 10) 9 πάθει ci. Bake 9—10 ὅτε μὲν — ὅτε δέ H 10 γοῦν Ml. οὖν H 12. 3 utrum sani sint necne dubito; fort. ante καὶ inserendum ⟨εἰ⟩ 18 τό τ' H, τὸ δ' Bake Fort. ἢ γ⟨ενό⟩μενον χρόνῳ ⟨ἢ⟩ μεταcυνεθιζόμενον cf. quae de verbi ἀθρόωc vi disputavi p. 551 adn. 1. 20 ἐπίcηc H, corr. Kuehn 21 μεγλ' H, μεγάλων MA (cf. Petersenum) 27 τε inserui (καὶ Kuehn, τῇ — ἀcθενείᾳ ci. Ml.) 29—32 cf. K. 17—20 31 τεκτήνοιτο H

---

1) Ante τὸ δὲ Gal. p. 371, 13: καὶ τούτων ἑξῆc τάδε·

2) Ante δυοῖν τε Gal. p. 372, 2. 3 ἐχόμενα δὲ τούτων ὁ Ποcειδώνιοc καὶ τάδε γράφει·

3) Ante διὰ Galenus p. 373, 2. 3 καὶ μὴν καὶ τούτων ἑξῆc τοιάcδε τινὰc ἐρωτήcειc ἐρωτᾷ· παραγράψω δὲ καὶ ταύταc αὐτοῖc ὀνόμαcι . . .

ἐπεὶ δὲ καὶ αὐτὸς ὁ Νέστωρ θεασάμενος διὰ τῆς ὄρφνης πόρρωθεν προσιόντα τίς ἐστιν ἐπερωτᾷ, δηλώσας μετά τινος σχετλιασμοῦ φησι·

'πλάζομαι ὧδ', ἐπεὶ οὔ μοι ἐπ' ὄμμασι νήδυμος ὕπνος
5 ἱζάνει, ἀλλὰ μέλει πόλεμος καὶ κήδε' Ἀχαιῶν.
αἰνῶς γὰρ Δαναῶν περιδείδια οὐδέ μοι ἦτορ
ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι, κραδίη δέ μοι ἔξω
στηθέων ἐκθρώσκει, τρομέει δ' ὕπο φαίδιμα γυῖα.'

εἰ μὲν δὴ τὴν καρδίαν σαλευόμενος οὗτος ὑπὸ τοῦ φόβου 10 πάρεστι συμβουλευόμενος, οἱ ἐν τοῖς πάθεσιν ὄντες οὐ κατὰ ἀξίαν τῶν συμβεβηκότων καθήκειν νομίζοντες μηδένα λόγον προσίεσθαι κινοῦνται κατὰ τὰ πάθη· εἰ δὲ μηκέτι φοβούμενος, ἀνανεούμενος δὲ τὰ ἐν τῷ φόβῳ ταῦτά φησι, διὰ τί ποτε τῆς αὐτῆς ὑπολήψεως καὶ ἀσθενείας ὑποκειμένης 15 οἱ μὲν ἀποκλίνουσι τὸν λόγον, οἱ δὲ προσίενται, διαπορήσειεν ἄν τις εὐλόγως· τὸ δὲ αἴτιον τοῦ πάθους παντὸς οὐκ εἴρηκεν. — τὸ δὲ[1]) δὴ μὴ μόνον ἀποστρέφεσθαι τὸν λόγον ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις, ὥς φησιν, ἀλλὰ καὶ προσυπολαμβάνειν, ὅτι, εἰ καὶ μὴ συμφέρον ἐστί, καὶ οὕτως ἐκτέον, μάχην 20 περιέχει φέρεσθαί τε ὡς ἐπὶ μέγα συμφέρον καὶ διὰ τὸ μέγεθος αὐτοῦ, εἰ καὶ ἀσύμφορόν ἐστιν, ἄξιον ἡγεῖσθαι τοῦ μεγέθους αὐτοῦ, εἰ καὶ μηδὲν ἔχει ὄφελος ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον, ὅμως ἀντέχεσθαι οὕτως αὐτοῦ. ἔστω γὰρ τοὺς λέγοντας, ὅτι οὐκ ἔστι συμφέρον, ἀποστρέφεσθαι καὶ τοὺς 25 ἐπαγγελλομένους δείξειν, ὅτι ἀσύμφορόν ἐστι, λήρους ἡγεῖσθαι [καὶ] διὰ τὸ μέγα ὄφελος εἶναι τὸ διωκόμενον· ἀλλὰ ἐκεῖνό γε ἀπίθανον, διὰ τὸ μέγα αὐτὸ ἀγαθὸν ὑπολαμβάνειν οἴεσθαι δεῖν, κἂν ᾖ μέγιστον κακόν, ὅμως αὐτὸ λαμβάνειν ἐπιφωνοῦντας

30 'ἔα μ' ἀπολέσθαι· τοῦτό μοι νῦν συμφέρει'.

τούτου γὰρ τὴν αἰτίαν οὐ πιθανόν ἐστιν ἐν τῇ ὑπολήψει κεῖσθαι τοῦ μέγα ἀγαθὸν ὑπάρχειν, ἐφ' ὃ ὠθοῦνται· ζητητέον δέ.

⟨Cognoscimus igitur ipsam affectuum definitionem stare posse, Chry-35 sippum vero cum eam ita explicet, ut affectus iudicia esse censeat, efficere ut origo affectuum omnino ostendi non possit. Non magis

Adn. crit. 1 ὁρμῆς H em. Ml. 4—8 cf. K 91—95 2 ἀλλ' ἀλύκτημαι H 9 οὕτως A vulgo 10 sic H 16 αἴτιον ⟨οὖν⟩ ci. Bake, πάντως Corn., fort. pro δέ scrib. δή 20 περιέχειν H περιέχει Corn. 22 μέγεθος pro ὄφελος H. Varia coniecerunt VVDD cf. supra p. 547 adn. 2. Respondent sibi φέρεσθαί τε — καὶ ἡγεῖσθαι. 26 [καί] Ml. 30 Kock 3 p. 450 (cf. Plut. 446 A) ἐᾶν H (fort. recte) pro μοι νῦν Plutarchus γάρ μοι, qui etiam ἔα μ'.

1) Ante τὸ δέ Gal. p. 375, 4: ἑξῆς τούτοις ὁ Ποσειδώνιος καὶ τάδε φησί·

autem quomodo affectus sedentur ab eo discimus. Secundum enim suam doctrinam facere non potest quin sedationem illam fieri neget, nisi opinio ea qua oportere putemus perturbari detrahatur.[1]) Sed longe aliter rem se habere ipsaque temporis longitudine affectus mitigari non modo omnes consentiunt, sed etiam Chrysippus ipse cum 5 definitionem aegritudinis a Zenone propositam retinet, concedit>[2])

ὁ γοῦν ὅρος οὗτος ὁ τῆς λύπης, ὥσπερ οὖν καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν παθῶν ὑπό τε Ζήνωνος εἰρημένοι καὶ πρὸς τοῦ Χρυσίππου γεγραμμένοι σαφῶς ἐξελέγχουσι τὴν γνώμην αὐτοῦ. δόξαν γὰρ εἶναι πρόσφατον τοῦ κακὸν αὐτῷ παρ- 10 εἶναί φησι τὴν λύπην. ἐν ᾧ καὶ συντομώτερον ἐνίοτε λέγοντες ὧδέ πως προφέρονται· λύπη ἐστὶ δόξα πρόσφατος κακοῦ παρουσίας.[3])

Hoc autem verbum πρόσφατος aliter explicari non potest, nisi ut sit τὸ ὑπόγυον κατὰ τὸν χρόνον.[4]) Ac primum quidem dicen- 15 dum hoc, si vera sint quae Chrysippus ipse disputet, omnino in definitione abesse debere. Nam ex ipsius sententia magis erat altera quam ipse dat neque a Zenone mutuat, quam etiam saepius commemorare solet, definitio, qua aegritudo magni et intolerabilis mali opinio dicitur non 'recentis'.[5]) Ac de illa definitione satis dictum 20 est.[6]) Cum autem Zenonis quoque definitionem retinuerit, postulandum est, ut ab eo explicetur, cur non omnis mali opinio sed recens sola aegritudinem efficiat et

διὰ τί πᾶν τὸ ἀμελέτητον καὶ ξένον ἀθρόως προσπῖπτον †ἐκπίπτει τε καὶ τῶν παλαιῶν 25 ἐξίστησι κρίσεων, ἀσκηθὲν δὲ καὶ συνεθισθὲν καὶ χρονίσαν ἢ οὐδὲ ὅλως ἐξίστησιν, ὡς κατὰ πάθος κινεῖν, ἢ ἐπὶ μικρὸν

Adn. crit. 7 ἄτης H λύπης Corn. 10 τὸ H τοῦ Ml. 12 προσφέρονται H προφερ. A 24 διότι H ἀμελέτητον H, ἀμέτρητον MA 25 ἐκπτοεῖ Bake ἐκπλήττει Kuehn (ἐκπίπτειν τε ποιεῖ?)

---

1) cf. Cic. Tusc. III, 31, 76.

2) Possunt alia quoque transitus causa suppleri. Certum tamen mihi est pauca inter has partes interfuisse. Cf. etiam supra p. 555. Ad ea quae sequuntur cf. supra p. 549 sqq., Gal. p. 391 sqq.

3) Galeni p. 391, 5—11.

4) ibid. p. 391, 11. 12. Posidonius verbi significationem circumscripsit, quia alii ipsam temporis vim ex eo tollere studuerunt cf. Stob. ecl. II, 170 H τὸ δὲ πρόσφατον ἀντὶ τοῦ κινητικοῦ συστολῆς ἀλόγου ἢ ἐπάρσεως. Cic. Tusc. III, 31, 75: Hoc autem verbum sic interpretantur, ut *non tantum illud recens esse velint, quod paulo ante acciderit,* sed quam diu in illo opinato malo vis quaedam insit, ut vigeat . . . ., tam diu appelletur recens.

5) κατὰ γὰρ τὴν γνώμην αὐτοῦ μᾶλλον ἦν μεγάλου κακοῦ ἢ ἀνυπομονήτου ἢ ἀκαρτερήτου, καθάπερ αὐτὸς εἴωθεν ὀνομάζειν, τὴν λύπην εἰρῆσθαι δόξαν, οὐ προσφάτου 392, 2 sqq. cf. supra p. 550.

6) cf. p. 392, 5 sqq. ac Posidonii fragmenta p. 613—5 adscripta.

κομιδῇ. δι' ὃ καὶ προενδημεῖν φηcι τοῖc πράγμαcι μήπω
τε παροῦcιν οἷον παροῦcι χρῆcθαι.[1])

βούλεται δὲ[2]) τὸ
προενδημεῖν ῥῆμα τὸ οἷον προαναπλάττειν τε καὶ προτυποῦν τὸ
5 πρᾶγμα παρὰ ἑαυτῷ τὸ μέλλον γενήcεcθαι καὶ ὡc πρὸc ἤδη γενό-
μενον ἐθιcμόν τινα ποιεῖcθαι κατὰ βραχύ.

διὸ[3]) καὶ τὸ τοῦ Ἀναξαγόρου παρείληφεν ἐνταῦθα, ὡc ἄρα
τινὸc ἀναγγείλαντοc αὐτῷ τεθνάναι τὸν υἱὸν εὖ μάλα καθεcτη-
κότωc εἶπεν 'ᾔδειν θνητὸν γεννήcαc' καὶ ὡc τοῦτο λαβὼν Εὐρι-
10 πίδηc τὸ νόημα τὸν Θηcέα πεποίηκε λέγοντα

'ἐγὼ δὲ . . . παρὰ cοφοῦ τινοc μαθὼν
εἰc φροντίδαc νοῦν cυμφοράc τ' ἐβαλλόμην,
φυγάc τ' ἐμαυτῷ προcτιθεὶc πάτραc ἐμῆc
θανάτουc τ' ἀώρουc καὶ κακὰc ἄλλαc ὁδούc,
15 ὥcτ', εἴ τι πάcχοιμ' ὧν ἐδόξαζόν ποτε,
μή μοι νεῶρεc προcπεcὸν ψυχὴν δάκοι.'

οὕτω δὲ εἰρῆcθαί φηcι καὶ τὰ τοιαῦτα·

'εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ
καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυcτόλουν,
20 εἰκὸc cφαδᾴζειν ἦν ἂν ὡc νεόζυγα
πῶλον χαλινὸν ἀρτίωc δεδεγμένον·
νῦν δ' ἀμβλύc εἰμι καὶ κατηρτυκὼc κακῶν.'

ἐcθ' ὅτε τὰ τοιαῦτα· μακρὸc

'χρόνοc μαλάξει, νῦν δ' ἔθ' ἡβάcκει κακόν'.

25 ὅτι δὲ ἐν τῷ χρόνῳ μαλάττεται τὰ πάθη, κἂν αἱ δόξαι μένωcι
τοῦ κακόν τι αὐτοῖc γεγονέναι, καὶ ὁ Χρύcιπποc ἐν τῷ δευτέρῳ
περὶ παθῶν μαρτυρεῖ γράφων ὧδε· 'Ζητήcαι δὲ ἄν τιc καὶ περὶ
τῆc ἀνέcεωc τῆc λύπηc πῶc γίνεται, πότερον δόξηc τινὸc μετα-
κινουμένηc ἢ παcῶν διαμενουcῶν, καὶ διὰ τί τοῦτο ἔcται'. εἶτα
30 ἐπιφέρων φηcί 'δοκεῖ δέ μοι ἡ μὲν τοιαύτη δόξα διαμένειν, ὅτι

Adn. crit. 1 διό vulgo 1—2 μήποτε H corr. Ml. 8 ἀπαγγεί-
λαντοc ci. Kuehn v. 11—16 cf. Nauck FTG. 964 v. 11 sic etiam in
Cons. ad Apoll. 112D 13 sic Cons., φυγάδ' ἐμαυτὸν προτιθεὶc H (φυγὰc δ'
MA) 14 κακῶν Cons. 15 ἵν' εἴ τι et φρενί (pro ποτε) Cons. ὡc pro
ὧν H ὧν MA(?) 16 νεωραῖc H, corr. Ml. (νεωρέc Greenh.) μᾶλλον
pro ψυχὴν Cons. 18—22 cf. Nauck 821 19 μακρὰ H μακρὰν Tzetzes
23 [μακρόc] Ml. 24 cf. Eur. Alc. 1085 νῦν δέθ' H

---

1) Gal. p. 392, 13 καί φηcι διὰ τί cf. supra p. 551 sqq.

2) Gal. 393, 2 sic pergit: βούλεται δὲ τὸ προενδημεῖν ῥῆμα τῷ Ποcειδωνίῳ τὸ οἷον προαναπλάττειν κτλ. Locum adscribendum putavi, quamquam ad verbum e Posidonio translatum eum esse evinci non potest, cf. supra p. 558 adn. 3.

3) Haec quoque (Gal. 393, 5—395, 11) adscripsi non quo singula verba omnia Posidonii esse censerem sed quia pauca a Galeno hic mutari mihi persuaseram.

κακὸν αὐτό, ὃ δὴ πάρεστιν, ἐγχρονιζομένης δὲ ἀνίεσθαι ἡ συστολὴ καί, ὡς οἶμαι, ἡ ἐπὶ τὴν συστολὴν ὁρμή. τυχὸν δὲ καὶ ταύτης διαμενούσης οὐχ ὑπακούσεται τὰ ἑξῆς διὰ ποιὰν ἄλλην ἐπιγινομένην διάθεσιν δυσσυλλόγιστον τούτων γινομένων. οὕτω γὰρ καὶ κλαίοντες παύονται καὶ μὴ βουλόμενοι κλαίειν κλαίουσιν, ὅταν μὴ 5 ὁμοίας τὰς φαντασίας τὰ ὑποκείμενα ποιῇ καὶ ἐνίστηταί τι ἢ μηθέν. ὃν τρόπον γὰρ ἡ θρήνων παῦσις γίνεται καὶ κλαυθμῶν, τοιαῦτα εὔλογον καὶ ἐπὶ ἐκείνων συντυγχάνειν ἐν ταῖς ἀρχαῖς μᾶλλον τῶν πραγμάτων κινούντων, καθάπερ ἐπὶ τῶν τὸν γέλωτα κινούντων γίνεσθαι ἔφην' καὶ τὰ ὅμοια τούτοις. 10

Chrysippus igitur temporis longitudine affectus mitigari quamquam opinio qua malum sibi adesse homines putent, maneat concedit et ipse quomodo mitigatio affectuum fiat, explicare se non posse confitetur.[1]) Nam quod eo confugit ut dicat τυχὸν δὲ τῆς ὁρμῆς διαμενούσης οὐχ ὑπακούσεται τὰ ἑξῆς, illud fieri posse 15 omnino negandum est, ut impetus remaneat, ad actionem tamen non perveniat. Neque adiuvamur Chrysippi verbis οὕτω γὰρ καὶ κλαίοντες παύονται κτλ., nisi id ipsum explicatur, quomodo fiat, ut fletus desinat.[2]) Quae autem ipse commemorat, ut sedationem et fletus risusque et affectuum[3]) aperiat, ea non modo eius doctrinae non 20 suffragantur, sed argumento sunt sedationem mutatione opinionum non fieri. Ait enim Chrysippus 'ἔτι δὲ τῆς λύπης καὶ ὡς ἂν ἐμπλησθέντες τινὲς ὁμοίως φαίνονται ἀφίστασθαι, καθάπερ καὶ ἐπὶ Ἀχιλλέως ταῦτα λέγει ὁ ποιητὴς πενθοῦντος τὸν Πάτροκλον·

'ἀλλ' ὅτε δὴ κλαίων τε κυλινδόμενός τ' ἐκορέσθη 25
καί οἱ ἀπὸ πραπίδων ἦλθ' ἵμερος ἠδ' ἀπὸ γυίων,'

ἐπὶ τὸ παρακαλεῖν ὥρμησε τὸν Πρίαμον τὴν τῆς λύπης ἀλογίαν αὐτῷ παριστάς'[4]) ac statim: καθ' ὃν λόγον οὐκ ἂν ἀπελπίσαι τις οὕτως τῶν πραγμάτων ἐγχρονιζομένων καὶ τῆς παθητικῆς φλεγμονῆς ἀνιεμένης τὸν λόγον παρεισδυόμενον καὶ οἱονεὶ χώραν λαμ- 30 βάνοντα παριστάναι τὴν τοῦ πάθους ἀλογίαν'[5]) ac postea 'λέγεται δὲ καὶ τοιαῦτα εἰς τὴν μεταβολὴν τῶν παθῶν·

'λαιψηρὸς δὲ κόρος στυγεροῖο γόοιο'

καὶ ἔτι τὰ τοιαῦτα εἰς τὸ κατὰ τὴν λύπην ἀγωγόν·

'τοῖς δὲ δυστυχοῦσί πως 35
τερπνὸν τὸ κλαῦσαι κἀποδύρασθαι τύχας'

Adn. crit. 4 δισυλλόγιστον H (δυσυλλ. A) De v. 4—6 cf. supra p. 590 7 κλαυθμοὶ H corr. Ml. 10 καὶ τὰ ὅμοια τούτοις vulgo Chrysippo tribuunt 21 ἐπὶ δέ H, corr. Kalbfleisch [καὶ] Ml. 25 sic H cf. δ. 541 26 cf. Ω 513 33 cf. δ 103 36 καὶ ἀποδύρασθαι H

---

1) Gal. p. 395, 11 sq.
2) Gal. p. 400, 10—401, 3 (cf. supra p. 554 in. et 555). Quae p. 401,4 ad quaestionem propositam respondentur, ea Posidonius postea protulisse videtur cf. supra p. 569.
3) cf. Gal. p. 402, 15. 4) ibid. p. 397, 14 sqq. 5) ibid. p. 398, 5 sqq.

καὶ ἔτι τούτων ἐφεξῆς·

'ὣς φάτο, τοῖσι δὲ πᾶσιν ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο'

καὶ

'τὸν αὐτὸν ἀνέγειρε γόον, ἄναγε πολύδακρυν ἀηδόνα'.[1])

5 Ipse enim Chrysippus hic satietate quadam sedationem affectuum fieri statuit; quod tamen si verum est, affectus iudicia esse non possunt, si quidem iudicia propter temporis solius vim non mutari constat neque quisquam ea opinione qua bis bina quattuor esse credebat, satietate et taedio quodam commotus abstitit.[2])

10 ⟨Chrysippi igitur doctrina qua affectus iudicia esse censet ad nihilum recidit. Contra omnia optime explicantur, si veteribus fidem habemus maximeque Platoni, cum e nimis vehementi motu irrationalium quarundam facultatum affectus oriri statuat. Quas facultates Chrysippus cum extare negat, contra ipsam rerum evidentiam pu-15 gnat.⟩[3]) Neque enim quidquam evidentius est quam esse in hominum animis praeter rationem facultates quasdam irrationales, quarum altera natura sua voluptatem altera victoriam principatumque adpetat.[4]) Atque illam quidem concupiscibilem hanc irascibilem Plato vocat.[5]) Hae autem non in hominibus solis sed in reliquis quoque 20 animalibus cernuntur.[6]) Quamquam infimi ordinis animalia, quae non facile se movent et plantis similia lapidibus aliisque rebus accreverunt, cupiditate sola reguntur, reliqua autem omnia et concupiscibili et irascibili facultate utuntur.[7]) Id quod inde adparet, quod multa animalia nullam ob rem nisi ob victoriam ipsam inter se cer-25 tant (φαίνεται δὲ ἐναργῶς τὸ τοιοῦτον ἐπὶ ὀρτύγων καὶ ἀλεκτρυόνων καὶ περδίκων ἰχνεύμονός τε καὶ ἀσπίδος [τε] καὶ κροκοδείλου καὶ μυρίων ἑτέρων).[8]) Homo vero solus ratione praeditus est. Non autem inde a cunis illam habet excultam, sed pueri brutis animalibus similes facultatibus irrationalibus solis gubernantur et ad voluptatem 30 victoriamque solas natura feruntur. Postea vero quam aetate aliquantum provecti sunt, etiam bonum honestumque manifesto adpetunt pudetque eos peccatorum. Unde eos non iam facultatum irrationalium imperio oboedire sed ratione iam uti et propter eam

---

Adn. crit. 1 et 3 Galeni esse mihi videntur 2 cf. δ 113 φᾶτο MA (H ut vid.) 4 cf. Eurip. El. 125 sq. ἀνάγε H.

---

1) Gal. p. 398, 16 sqq.
2) ibid. p. 402, 6 sqq. Ipsam rei expositionem Posidonius postea protulit, cf. supra p. 569.
3) De conexu harum partium cf. supra p. 567.
4) Gal. p. 400, 5 sqq. Ad rem cf. Cic. de off. I, 4, 13 (Panaetium).
5) Gal. p. 405, 13. 14. 6) ibid. p. 400, 8; 437, 15.
7) ibid. 457, 4 sqq. cf. supra p. 568. 9. Qua in re Posidonius Aristotelem sequitur, qui initio l. VIII historiae animalium similes animalium gradus ostendit. (Quem locum Nemesius exscripsit p. 12 A.)
8) Haec ad verbum fere é Posidonii libro hausisse videtur Galenus (p. 438, 1—3) cf. supra p. 567.

ad virtutem tendere perspicuum est.[1]) Chrysippus autem cum secundum doctrinam suam, qua totum hominis animum rationalem esse iudicat inque ratione affectus consistere censet, pueros et bestias affectibus carere dicit, vehementer errat.[2]) Ac de bestiis fortasse dubitaverit quispiam; pueros vero in affectus incidere ut cognoscamus, nostrae pueritiae recordemur: iam intellegemus non aliter nos nunc irasci quam olim ira incitati simus.[3]) — Quodsi Chrysippus eadem re commotus homines natura ad virtutem solam ferri censet, primum non minus peccat quam Epicurus, qui eam conciliationem quam ad voluptatem habemus solam perspicit.[4]) Deinde eo deducitur, ut quae sit origo pravitatis et quomodo fiat, ut pueri peccent, dicere non possit.[5]) Homines enim si natura ad virtutem solam feruntur, pravitatem non innatam sed extrinsecus inditam habent. Quare Chrysippus ut quomodo puerorum ingenia corrumpantur explicet, duas rationes profert: una est consuetudo mala reliquorum hominum, altera ipsarum rerum natura, qua homines decipiantur.[6]) Quarum priorem ad rem explicandam non sufficere ipse confitetur, cum pueros etiamsi egregie educentur optimorumque consuetudine utantur, non necessario bonos fieri concedit[7]); neque adparet, cur pueri mala potius exempla imitentur quam bona, si his natura magis sunt similes.[8]) Sed ne altera quidem ratio quidquam valet. Nam quomodo visa per voluptatem orta tam probabilia esse possunt, ut pueri eis adstipulati ad voluptatem tamquam bonum sit ferantur, nisi natura eam adpetunt? aut cur homines verbis eorum qui victorias honoresque tamquam bona sint laudant, facile fidem habent, nisi ipsi naturalem ad eas res conciliationem habent?[9]) — Quodsi Chrysippus doctrina sua occaecatus non esset, cognovisset non extra hominem originem pravitatis et affectuum quaerendam esse, sed ex ipsius hominis natura ea nasci. οὐ τοίνυν οὐδὲ Ποσειδωνίῳ δοκεῖ τὴν κακίαν ἔξωθεν ἐπεισιέναι τοῖς ἀνθρώποις οὐδεμίαν ἔχουσαν ἰδίαν ῥίζαν ⟨ἐν⟩ ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν, ὅθεν ὁρμωμένη βλαστάνει τε καὶ αὐξάνεται, ἀλλ' αὐτὸ τοὐναντίον· καὶ γὰρ οὖν[10]) καὶ τῆς κακίας ἐν ἡμῖν αὐτοῖς σπέρμα· καὶ δεόμεθα πάντες οὐχ οὕτω τοῦ φεύγειν τοὺς πονηροὺς ὡς τοῦ διώκειν τοὺς καθαρίσοντάς τε καὶ κωλύσοντας ἡμῶν τὴν αὔξησιν τῆς κακίας.[11])

---

1) cf. Gal. p. 438, 4 sqq. 2) cf. Gal. p. 437, 9 sqq.
3) Gal. p. 485, 9—13 cf. nostrae disp. p. 572. 4) Gal. p. 438, 16.
5) Gal. p. 439, 6 sqq. 6) 440, 6. 7 et 441, 9. 10. 7) 439, 12 sqq.
8) Gal. p. 440, 10 sqq. — Hic velim praeterea conferas adnot. nostram 1. ad p. 582. 9) cf. p. 440, 14 — p. 441.
10) οὖν καὶ γὰρ codd. Vulgo scribunt αὐτὸ τοὐναντίον εἶναι· καὶ γὰρ καὶ κτλ. Sed Gal. αὐτὸ δὴ τοῦτο, αὐτὸ τοὐναντίον similia sine praedicato ponere solet. — Reliqua sec. Muellerum adscribere satis habui.
11) Gal. ὅτι ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν κτλ. p. 78, 8 sqq. Ml. cf. supra p. 581. 2. Ad libros de affectibus haec pertinere ibi v. 3 dicit. — Ad rem cf. Plut. ἠθ. ἀρ. 451 C μέτεστιν οὖν αὐτῷ καὶ τοῦ ἀλόγου, καὶ σύμφυτον ἔχει τὴν τοῦ πάθους ἀρχὴν οὐκ ἐπεισόδιον ἀλλ' ἀναγκαίαν οὖσαν, qui inde concludit affectus radicitus evellendos non esse.

⟨Ipsarum enim irrationalium facultatum motus ut necessarii et secundum naturam sunt, dum finibus certis coercentur, sic ubi plus virium habent quam ut rationi obtemperent, redundant et contra naturam sunt.⟩ Nec minus his facultatibus origo falsarum opinionum quam Chrysippus investigat explicatur (earum scilicet quae ad actionem spectant; nam errores in rerum cognitione commissi inde nascuntur, quod ipsius rerum naturae non sumus periti). Nam ratio cum quid faciendum aut de actione quadam iudicandum sit reputat, ob eam rem labitur, quod irrationales facultates tamquam in altera lance sedentes obstant, quominus aequum iudicium feratur. Fit igitur, ut homines ea quae propria sint irrationalium facultatum, totius animi propria esse arbitrati voluptatem principatumque aeque expetenda statuant ac sapientiam et quidquid bonum atque honestum sit, quamquam illa adpetitio e facultate homini cum brutis animalibus communi nascitur haec rationalis ac divina est. Quod ubi saepius factum est, rationis ipsius vis ita obtunditur, ut eius iudicia cum motibus irrationalibus consentiant eisque duces existant ad id quod velint perpetrandum. Impetus enim tum quoque non semper a iudicio rationis, sed saepe a motu irrationali proficiscitur.[1]

Non autem e ratione sola animos consistere sed etiam irrationales in eis inesse facultates testimonio ea quoque sunt quae ex physiognomia discimus. Καὶ γὰρ τῶν ζῴων καὶ τῶν ἀνθρώπων, ὅσα μὲν εὐρύστερνά τε καὶ θερμότερα, θυμικώτερα πάνθ᾿ ὑπάρχει φύσει, ὅσα δὲ πλατυίσχιά τε καὶ ψυχρότερα, δειλότερα. καὶ κατὰ τὰς χώρας δὲ οὐ σμικρῷ τινι διενηνοχέναι τοῖς ἤθεσι τοὺς ἀνθρώπους εἰς δειλίαν καὶ τόλμαν ἤτοι φιλήδονόν τε καὶ φιλόπονον, ὡς τῶν παθητικῶν κινήσεων τῆς ψυχῆς ἑπομένων ἀεὶ τῇ διαθέσει τοῦ σώματος, ἣν ἐκ τῆς κατὰ τὸ περιέχον κράσεως οὐ κατὰ ὀλίγον ἀλλοιοῦσθαι. καὶ γὰρ δὴ καὶ τὸ αἷμα διαφέρειν ἐν τοῖς ζῴοις φησὶ θερμότητι καὶ ψυχρότητι καὶ πάχει καὶ λεπτότητι καὶ ʻἄλλαιςʼ, φησί, ʻδιαφοραῖς οὐκ ὀλίγαιςʼ, ὑπὲρ ὧν Ἀριστοτέλης ἐπὶ πλεῖστον διῆλθεν.[2])

Adn. crit. 23 μὲν om. L ὑπάρχειν Kuehn, coll. v. 16, sed cf. supra p. 550 adn. 3. 24 πλατυίσχυα L 25 δὲ om. H ὡς μικρότερον pro οὐ σμικρῷ τινι L 26 ἢ τό H 28 ἵν᾿ L 29 sic L(A), θερμοτ^τ κτλ. H 30 φησί post ἄλλαις quod indicat ipsa Posidonii verba iam adferri, male eicit Ml. (qui ipse multo melius egit de loco plane simili p. 458, 11—14 in Proll. p. 65). Cf. tamen etiam adn. nostr. 3 ad p. 591. — Utrum verba ὑπὲρ ὧν κτλ. Posidonii sint an Galeni, dubito; profecto cum eis quae sequuntur arte

1) 442, 1 sqq. καὶ δεικνύναι πειρᾶται πασῶν τῶν ψευδῶν ὑπολήψεων τὰς αἰτίας, ἐν μὲν τῷ θεωρητικῷ ⟨σκέμματι διὰ τῆς τῶν ὄντων οὐχ ἱκανῆς ἐμπειρίας ἐν δὲ τῷ πρακτικῷ⟩ διὰ τῆς παθητικῆς ὁλκῆς, προηγεῖσθαι δὲ αὐτῆς τὰς ψευδεῖς δόξας ἀσθενήσαντος περὶ τὴν κρίσιν τοῦ λογιστικοῦ· γεννᾶσθαι γὰρ τῷ ζῴῳ τὴν ὁρμὴν ἐνίοτε μὲν ἐπὶ τῇ τοῦ λογιστικοῦ κρίσει πολλάκις δὲ ἐπὶ τῇ κινήσει τοῦ παθητικοῦ (de quibus cf. p. 560—5) et 452, 5—10. Ad ὁλκῆς cf. Plut. ἠθ. ἀρ. 447 D (164, 15 Bern.).

2) Gal. p. 442, 8—443, 4, qui ipsius Posidonii verba oblique reddit cf. 442, 1.

'Nam cum elementa sint quatuor, ignis aquae aeris terrae, potestates pares his sunt fervida frigida arida atque humida. et locorum itaque et animalium et corporum et morum varietates mixtura elementorum facit et proinde in aliquos magis incumbunt ingenia, prout alicuius elementi maior vis abundavit. inde quasdam humidas vocamus aridasque regiones et calidas et frigidas. eadem animalium hominumque discrimina sunt: refert quantum quisque humidi in se calidique contineat. cuius in illo elementi portio praevalebit, inde mores erunt. iracundos fervida animi natura faciet: est enim actuosus et pertinax ignis. frigidi mixtura timidos facit: pigrum est enim contractumque frigus. volunt igitur quidam ex nostris[1]) iram in pectore moveri effervescente circa cor sanguine.'[2])

⟨In quibus autem humidi natura praevalebit, in eis concupiscibilis facultas validissima erit. Videtur autem ei maxime corporis parti corporis addicta esse in qua iecur positum est, cum in eo sanguis comparetur ad animalium corpus alendum necessarium; contra arida natura ad labores ferendos[3]) aptissima erit.⟩[4])

Quamobrem etiam curatio affectuum in aliis alia erit adhibenda et nunc facilior nunc difficilior erit. Is enim in quo non natura ipsa sed mala consuetudine et imperitia rerum factum est, ut ratio infirma esset, irrationalium facultatum motus validissimi, facile sanatur. Contra quisquis natura ratione imbecilla praeditus est motusque irrationales vehementes habet, is cum et cognitionem rerum adquirere et bonis consuetudinibus vim irrationalium motuum obtundere debeat, non facile ad meliores mores perducitur.[5])

Cum autem omnis curatio duplex sit, ita ut aut morbis postquam nati sint medeamur aut caveamus, ne illi nascantur[6]), opera danda est, ut bona educatione facultates irrationales nimis virium capere prohibeantur. Quamobrem iam inde a matris alvo vel potius iam antequam puer nascatur, summa in eius ingenio formando cura collocanda est. Non enim solum seminis ratio habenda est, sed mulieris praegnantis tota vita victus exercitationes quietis somni tempora cupiditates denique et irae praeceptis ordinandae sunt.[7]) Qua in re Posidonius admiratur ὅσα Πλάτων εἶπεν ὑπὲρ τῆς τῶν

---

cohaerent. Paulo post (443, 11) ante Ἀριστοτέλης gravius distinguendum non est, sed coniungenda sunt οὕτω γὰρ ὁ Ποσειδώνιος ὀνομάζειν εἴωθεν, Ἀριστοτέλης δὲ ἀντικρὺς ἤδη κτλ.

---

1) Posidonium ipsum significat.
2) Sen. de ira II, 19, 1—3, quo de loco cf. supra p. 594 sqq.
3) cf. φιλόπονος Gal. 442, 13.
4) cf. Galeni p. 596. 7, quem locum infra p. 632 adscribam. Utrum Posidonius hic de ratione eiusque sede dixerit necne, incertum est.
5) Gal. p. 443, 14—444, 11.
6) Gal. p. 396, 14. 15; 397, 3. 4; 433, 5. 6; Sen. II, 18, 1 cf. supra p. 596 cum adn. 1.
7) 444, 11 sqq.

παίδων ἔτι τε κυουμένων ἐν τῇ μήτρᾳ διαπλάσεως ἀποκυηθέντων τε τροφῆς καὶ παιδείας, καὶ γέγραφεν οἷον ἐπιτομήν τινα κατὰ τὸ πρῶτον αὐτοῦ περὶ παθῶν σύγγραμμα τῶν ὑπὸ Πλάτωνος εἰρημένων, ὡς χρὴ τρέφεσθαι καὶ παιδεύεσθαι τοὺς παῖδας ὑπὲρ τοῦ
5 τὸ παθητικόν τε καὶ ἄλογον τῆς ψυχῆς σύμμετρον ἀποφαίνεσθαι ταῖς κινήσεσι καὶ τοῖς τοῦ λόγου προστάγμασιν εὐπειθές·

'αὕτη γὰρ ἀρίστη παίδων παιδεία, παρασκευὴ τοῦ παθητικοῦ τῆς ψυχῆς, ὡς ἂν ἐπιτηδειοτάτη ᾖ πρὸς τὴν ἀρχὴν τοῦ λογιστικοῦ'.[1])

10 (Cf. Sen. II, 20, 2—4: sed in hoc nosse profuit, ut calentibus ingeniis subtrahas vinum, quod pueris negandum Plato putat et ignem vetat igne incitari. ne cibis quidem inplendi sunt, distendentur enim corpora et animi cum corpore tumescent: labor illos citra lassitudinem exerceat, ut minuatur non ut consumatur calor nimiusque ille fervor de-
15 spumet. lusus quoque proderunt. modica enim voluptas laxat animos et temperat. Humidioribus siccioribusque et frigidis non est ab ira periculum, sed maiora vitia metuenda sunt, pavor et difficultas et desperatio et suspiciones, mollienda itaque fovendaque talia ingenia et in laetitiam evocanda sunt. — 21, 1 dare debemus operam ne
20 aut iram in illis (sc. pueris) nutriamus aut indolem retundamus — 21, 3 crescit licentia spiritus, servitute comminuitur — ib. 5 in certaminibus aequalium nec vinci illum patiamur nec irasci — 6 nihil magis facit iracundos quam educatio mollis et blanda — 9 pertinebit ad rem praeceptores paedagogosque pueris placidos[2]) dari. proximis
25 adplicatur omne quod tenerum est et in eorum similitudinem crescit)[3]) σμικρὸν μὲν γὰρ τὰ πρῶτα καὶ ἀσθενὲς ὑπάρχειν τοῦτο[4]), μέγα δὲ καὶ ἰσχυρὸν ἀποτελεῖσθαι περὶ τὴν τεσσαρεσκαιδεκαετῆ ἡλικίαν, ἡνίκα ἤδη κρατεῖν τε καὶ ἄρχειν αὐτῷ προσήκειν καθάπερ ἡνιόχῳ τινὶ τοῦ ζεύγους τῶν συντρόφων ἵππων ἐπιθυμίας τε καὶ θυμοῦ
30 μήτε ἰσχυρῶν ὑπαρχόντων ἄγαν μήτε ἀσθενῶν μήτε ὀκνηρῶν μήτε ἐκφόρων μήτε δυσπειθῶν ὅλως ἢ ἀκόσμων ἢ ὑβριστῶν, ἀλλὰ εἰς ἅπαν ἑτοίμων ἕπεσθαί τε καὶ πείθεσθαι τῷ λογισμῷ. τούτου δὲ αὐτοῦ τὴν παιδείαν τε καὶ τὴν ἀρετὴν ἐπιστήμην εἶναι τῆς τῶν ὄντων φύσεως, ὥσπερ τοῦ ἡνιόχου τῶν ἡνιοχικῶν θεωρημάτων.
35 ἐν γὰρ ταῖς ἀλόγοις τῆς ψυχῆς δυνάμεσιν ἐπιστήμας οὐκ ἐγγίνεσθαι, καθάπερ οὐδὲ ἐν τοῖς ἵπποις, ἀλλὰ τούτοις μὲν τὴν οἰκείαν

Adn. crit. 1 μητρὶ L 3 σύγκραμα L 4 πῶς ci. Bake, fort. recte 5 παθητικὸ τὲ L 6 ταῖς om. L 8 παιδείας codd., corr. Ml. 27 [καὶ] L τεσσαρεσκαιδεκαετὴν L, -έτην Petersen pr. hiatum 28 ἤδει L αὐτὸ προσήκει H 29 συμφύτων H 33 γε LH τε MA(?) 35 τοῖς pro ταῖς L 36 εἰκὸν pro οἰκείαν L

1) Gal. p. 445, 5—15 et cf. 452, 11 sqq.
2) Posidonius ipse amplioris sensus verbum eligere debuit.
3) Quid e Senecae disputatione ad Pos. referendum esset, ostendi p. 596, ubi Platonis quoque locos quos Pos. sequi videtur, adscripsi
4) sc. τὸ λογιστικόν cf. v. 9.

ἀρετὴν ἐξ ἐθισμοῦ τινος ἀλόγου παραγίνεσθαι, τοῖς δὲ ἡνιόχοις ἐκ διδασκαλίας λογικῆς. ..... τῶν μὲν γὰρ ἀλόγων τῆς ψυχῆς μερῶν[1]) ἀλόγους ἀνάγκη καὶ τὰς ἀρετὰς εἶναι, τοῦ λογιστικοῦ δὲ μόνου λογικήν.[2])

Quot autem virtutes statuendae sint, ex ipsa animi natura facile diiudicatur. Cum enim generalem virtutis notionem hanc esse inter omnes constet, ut sit οἷον ὕπαρξις βελτίστη ἢ τελειότης τῆς ἑκάστου φύσεως, singulae singulis rebus virtutes tribuendae sunt.[3]) Itaque animi quoque facultates cum inter se diversae sint, suam quaeque virtutem habent; ac rationis quidem virtus scientia est; quae si ad solam veri cognitionem spectat, σοφία nominatur, sin quid faciendum quidve de actionibus vitae statuendum sit secum reputat, φρόνησις vocatur.[4]) Irascibilis autem facultatis virtus quasi contentio animi et constantia in eis quae ratio iussit est, quae fortitudo vocatur, concupiscibilis denique facultatis temperantia in voluptatibus fruendis.[5]) A qua probe distinguenda est continentia, quae non ipsa virtus est sed ad virtutem prope accedit.[6]) Quamquam enim in hac quoque concupiscibilis facultas rationis iussa exsequitur, invita tamen ac repugnans ei oboedit.[7]) Quodsi omnes facultates inter se consentiunt rectoque statu utuntur, totus animus perfectus est suamque virtutem habet, cui nomen iustitiae imponi potest (quamquam quo nomine utamur, non interest).[8])

Chrysippus vero non tam in eo peccat, quod omnes virtutes scientias esse censet — secundum enim suam doctrinam aliud statuere non potuit — quam quod uni rationi plures perfectiones virtutesque tribuit.[9]) Magis enim sibi constat Aristo Chius, qui cum ipse quoque e ratione sola animum constare sibi persuaserit, unam eius virtutem esse censet scientiam rerum bonarum et malarum.[10]) Quae virtus temperantia nominatur, si eligenda sunt bona fugienda mala,

Adn. crit. 1 περιγίγνεσθαι LH 4 λογιστικήν L

1) Posidonius dixit δυνάμεων.
2) Gal. p. 445, 15—446, 13 et 447, 1—3.
3) Gal. p. 447, 10. 11; 588, 13 sqq.; cf. supra p. 577 sqq.
4) cf. 591, 11—15 (quo de loco egi p. 578) et quae dixi de p. 442, cf. supra p. 562 et 621, praeterea Ciceronis de off. I, 43, 153 et Schmekel, die Philosophie der mittleren Stoa eqs. p. 271. 2. — De Panaetio idem probante cf. D. L. III, 92; Cic. de off. I, 6, 19.
5) cf. 590 et 597.
6) cf. Plut. ἠθ. ἀρ. 445 B ὅθεν οὐδ' ἀρετὴν αὐτοτελῆ ἀξιοῦσι τὴν ἐγκράτειαν ἀλλ' ἔλαττον ἀρετῆς εἶναι.
7) De ἐγκράτεια — σωφροσύνη cf. Galeni p. 347 (supra p. 540. 1) et 467, 13 (supra p. 570).
8) Gal. 590, sc. iustitiae nomen Platonis gratia praeoptat. — Quam cum non minus in scientia rationalis facultatis quam in recto habitu reliquarum e consuetudine nato consistere adpareat, mixtam quandam virtutem Posidonius hic agnoscere mihi quidem videtur. Cf. etiam Hirzelium II, p. 501 sqq.
9) 447, 4 sqq. 10) 447, 12 sqq. Cf. p. 577 sqq. disp. nostr.

prudentia, si facienda sunt bona omittenda mala, fortitudo, si fortiter subeunda sunt bona refugienda mala; iustitia denique vocatur, si suum cuique tribuendum est. Ut vero uno verbo rem comprehendam, animi virtus si in ipsa cognitione versatur, sapientia et scientia 5 est, sin ad actionem vitamque spectat, varia accipit nomina.[1]) Quam sententiam Chrysippus in libro quem inscripsit περὶ τοῦ ποιὰς εἶναι τὰς ἀρετάς frustra ita refellere studet, ut ab eadem doctrina proficiscatur. Statuit enim fortitudinem temperantiam reliquas virtutes substantia inter se diversas esse, quod illa ad res fortiter subeundas 10 (θαρρητέα) haec ad res eligendas (αἱρετέα) spectet, reliquaeque item suam habeant tamquam materiam. Sed secundum illum quoque is qui mortem vel morbum quamquam indifferentia sunt fortiter non subit, ob eam rem peccat, quod quid vere bonum aut malum sit nescit. Pravitas eius igitur in imperitia boni et mali, fortitudo in 15 scientia earundem rerum ponenda est. Nec minus reliquae virtutes secundum illum ad scientiam boni et mali redeunt. Cum enim natura id quod bonum videatur adpetamus, fugiamus id quod malum videatur, philosophia quid vere bonum et malum sit docet virtutemque indit. Chrysippus igitur verborum αἱρετέον ποιητέον θαρρητέον 20 ἀγαθόν differentiam magis quam ipsam rem respicere videtur.[2])

⟨Ut autem origine affectuum explicata quid de virtutibus iudicandum esset adparuit, sic indidem profecti quomodo finis bonorum constituendus sit cognoscemus.⟩[3])

Τὸ δὴ τῶν παθῶν αἴτιον, τουτέστι τῆς τε ἀνομολογίας 25 καὶ τοῦ κακοδαίμονος βίου, τὸ μὴ κατὰ πᾶν ἕπεσθαι τῷ ἐν αὑτοῖς δαίμονι συγγενεῖ τε ὄντι καὶ τὴν ὁμοίαν φύσιν ἔχοντι τῷ τὸν ὅλον κόσμον διοικοῦντι, τῷ δὲ χείρονι καὶ ζῳώδει ποτὲ συνεκκλίνοντας φέρεσθαι. οἱ δὲ τοῦτο παριδόντες οὔτε ἐν τούτοις βελτιοῦσι τὴν αἰτίαν τῶν παθῶν οὔτε ἐν τοῖς 30 περὶ τῆς εὐδαιμονίας καὶ ὁμολογίας ὀρθοδοξοῦσιν· οὐ γὰρ βλέπουσιν, ὅτι πρῶτόν ἐστιν ἐν αὐτῇ τὸ κατὰ μηδὲν ἄγεσθαι ὑπὸ τοῦ ἀλόγου τε καὶ κακοδαίμονος καὶ ἀθέου τῆς ψυχῆς[4]) .... ἃ δὴ παρέντες ἔνιοι τὸ ὁμολογουμένως ζῆν

Adn. crit. 24 ὁμολογίας L 25. 26 ἐν αὐτῷ H ἐν αὑτῷ L, corr. excerpta Florent. et Paris. (cf. v. 28) 26 δὲ μόλις pro δαίμονι L 28 συγκλίνοντας L οὐ δὲ L παριδόντας L 31 περιττόν pro πρῶτόν ἐστιν L 32 τὸ supra vers. H λόγου L

1) p. 591, 4 sqq. Distinctio virtutum quae ad cogitationem spectent et quae ad actionem pertineant, Posidonii ipsius esse videtur. Cf. supra p. 578.

2) Galenus quae disputat, ut Aristonem frustra a Chrysippo impugnari doceat (p. 591—595), sine dubio a Posidonio habet (cf. supra p. 577 sq.). Quia tamen ipse p. 654, 5 adnotat Posidonium etiam libro seorsum edito de virtutibus egisse, cogitari sane potest haec inde fluxisse.

3) cf. supra p. 568 et Galeni p. 448.

4) Gal. 448, 15—449, 8. Cf. Clementem strom. II, p. 497 P.: ἐπὶ πᾶσι

cυcτέλλουcιν εἰc τὸ πᾶν τὸ ἐνδεχόμενον ποιεῖν ἕνεκα τῶν πρώτων κατὰ φύcιν[1]), ὅμοιον αὐτῷ ποιοῦντες τῷ cκοπὸν ἐκτίθεcθαι τὴν ἡδονὴν ἢ τὴν ἀοχληcίαν ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον. ἔcτι δὲ μάχην ἐμφαῖνον κατὰ αὐτὴν τὴν ἐκφοράν[2]), καλὸν δὲ καὶ εὐδαιμονικὸν οὐδέν. παρέπεται γὰρ κατὰ τὸ ἀναγ- 5 καῖον τῷ τέλει, τέλος δὲ οὐκ ἔcτιν· ἀλλὰ καὶ τούτου διαληφθέντος ὀρθῶς[3]) ἔξεcτι μὲν αὐτῷ χρῆcθαι πρὸς τὸ διακόπτειν τὰς ἀπορίας, ἃς οἱ cοφιcταὶ προτείνουcι[4]), μὴ μέντοι γε τῷ κατὰ ἐμπειρίαν τῶν κατὰ τὴν ὅλην φύcιν cυμβαινόντων ζῆν, ὅπερ ἰcοδυναμεῖ τῷ ὁμολογουμένως 10 εἰπεῖν ζῆν, ἡνίκα μὴ τοῦτο μικροπρεπῶς cυντείνειν εἰς τὸ τῶν διαφόρων τυγχάνειν.[5]) ταύτην τε[6]) δὴ τὴν ἀτοπίαν

Adn. crit. 2 αὐτῷ HL 'fere idem facientes ac si id ipsum probent voluptatem finem esse' (de verbo αὐτός sic posito cf. 314, 4; 344, 5; 439, 5) 4 μᾶλλον δὲ H 8 [ἃς] L [μὴ] L 9 τὸ codd. τῷ Bake τὸ pro τῶν L 10 ἀμβαινόντων L 11 ζήνωνι καὶ μὴ L pro ζῆν, ἡνίκα μὴ 12 ἀδιαφόρων ci. Ml. Hirzel (qui etiam ἰcοδυναμεῖν 10 et εἶπε 11)

τε ὁ Ποcειδώνιος (sc. τέλος ἀπεφήνατο) τὸ ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν καὶ cυγκατασκευάζοντα αὐτὴν κατὰ τὸ δυνατὸν κατὰ μηδὲν ἀγόμενον ὑπὸ τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς (cf. supra p. 562). De ratione quae inter hanc definitionem et Galeni locum intercedat cf. Hirzelium II, p. 580.1. — Num hoc ipso loco Posidonius diserte addiderit contemplationem rerum naturae ad vitam beatam pertinere, incertum est. Quamquam enim ex eis quae Galenus p. 448, 13. 14 dicit: ἀρκεῖ μοι τὰ Ποσειδωνίου παραγράψαι τόνδε τὸν τρόπον ἔχοντα concludi potest totam Posidonii de fine disputationem ab eo translatam esse, tamen propter illud ἃ a quo fragmentum quod sequitur incipit, nonnihil a Galeno omitti suspicor. — Locus qui sequitur refertur a Gal. p. 450, 5.

1) cf. Plut. 1071A et Hirzelium II p. 245 sqq.

2) sc. ea actio quae ἕνεκά τινος fit, pro fine habenda non est cf. Hirzelium II p. 242.

3) sc. si recte et ad Posidonii mentem quae sint prima secundum naturam, explicamus.

4) de quibus cf. adn. proximam.

5) 'quod idem est ac probare illud ὁμολογουμένως ζῆν, quando id non illiberaliter tendat ad differentia consequenda.' Cum ironia Posidonius Chrysippum tangit, quod Zenonis praeceptum quo convenienter vivere iubemur (vel Cleanthis qui 'convenienter naturae vivere' substituit cf. Hirzelium II, 105 sqq.) ita circumscripserit, ut esset τὸ κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει cυμβαινόντων ζῆν (Stob. ecl. II, 134 D. L. VII, 87). Ironiam non modo ex ultimis verbis cognoscas, in quibus διαφόρων male mutatur, sed etiam ex verbis κατὰ τὴν ὅλην φύσιν cυμβαινόντων, quae Posidonius Chrysippi verbis amplificandi et exaggerandi causa substituit. Obicit enim hac in explicatione nihil inesse quod ad propriam hominis naturam qua a reliquis animalibus differat spectet. 'Quid enim', audiendum est, 'homini ad vitam suam ordinandam nosse prodest, quomodo plantae crescant, fulgura fiant vel etiam ferae inter se vivant? licet enim sciamus quae toto mundo accidant, quid homini ratione praedito expetendum et faciendum sit, inde non discimus; discimus, si ipsius naturam qua reliquis animalibus praestat consideramus.' Sequitur Posidonius

διέλυσεν ἡ αἰτία τῶν παθῶν ὁραθεῖσα καὶ τὰς ἀρχὰς ἔδειξε τῆς ἐν τοῖς ὀρεκτοῖς καὶ φευκτοῖς διαστροφῆς καὶ τοὺς τρόπους τῆς ἀσκήσεως διεῖλε[1]) καὶ τὰ διαπορούμενα περὶ τῆς ἐκ πάθους ὁρμῆς ἐξέφηνεν.[2]) οἶμαι γάρ[3]), ὅτι πάλαι βλέ-
5 πετε, πῶς διὰ λόγου μὲν πεισθέντες κακὸν ἑαυτοῖς παρεῖναι ἢ ἐπιφέρεσθαι οὔτε φοβοῦνται οὔτε λυποῦνται, φαντασίας δὲ ἐκείνων αὐτῶν λαμβάνοντες. πῶς γὰρ ἄν τις λόγῳ κινήσειε τὸ ἄλογον, ἐὰν μή τινα ἀναζωγράφησιν προσβάληται

Adn. crit. 2 ὁρατοῖς LH ὀρεκτοῖς A αἱρετοῖς Ml., qui etiam v. 1 εὑρεθεῖσα, quia p. 452 Galenus haec sic reddit: καὶ τὰς ἀρχὰς δὲ τῆς ἐν τοῖς αἱρετοῖς τε καὶ φευκτοῖς διαστροφῆς ἐδίδαξεν ἡ αἰτία τῶν παθῶν εὑρεθεῖσα, sed cf. excursum 5 πῶς = 'qui fiat ut' 7 sic L, λαμβάνονται H λόγος L 8 προσβάλληται L

Panaetium, qui finem esse dixit τὸ ζῆν κατὰ τὰς δεδομένας ἡμῖν ἐκ φύσεως ἀφορμάς (Clem. Strom. II p. 497 P. cf. Hirzelium II p. 430 sqq., qui recte p. 515 'Panaetius spricht geradezu aus, dafs nur die menschliche Natur den Mafsstab unseres Handelns abgeben soll'), secundum quem Cicero de off. I, 30, 105 ait: pertinet ad omnem officii quaestionem semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque beluis antecedat. (Cf. etiam Barlaami ethicorum c. 2., quod inscribitur 'vera beatitudo hominis, ut homo est').

Quodsi Posidonius ipse finem ita constituit, ut et actionem et τὸ ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν comprehendat, minime a se dissidet. Contemplationem enim illam rerum naturae non ut Chrysippus commendat, ut inde quid homini faciendum sit discamus, sed ex ipsius hominis ut animalis ratione praediti natura eam ad summum bonum pertinere concludit. — Denique ne quis miretur, quod Posidonius hanc Chrysippi potius circumscriptionem impugnare voluerit quam Cleanthis definitionem, qui in verbis ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν sec. D. L. VII, 89 τὴν κοινὴν μόνην ἐκδέχεται φύσιν, hanc quoque Cleanthis definitionem Posidonius ita probare potuit, ut eam recte interpretaretur (cf. p. 626 adn. 3). Nam quia communis illa natura cum hominis natura ita cognata est, ut et rationem habeat gubernantem et irrationalem partem gubernatam (cf. Posidonii ipsius verba s. p. 625, 26. 7), inde quoque concludere potuit hominem rationem sequi debere. Ipsis autem Chrysippi verbis τῶν φύσει συμβαινόντων de cognitione quae intercedit inter hominis et mundi *naturam* cogitare prohibemur. — Restat, ut me plane Wendlandio adsentiri dicam, cum de diversis finis definitionibus a Zenone Cleanthe Chrysippo prolatis haec pronuntiet: 'Ich glaube, dafs es sich hier nur um einen Gegensatz der Definitionen, dem vielleicht eine schärfere Betonung der einen oder der anderen Seite entsprechen mochte, nicht um einen prinzipiellen Gegensatz der Lehre handelt.' (Berl. Phil. Woch. 1897 p. 1381 in recensione libri Dyroffiani 'die Ethik der alten Stoa').

[p. 626] 6) Gal. 451, 7 sqq. cf. v. 6. τὰ τούτοις ἑξῆς ὑπὸ τοῦ Ποσειδωνίου γεγραμμένα.

1) cf. supra p. 620. 1 et 622. 3.

2) Quae Gal. p. 451—458 addit, ut hunc locum accuratius explicet, eis repetere videtur quae Pos. antea protulit. Itaque eorum antea rationem habui.

3) p. 458, 13 καὶ προσέτι 'τὰ διαπορούμενα' φησί (sc. Posidonius) 'περὶ τῆς ἐκ πάθους ὁρμῆς ἐξέφηνεν'. εἶτα αὐτός, ἅττα ποτὲ αὐτά ἐστιν, ἐπιφέρων ἐξηγεῖται τόνδε τὸν τρόπον· 'οἶμαι γὰρ κτλ.'

αἰcθητῇ παραπληcίαν; οὕτωc γοῦν ἐκ διηγήcεώc τινες εἰc ἐπιθυμίαν ἐκπίπτουcι καὶ ἐναργῶc ἐγκελευcαμένου φεύγειν τὸν ἐπιφερόμενον λέοντα οὐκ ἰδόντες φοβοῦνται. ⟨Cognoscitis ergo haec nullam habere difficultatem, si irrationalem animi facultatem a ratione seiungamus, Chrysippum vero haec explicare non posse supra vidimus. Non minus autem facile nunc explicatur, cur sapientes summis bonis potiti in affectum non incidant; sc. eorum gaudium non e motu irrationalium facultatum sed e iudicio rationis nascitur⟩[1])

καὶ μὴν οἱ προκόπτοντες μεγάλα κακὰ δοκοῦντες ἑαυτοῖc ⟨παρεῖναι⟩ οὐ λυποῦνται· φέρονται γὰρ οὐ κατὰ τὸ ἄλογον τῆc ψυχῆc οὕτωc ἀλλὰ κατὰ τὸ λογικόν.

εἶτα ἐφεξῆc οὗτος (sc. Posidonius), διὰ τί τὰ χρονίζοντα [τε] τῶν παθῶν ἡcυχεστερά τε καὶ ἀcθενέστερα γίνεται, τὴν αἰτίαν ἀποδίδωcιν, ὑπὲρ ἧc ὁ Χρύcιππος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ παθῶν ἀπορεῖν ὡμολόγηcεν ... τὸ[2]) τοίνυν παθητικὸν τῆc ψυχῆc ἐν τῷ χρόνῳ τοῦτο μὲν ἐμπίπλαται τῶν οἰκείων ἐπιθυμιῶν, τοῦτο δὲ κάμνει ταῖc πολυχρονίοιc κινήcεcιν, ὥcτε διὰ ἄμφω καθηcυχάcαντος αὐτοῦ καὶ μέτρια κινουμένου κρατεῖν ὁ λογιcμὸc ἤδη δύναται, ὥcπερ εἰ καὶ ἵππου τινὸc ἐκφόρου τὸν ἐπιβάτην ἐξενεγκόντος βιαίωc εἶτα κάμνοντός τε ἅμα τῷ δρόμῳ καὶ προcέτι καὶ ἐμπληcθέντος ὧν ἐπεθύμηcεν αὖθιc ὁ ἡνίοχος ἐγκρατὴc καταcταίη. φαίνεται γὰρ τοῦτο πολλάκιc γινόμενον καὶ οἵ γε παιδεύοντες τὰ νέα τῶν ζῴων ἐπιτρέψαντες αὐτοῖc κάμνειν τε ἅμα καὶ ἐμπληcθῆναι κατὰ τὰc ἐκφόρουc κινήcειc ὕcτερον ἐπιτίθενται. (cf. p. 399, 14 sqq. ὡc γὰρ ἐφίεται τὸ παθητικὸν τῆc ψυχῆc οἰκείων τινῶν ὀρεκτῶν, οὕτω καὶ τυγχάνον τῶν αὐτῶν ἐμπίπλαται κἀν τούτῳ τὴν ἑαυτοῦ κίνηcιν καθίcτηcιν, ἥτιc ἐκράτει τῆc ὁρμῆc τοῦ ζῴου καὶ καθ' ἑαυτὴν ἦγεν ἐφ' ὅτι παρήγετο.)

Eodem modo unde fiat, ut aut flere volentes nequeamus aut fletum inviti retinere non possimus, exponit sc. διὰ τὰc παθητικὰc

---

Adn. crit. 1 οὖν H 2 ἐμπίπτουcι ci. Ml., sed cupiditas est κίνηcιc ἔκφοροc τῆc ἐπιθυμητικῆc δυνάμεωc (cf. 368, 14) post ἐγκελευcαμένου Bake inserit του, sed cf. 312, 16. 17 εἰ μήπω ἄρα φῂc αἰcθάνεcθαι κατὰ τὴν καρδίαν λογιζομένου (ubi Ml, λογιζόμενοc) 11 ⟨παρεῖναι ἢ ἐπιφέρεcθαι⟩ Ml., sed proficientes ob eam tantum rem commemorantur, quod quamquam summum malum h. e. vitiositatem sibi *adesse* putant, aegritudine non implicantur 13 οὕτωc L 19 ὁ λόγοc L εἰ om. H 26 ὀρεκῶν corr. in ὀρεκτικῶν 27 τυγχανόντων vulgo ἑαυτῶν codd. corr. Ml.

---

1) ταῦτά τε οὖν εἴρηται καλῶc τῷ Ποcειδωνίῳ καὶ τὰ τούτων ἐφεξῆc ἔτι cυμπάcαc τὰc αἰτίαc ἐξηγουμένῳ τῶν ἀπορηθέντων ὑπὸ τοῦ Χρυcίππου, περὶ ὧν κατὰ τὸ πρὸ τούτου γράμμα διῆλθον ἐπὶ τῆc τελευτῆc· ὅθεν μοι δοκῶ καὶ νῦν ἐνταῦθα καταπαῦcαι τὸν λόγον μίαν ἔτι τὴν ἐφεξῆc αὐτοῦ παραγράψαc ῥῆcιν ἔχουcαν ὧδε· 'καὶ μὴν κτλ.' Gal. 454, 7—12. Cf. s. p. 612 extr. 2) 455, 7 sqq.

κινήσεις ⟨ἢ⟩ σφόδρα ἐγκειμένας, ὡς μὴ κρατεῖσθαι πρὸς τῆς βουλήσεως ἢ παντελῶς πεπαυμένας, ὡς μηκέτι ἐπεγείρεσθαι δύνασθαι πρὸς αὐτῆς[1]), nec minus, qua in re consuetudinis vis posita sit: ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἔθεσιν οἰκειοῦται κατὰ βραχὺ τὸ τῆς ψυχῆς ἄλογον,
5 οἷς ἂν ἐντρέφηται.[2])

Chrysippus vero cum facultates irrationales extare negat, non modo contra ea pugnat, quae evidentia sint, sed etiam a Zenone[3]) et Cleanthe discedit. ⟨Zenonem enim ita sensisse, ut irrationales motus in animo agnosceret, ex ipsis affectus definitionibus conclu-
10 dendum est(?)⟩[4]), Cleanthis vero sententia quae fuerit, ex his eius versibus adparet:

'Τί ποτ' ἔσθ' ὃ βούλει, θυμέ; τοῦτό μοι φράσον.'
'ἐγώ, λογισμέ; πᾶν ὃ βούλομαι ποιεῖν.'
†'βασιλικόν γε· πλὴν ὅμως εἶπον πάλιν.'
15 'ὡς ἂν ἐπιθυμῶ, ταῦθ' ὅπως γενήσεται.'

Quibus in versibus cum rationem cum ira colloquentem faciat, quin eas diversas esse statuat dubium esse non potest.[5]) Platonis vero sententiam iam multo ante ipsum Platonem Pythagoras comprobavit, si modo cum ex ipsius libris nullus extet, ex eis quae eius discipuli
20 dixerunt, coniecturam facere licet.[6]) Plato ipse autem eo progressus est, ut tres partes animi existere statueret loco facultate substantia diversas, sed ipse fieri non posse indicat, ut substantia diversas eas esse evincatur.[7])

Quae hucusque adtuli, non modo sine dubio e Posidonii l. I.
25 περὶ παθῶν sumpta sunt, sed etiam ad unam continuam disputationem pertinere videntur. Quae praeterea ad disputationem eius referri possunt, ea num e primo libro hausta sint, dici non potest.

Adn. crit. 1 ⟨ἢ⟩ Ml. πρὸ H πρὸς Bake 3 αὐτῆς corr. in αὐτῶν H 12 Nomina ΛΟΓ. et Θ. vulgo adduntur ποτε H ὅτε corr. in ὅ m. pr. H (cf. Kalbfleisch p. 5) 13 'quid ego velim? omnia perpetrare quae volo' Interrogandi signum quod post λογισμέ ponendum esse etiam Cobetus statuit (Mnem. N. S. IX, 112) ab editoribus similiter post Philemonis versum alterum a Plutarcho Mor. 458 A laudatum omittitur (qui paulò post versum priorem ab eodem homine pronuntiatur) 14 τυραννικόν γε Cobet 15 'ὅπως γενήσεται ταῦτα οὕτως ὡς ἂν ἐπιθυμῶ.' De ὅπως sic posito cf. Pors. ad Eur. Hec. 398 ὧν Corn.

---

1) 401, 4 sqq. quo de loco cf. 554 adn. 2 et 569.
2) 402, 2. 3 quo de loco cf. supra p. 555. 3) cf. 456, 3.
4) Quae Pos. de Zenone dixerat, G. consulto omisit cf. p. 458, 2. 3.
5) cf. p. 456.
6) cf. 459, 1—5. Ad rem cf. Cic. Tusc. IV, 5, 10 et Plut. ἠθ. ἀρ. 441 E: ὅτι δ' αὐτῆς ἐστι τῆς ψυχῆς ἐν ἑαυτῇ σύνθετόν τι καὶ διφυὲς καὶ ἀνόμοιον ..., εἰκὸς μέν ἐστι μηδὲ Πυθαγόραν ἀγνοῆσαι τεκμαιρομένοις τῇ περὶ μουσικὴν σπουδῇ τοῦ ἀνδρός, ἣν ἐπηγάγετο τῇ ψυχῇ κηλήσεως ἕνεκα ..., ἐμφανῶς μέντοι καὶ βεβαίως Πλάτων συνεῖδεν, ὅτι κτλ.
7) 461, 7. 13 sqq.; 462, 10. 1 et supra p. 569 et 572.

Quamquam eo loco quo de origine pravitatis Posidonius dicit (supra p. 620), fortasse inserenda sunt quae eum secutus Galenus p. 408 sqq. disserit[1]):

Cum enim Chrysippus malorum animorum statum his verbis depingat in l. I. π. παθῶν: ὑπονοητέον τοίνυν τὴν μὲν τῆς ψυχῆς νόςον ὁμοιοτάτην εἶναι τῇ τοῦ cώματος πυρετώδει καταςτάςει, καθ' ἣν οὐ περιοδικῶς ἀλλὰ ἀτάκτως πυρετοὶ καὶ φρῖκαι γίνονται καὶ ἄλλως ἀπὸ τῆς διαθέςεως καὶ μικρῶν ἐπιγινομένων αἰτιῶν[2]), Posidonius eam comparationem vituperat. χρῆναι γάρ φηςιν οὐ τούτοις ἀλλὰ τοῖς ἁπλῶς ὑγιαίνουςι cώμαςιν εἰκάςαι τὴν τῶν φαύλων ψυχήν· εἴτε γὰρ ἐπὶ μεγάλοις αἰτίοις εἴτε ἐπὶ cμικροῖς πυρέττοιεν, οὐδὲν διαφέρειν ὡς πρὸς τὸ πάςχειν τε αὐτὰ καὶ εἰς πάθος ἄγεςθαι καθ' ὁτιοῦν, ἀλλὰ τῷ τὰ μὲν εὐέμπτωτα εἶναι τὰ δὲ δύςπτωτα διαφέρειν ἀλλήλων.[3]) ⟨Quamobrem in promptu est comparationem sic instituere, ut cum eis sanis corporibus quae non facile in morbos incidant, sanos animos comparemus, cum reliquis animos male sanos⟩[4]), sed ne omnino Chrysippum secuti sana corpora cum sanis animis comparemus, ea res obstat, quod animi sunt affectione carentes, corpora non item.[5])

διὸ καὶ ἡ νόςος τῆς ψυχῆς ἔοικεν οὐχ, ὡς ὁ Χρύςιππος ὑπείληφε, τῇ νοςώδει καχεξίᾳ τοῦ cώματος, καθ' ἣν ὑποφέρεται ῥεμβώδεςιν, οὐχὶ περιοδικοῖς †οἷα τ' ἐμπίπτειν πυρετοῖς, ἀλλὰ μᾶλλον ἔοικεν ἡ ψυχικὴ νόςος ἤτοι cωματικῇ ὑγιείᾳ ἐχούςῃ τὸ εὐέμπτωτον εἰς τὴν νόςον ἢ αὐτῇ τῇ νόςῳ. ἔςτι γὰρ ἡ μὲν cωματικὴ νόςος ἕξις ἤδη νοςοῦςα, ἡ δὲ ὑπὸ τοῦ Χρυςίππου λεγομένη νόςος εὐεμπτωςίᾳ μᾶλλον ἔοικεν εἰς πυρετούς.[6])

Addenda praeterea haec:

[Plutarchi] utrum animae an corporis sit libido et aegritudo c. 6. (Bern. VII, 5, 14 sqq.)[7]):

Ὅ γέ τοι Ποςειδώνιος τὰ μὲν (sc. τῶν παθῶν φηςιν) εἶναι

Adn. crit. 22 ῥομβώδεςιν H, corr. Corn. 23 sic H περιοδικοῖς πυρετοῖς reliquis circumscriptis Ml. Fort. οἷα τ⟨ριταίοις ἢ τεταρταίοις⟩ ἐμπίπτει (cf. 411, 10), ita ut ὑποφέρεται (abripitur) et ἐμπίπτει (incidit) sibi opponantur. 24 Articulum addit Ml. ante cωματικῇ, delet ante νόςον. — De ultimis cf. supra p. 556 adn. 1.

1) De quibus cf. p. 556.
2) Gal. 411, 12 sqq. cf. etiam supra p. 578.
3) 'inter se tantum diversa esse' cf. v. 12. Utrum facile an non facile incidant, non interest, si dicendum est ea incidere posse, sed interest, si sana corpora inter se distinguimus.
4) cf. supra p. 556.
5) ἀπαθῆ μὲν γὰρ γίνεςθαι ψυχήν — τὴν τοῦ cοφοῦ δηλονότι — cῶμα δὲ οὐδὲν ὑπάρχειν ἀπαθές. Gal. p. 409, 1. 2, de quibus cf. 558 adn. 2.
6) Gal. 409, 9 λέγει γοῦν ὧδε κατὰ λέξιν· 'διὸ κτλ.'
7) cf. supra p. 593. 4.

ψυχικὰ τὰ δὲ cωματικά, καὶ τὰ μὲν οὐ ψυχῆc περὶ ψυχὴν δὲ ⟨cωματικὰ τὰ δ' οὐ cώματος περὶ cῶμα δὲ ψυχικά· ψυχικὰ μὲν⟩ ἁπλῶc τὰ ἐν κρίcεcι καὶ ὑπολήψεcιν[1]) οἷον ἐπιθυμίαc λέγων φόβουc ὀργάc· cωματικὰ δ' ἁπλῶc πυρετοὺc περιψύξειc πυκνώcειc ἀραιώcειc· περὶ
5 ψυχὴν δὲ cωματικὰ ληθάργουc μελαγχολίαc δηγμοὺc φαντασίαc διαχύcειc· ἀνάπαλιν δὲ περὶ cῶμα ψυχικὰ τρόμουc καὶ ὠχριάcειc καὶ μεταβολὰc τοῦ εἴδουc κατὰ φόβον ἢ λύπην.[2])

Praeterea Posidonius cum de ira et cupiditate eam sententiam protulisset, ut essent vehementiores motus facultatum irrationalium,
10 quaesivit, utrum omnino eis nomen affectuum imponi posset an potius actiones vocandae essent. Unde Galenus haec habet[3]):

ἡ μὲν οὖν ἐνέργεια κίνηcίc ἐcτι δραcτική, δραcτικὴν δὲ ὀνομάζω τὴν ἐξ ἑαυτοῦ[4]), τὸ δὲ πάθοc ἐν ἑτέρῳ κίνηcίc ἐcτιν ἐξ ἑτέρου. Quamobrem saepe eadem res et actio et affectio est velut
15 incisio actio est incidentis, affectio rei incisae. Altera tamen eorundem verborum significatione ita utimur, ut actionem nominemus quod secundum naturam sit, affectionem quod contra eam sit; secundum autem naturam id est, ὃ κατὰ πρῶτον λόγον ὑπὸ τῆc φύcεωc γίνεται. κατὰ πρῶτον δὲ λόγον ἐκεῖνα γίνεcθαί φαμεν ὑπὸ
20 τῆc φύcεωc, ὧν ὥcπερ cκοπῶν ἀντιποιεῖται καὶ μὴ δι' ἀκολουθίαν τινὰ ἑτέροιc ἐξ ἀνάγκηc ἕπεται.[5]) Ira igitur cupiditas similiaque et actiones et affectus adpellari possunt. Secundum enim priorem significationem actiones sunt eius irrationalis facultatis, cuius e motu nascuntur, affectus vero reliquarum facultatum atque totius hominis,
25 si quidem illis per vim ad aliquid abripitur. Secundum alteram autem notionem ira et cupiditates ipsarum quoque irrationalium facultatum e quibus nascuntur, affectus nominandae sunt, quatenus effusi et immoderati sunt motus. πολλάκιc μὲν γὰρ ἕπεται τῷ θυμοειδεῖ τὰ λοιπὰ δύο πολλάκιc δὲ τῷ ἐπιθυμητικῷ καθάπερ ἑλκόμενά τε καὶ
30 cυρόμενα, παραπλήcιον τρόπον ὡc εἰ καὶ ξυνωρίδοc ἵππων ὁ μὲν ἕτεροc ἰcχυρότερον ᾄξαc ἐπιcύρει τὸν ἕτερον ἅμα ἑαυτῷ μετὰ τοῦ

Adn. crit. 1. 2 suppl. Wyttenb. nisi quod inter duo ψυχικά habet καί. 3 idem τὰ ἐν κρίcεcι, τὸ κρίcεcι aut τὸ ἐκρίcεcι codd. 18 οὐ L 20 [τῆc] L 30 ὡcεὶ H cυνωρίδοc L ξυνωρίδεc H corr. Ml. 31 ἀΐξαc codd.

1) cf. supra p. 594.
2) Cicero de off. I, 29, 102 (Panaetius) de affectibus dicit 'a quibus non modo animi perturbantur sed etiam corpora'. Plut. ἠθ. ἀρ. 451 A: τοῦ δ' ἀνθρώπου ταῖc μὲν παθητικαῖc ὁρμαῖc τὸ cῶμα cυμπαθοῦν καὶ cυγκινούμενον ἐλέγχουcιν ὠχρότητεc ἐρυθήματα τρόμοι πηδήcειc καρδίαc, διαχύcειc αὖ πάλιν ἐν ἐλπίcιν ἡδονῶν καὶ προcδοκίαιc.
3) Gal. 491, 12 sqq. (quem Nemesius sequitur) cf. supra p. 575 sq.
4) cf. Gal. π. φυc. δυν. p. 105, 15 Helmr.: ἐνέργειαν δὲ τὴν δραcτικὴν ὀνομάζω κίνηcιν καὶ τὴν ταύτηc αἰτίαν δύναμιν et π. τ. cυμπτ. διαφ. VII p. 47 K: πάθοc δ' ἐcτὶν ἡ περὶ τὴν ὕλην ἀπὸ (ὑπὸ?) τοῦ δρῶντοc κίνηcιc, αὕτη δὲ ἡ τοῦ δρῶντοc κίνηcιc ἐνέργεια κτλ.
5) Gal. 492, 10 sqq.

σύμπαντος ἅρματός τε καὶ ἡνιόχου, ὁ δὲ ἕτερος ὑπὸ ἀσθενείας ἕπεται κατεπτηχώς, αὐτὸς δὲ ὁ ἡνίοχος ἀποφέρεται βίᾳ. τηνικαῦτα γὰρ ἡ μὲν κατὰ τὸν ἔκφορον ἵππον κίνησις ἐνέργειά τε καὶ πάθος αὐτοῦ λεχθήσεται, κατὰ μὲν τὸ πρότερον σημαινόμενον ἐνέργεια, κίνησις γάρ ἐστιν ἐξ ἑαυτοῦ, κατὰ δὲ τὸ δεύτερον οὐκ ἐνέργεια, 5 παρὰ φύσιν γε οὖσα κίνησις αὐτῷ, ἀλλὰ ἤδη πάθος. ἡ μέντοι τοῦ ἡνιόχου κίνησις οὐδὲ καθ' ἕτερον τῶν σημαινομένων ἐνέργειά ἐστιν, ἀλλὰ κατὰ ἄμφω πάθος, εἴ γε μήτε ἐξ ἑαυτοῦ μήτε κατὰ φύσιν ἡ κίνησις αὐτῷ.[1])

Denique adscribendus est locus e Galeni libris de Hippocrate 10 et Platone p. 596, 9 sqq.[2]), de quo conferendae sunt nostrae disputationis pp. 579 sqq.

(δέδεικται μὲν γάρ, ὡς) ἡ τοῦ γεγεννημένου ζῴου διοίκησις ὑπὸ τριῶν ἀρχῶν γίνεται, μιᾶς μὲν τῆς ἐν κεφαλῇ κατῳκισμένης, ἧς ἔργα καθ' ἑαυτὴν μὲν ἥ τε φαντασία καὶ ἡ μνήμη καὶ ἡ ἀνά- 15 μνησις, ἐπιστήμη τε καὶ νόησις καὶ διανόησις, ἐν δὲ τῷ πρός τι τῆς τε αἰσθήσεως προηγεῖσθαι τοῖς αἰσθανομένοις τοῦ ζῴου μέρεσι καὶ τῆς κινήσεως τοῖς κινουμένοις καθ' ὁρμήν, ἑτέρας δὲ τῆς ἐν καρδίᾳ καθιδρυμένης, ἧς ἔργα καθ' ἑαυτὴν μὲν ὁ οἷον τόνος ἐστὶ τῆς ψυχῆς καὶ τὸ μόνιμον ἐν οἷς ἂν ὁ λογισμὸς κελεύσῃ καὶ τὸ ἀήττητον, 20 κατὰ πάθος δὲ ἡ οἷον ζέσις τῆς ἐμφύτου θερμασίας ποθούσης τιμωρήσασθαι τῆς ψυχῆς τηνικαῦτα τὸν ἀδικεῖν δόξαντα, καὶ καλεῖται τὸ τοιοῦτον θυμός, ἐν δὲ τῷ πρός τι θερμασίας ἀρχὴν τοῖς κατὰ μέρος εἶναι μορίοις ἀρτηρίαις τε κινήσεως σφυγμικῆς· τῆς δὲ ὑπολοίπου δυνάμεως ἐν ἥπατι καθιδρυμένης ἔργα τὰ περὶ τὴν θρέψιν 25 ἅπαντα κατὰ τὸ ζῷον, ὧν μέγιστον μέρος ἐν ἡμῖν τε καὶ πᾶσι τοῖς ἐναίμοις ζῴοις ἐστὶν ἡ τοῦ αἵματος γένεσις. τῆς δὲ αὐτῆς ταύτης δυνάμεως καὶ ἡ τῶν ἡδέων ἐστὶν ἀπόλαυσις, ἐν ᾗ σφοδρότερον κινουμένη τοῦ δέοντος τήν τε ἀκρασίαν ἐργάζεται καὶ τὴν ἀκολασίαν.

Ad v. 21. conferendi sunt hi loci[3]): 30

Lactantius de ira 17 (e Senecae libris de ira): 'Ira est cupiditas ulciscendae iniuriae. alii, ut ait Posidonius, cupiditas puniendi eius a quo te inique putes laesum. Quidam ita definierunt: ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit aut nocere voluit.'[4])

Gal. 577, 1—3: οἱ δὲ μετὰ αὐτὸν (sc. Πλάτωνα) φιλόσοφοι 35 καὶ ὁρισμὸν τοῦτον ἐποιήσαντο τοῦ θυμοῦ, ζέσιν εἶναι φάσκοντες αὐτὸν τοῦ κατὰ τὴν καρδίαν θερμοῦ.[5])

Adn. crit. 4 πρῶτον L fort. recte (cf. 494, 10) 32 'alii' plurimi 'aut' Bonon.

---

1) Gal. 495, 7—496, 4.

2) Hunc locum, quem etiam Oribasius habet (III, 218 sq.) secundum Muellerum adscribere satis habui, nisi quod v. 17 pro ἀρχῇ (sic H et Orib.) cum Kalbfleischio (p. 40) scripsi ἀρχήν, ille seclusit εἶναι.

3) cf. App. II. 4) cf. p. 585. 6.

5) cf. supra p. 575 et 579.

Sen. de ira II, 19, 3: 'Volunt itaque quidam ex nostris iram in pectore moveri effervescente circa cor sanguine.'[1])

Oribasius III p. 211. 2: ὁ δέ γε θυμὸς πάλιν ζέσις ἐστὶ τοῦ περικαρδίου αἵματος· οὗτος ἀπὸ τῆς ὕλης· ἄλλοι δὲ πάλιν φασὶν 5 ὅτι θυμός ἐστι ζέσις ἄμετρος τῆς θυμοειδοῦς δυνάμεως· οὗτος ἀπὸ τῆς οὐσίας.[2])

Cic. de or. I, 220: Quis enim umquam orator magnus et gravis, cum iratum adversario iudicem facere vellet, haesitavit ob eam causam, quod nesciret, quid esset iracundia, fervorne mentis an cupi- 10 ditas reponendi doloris?'[3])

Adn. crit. 5 δυνάμεως et οὐσίας inter se transpositos exh. codd. cf. supra p. 584 10 'poeniendi' vel 'poniendi' codd. cf. supra p. 585 adn. 1.

1) cf. p. 585 et p. 595.

2) Altera definitio ad ipsam Posidonianam proxime accedit, cf. p. 584 et 586.

3) cf. p. 585.

Index capitum.

NOMINA PROPRIA LATINA


ORIUNDA A PARTICIPIIS

PRAESENTIS ACTIVI, FUTURI PASSIVI, FUTURI ACTIVI

QUAE QUANDO QUOMODO FICTA SINT.

SCRIPSIT

JOANNES SCHWAB.



De nominibus fictis a participiis praesentis activi, futuri passivi, futuri activi deinceps disserturus in uno quoque capite tractando hunc ordinem sequar, ut nonnulla, quae generatim mihi de nominum aetate patria frequentia usu fictione interpretatione dicenda visa sunt, praemittam, deinde singula nomina litterarum ordine disposita percenseam. quarto capite proferentur nomina suffixis aucta, totique commentationi adiciam conspectum nominum personalium, ex quo et quot nomina exstent ficta a participiis praesentis activi, futuri passivi, futuri activi et qualia uniuscuiusque derivata, facile perspici poterit.

I.

Ordiamur igitur a nominibus fictis ex participiis praesentis activi. Atque eorum, quae in *-ens* exeunt, plus triplo maior est numerus quam desinentium in *-ans;* mirationem quandam id fortasse habet, cum in nominibus, quae originem trahunt a participiis perfecti, terminatio *-atus* ceteris excellat.

Antiquiore tempore perrara fuerunt nomina nata ex participiis praesentis activi. vetustum est nomen *Lactans,* quo appellatus est deus *qui se infundit segetibus et eas facit lactescere,* ut Servius (ad Ge. 1, 315) ex Varrone tradidit. novimus praeterea cognomen virile *Violens,* quod in Volumniorum gente sollemne fuit (antiquissimus, quem scimus eius cognominis, est *L. Volumnius Flamma Violens* cos. annor. 447 et 458 u. c., cognomen *Sapiens* inditum esse C. Laelio tribuno plebis narrat Plutarchus in vit. Tib. Gracch. 8 (cf. Senec. ep. 64, 10). vetus est etiam *Avens,* nomen fluvii Sabinorum, quod a latino *avendi* verbo ductum esse potest (Serv. ad Aen. 7, 657 ex Varrone). appellatio quoque *Confluentes,* qua loci, quibus duo fluvii confluunt, significari solebant, prisca videtur esse. forma pluralis sine dubio ex locutione *ad* vel *inter confluentes* scil. fluvios nata est (cf. nomen *Interamna*). denique nominis proprii vim habet vox *Di Consentes,* qua intelligebantur summi duodecim dii, qui publice a Romanis colebantur.

Crebriora facta sunt nomina in *-ens* et *-ans* inde ab extremis liberae rei publicae et primis imperatorii aevi annis, referendum id est ad immutatam medio fere septimo urbis saeculo nomenclationem. nam inde ab eo tempore usus cognominum, quae antea praeter non-

nullas nobiliores plebis gentes a patribus solis usurpata et quasi sui ordinis privilegium habita erant, apud humilioris condicionis homines paulatim invaluit, lentius apud ingenuos, festinantius apud libertinos, ita ut quod tituli docent, Augusto et ipso Tiberio imperantibus non raro ingenui tenuiores cognomine carerent, libertinorum vero hominum post saeculum septimum medium fere nemo. convalescente autem hoc more praeter graeca nomina ingens latinorum nove fictorum numerus succrevit, cumque is, qui manumittebatur, nomen, quod antea tulerat, pro cognomine sumere soleret, maior pars cognominum, quae tunc temporis quasi pullulabant, originem a servili usu traxisse et a libertinis ad humiliores ingenuos transiisse consentaneum est. in horum novorum nominum numero ea sunt nomina nata ex participiis praesentis activi, quae praeter pauca vetustiora, quae supra rettuli, inveni.

His posterioribus nominibus in *-ens* et *-ans* non omnibus eadem fuit frequentia; permulta in titulis latinis subraro occurrunt. sunt, quorum unum tantum supersit testimonium, velut *Abstinens*, *Carens, Continens, Fruens, Latens, Libens, Licens, Parens, Pollens, Succedens, Volens*, *Cogitans, Superans.* in ampliore usu fuisse nomina *Potens, Prudens, Oriens, Praesens, Elegans, Obsequens, Insequens, Innocens* tituli docent. longe usitatissima et in omnium provinciarum titulis obvia fuerunt nomina *Crescens, Valens, Pudens, Constans.*

Haud paucorum nominum exempla copiam dant certioribus terminis et circumscribendi temporis, quo quodque natum sit nomen et quamdiu quodque virguerit constituendi. Haec nomina ita adscribam, ut comprehendam, quae intra certam epocham nata sunt.

Atque extremis iam liberae rei publicae annis ficta sunt procul dubio *Praesens, Crescens, Valens.* horum vetustissimum est *Praesens,* quod haud scio an septimo iam urbis saeculo in usu fuerit. id ex nonnullis pervetustis titulis, qui gentile *Praesentius* ab illo cognomine ductum exhibent, concludi potest (XI 2023[1]), 2027, 3254, V 4097).

Augusto imperante in usum venerunt *Pudens, Patiens, Decens, Elegans, Diligens, Florens,* sub Claudiis *Fidens, Constans, Potens, Prudens*, *Oriens*, *Obsequens;* aevi Flaviani sunt, quantum ex titulis colligi licet, nomina *Advolans, Exellens, Continens, Innocens, Agens, Adulescens, Conveniens, Eminens,* alteri primi saeculi parti adscribi possunt etiam *Insequens, Abstinens, Exoriens, Frequens, Cliens, Volens.*

Exempla, quae probabiliter primo saeculo adtribui possent, nulla inveni nominum *Gaudens, Carens, Exsuperans, Dolens, Latens, Superans.*

Plurima nomina in *-ens* et *-ans* tertio fere saeculo exeunte in usu esse desierunt, pauca transierunt in christianorum usum, in

---

1) numeris his nude positis indicantur volumina et tituli corporis inscriptionum Latinarum.

quorum titulis leguntur *Adulescens, Constans, Crescens, Innocens, Patiens, Valens,* in libris semel nomen *Decens* occurrit.

Ex his *Adulescens* et *Decens* non ultra quartum saeculum usurpata sunt, *Patiens* et *Constans* non ultra quintum, *Crescens* et *Valens* ipso sexto saeculo haud ita raro inveniuntur. solos titulos christianos testes habemus horum trium nominum rarissimorum *Armipotens, Fruens, Parens.*

Nominum oriundorum a participiis praesentis, quorum patria aliqua cum probabilitate erui potest ex titulis, permagna pars assignanda est Galliae Cisalpinae, ubi tales formae in nominibus fingendis in deliciis fuisse videntur. In Cisalpina enim et finitimis regionibus ficta esse iudico nomina *Valens, Potens, Pollens, Fidens, Florens* (cf. oppidorum nomina *Valentia, Potentia* etc.); porro *Praesens, Crescens, Abstinens, Frequens, Absens, Prudens, Constans, Amans, Pudens.* Italiae superioris propria fuerunt *Patiens, Adulescens, Obsequens, Armipotens,* fortasse etiam *Licens, Agens, Decens.* Norico peculiare fuit *Insequens,* Galliis Transalpinis *Sequens, Libens,* septentrionalibus provinciis *Recens* et *Regens, Providens* (fortasse Germaniis), *Dolens* (fortasse Delmatiae), *Cogitans* (fortasse Hispaniae, ubi unicum, quod habeo exemplum, inventum est). in Italia nata sunt *Elegans, Advolans, Innocens,* mediae Italiae esse potest *Diligens,* Romae *Violens.* Africana nomina videntur esse *Ingens, Maturescens, Succedens, Exsuperans.*

Pleraque nomina in *-ens* et *-ans* aeque ac reliqua unius terminationis nomina[1]) tantum viris imponi solebant; si filiae cognomen ex patris cognomine in *-ens* vel *-ans* exeunte dabatur, aut formae deminutivae in *-illa,* velut *Crescentilla, Constantilla,* aut quod altero imprimis et tertio saeculo in usu fuit, formae derivativae in *-ina* et *-iana,* velut *Crescentina Crescentiana, Potentina Potentiana,* adhiberi solebant. duodecim nomina in *-ens* et *-ans* ex titulis conlegi, quae viri cum mulieribus communia habebant, ita tamen ut virilis usus longe praevaleret. haec sunt

Elegans (VI 581.[2]), 15806 l., 18630, 19889, 25482, XIV 1213 l.),
Crescens (III 4199, V 7023 l., VI 5815, IX 5228, XI 1957),
Pudens (V 2872 l., VI 25206 s.[2]), X 4046, XI 3031),
Constans (VI 8101, 16370, VIII 5470),
Obsequens (VI 8051, 15526, XIV 411),
Frequens (V 3182 l., 3758 l.),
Potens (V 836 ing.[2]), XIV 3810),
Diligens (XIV 1270),
Florens (V 2246 l.),
Praesens (VI 13879),

---

1) cf. Momms. Eph. epigr. IV pg. 523.
2) littera l. adposita significatur libertinam nomen habuisse, littera s. servam, litteris ing. ingenuam.

Sequens (?IX 4810),
Amans (VI 13701 l.).
in eo quod primum adposui nomine *Elegans* muliebris usurpatio satis frequens fuit, nam viginti exemplorum, quae omnino inveni eius nominis, sex sunt muliebria. facile cognoscis ex omnibus exemplis modo adlatis usum illum valuisse imprimis in urbe et in Cisalpina.

Quinque nomina rarissima *Abstinens* (V 4678), *Ingens* (VIII 9685), *Habens* (III 3898 l.), *Latens* (VI 15489), *Pollens* (V 7271) nisi mulieribus non indita inveni in titulis, fasque est putare nomina *Latens* et *Habens* primitus esse muliebria, quandoquidem cognata quoque nomina graeca *Lanthanusa* et *Hecte*[1]) forma masculina careant. fere omnia nominum in *-ens* et *-ans* mulieribus impositorum exempla bonae vel optimae aetatis (id est saeculi primi et alterius) sunt, dimidia fere pars est urbis et veteris Latii, sequitur numero Gallia Cisalpina, pauca sunt reliquae Italiae, duo Pannoniae unumque Africae.

Sed certa forma feminina nominum oriundorum a participiis praesentis inde a medio altero post Chr. n. saeculo in usum recepta est. haec forma ita fingebatur, ut suffixum *-nt* in *-ntia* produceretur; exempli gratia a nomine *Gaudens* figurata est *Gaudentia,* ab *Innocens Innocentia.*

Neque vero tales formationes tum primum exstiterunt, sed quasi renatae sunt, postquam multo ante fictae paene evanuerunt et quasi emortuae latuerunt. Nam vetustiore iam tempore formas femininas in *-entia* nominum propriorum in usu versatas esse docent nomina dearum *Pollentia* (Liv. 39, 7. 8), *Valentia* (Tert. apol. 24, Grut. inscr. 2, 12), *Paventia* (Augustin. civ. Dei 4, 11) et *Libentina* vel *Lubentina* (Varro l. l. 6, 47), quod redit ad *Libentiam,* quae forma semel apud Plautum (Asin. 268) obvenit. his addi potest nomen *Larentia* (Varro l. l. 6, 3), quod conferas cum *Larunda*, de quo infra verba faciam. deinde memoranda sunt nonnulla oppidorum nomina, quae a Romanis saeculo urbis sexto et ineunte septimo in Italiae superioris et Galliae Cisalpinae regionibus quasi propugnacula ad arcendos Gallorum impetus condita sunt: *Faventia, Fidentia, Pollentia, Florentia, Placentia, Potentia, Valentia.* Haec nomina nihil aliud sunt quam formae femininae participiorum *pavens, libens, favens, fidens, pollens, florens, placens, potens, valens.*[2])

Ab his formis femininis in *-entia* exeuntibus facillimus erat transitus ad novam et ut ita dicam significantiorem masculinam in *-entius* desinentem.[3]) et re vera nonnulla nomina personalia in *-entius* et *-antius* (sunt autem gentilicia) extremis liberae rei publicae et

1) VI 27751.
2) similiter substantiva abstracta in *-entia -antia* velut *continentia praestantia* primitus concreta fuerunt.
3) cf. substantivum *nuntius* a *novendi* verbo ductum.

optimis imperatorii aevi temporibus in septentrionalibus Italiae partibus et in Gallia Cisalpina in usu fuisse ex titulis novimus. tria *Valentius* (V 6591, 3791, 4481, 6591, X 5531), *Placentius* (I 62 a b = XIV 3568 a b), *Pollentius* (V 82, 83, 212, 213, 214, 248, 2309, XI 762) procul dubio profecta sunt ab oppidorum nominibus *Valentia, Placentia. Pollentia,* quippe cum haud spernendus omnium gentiliciorum latinorum numerus a locorum nominibus originem duxerit. idem fortasse valet de gentilicio *Cluentius,* quod natum esse potest ex vico *Cluento* regionis Italiae quintae; antiquissimi eius nominis quos novimus sunt *L. Cluentius* dux Italorum aetatis Sullanae (App. b. c. 1,50) et *A. Cluentius Habitus* pater *Cluenti Habiti* eius, quem Cicero defendit. nomen exstat etiam in nonnullis titulis Transpadanis et mediae Italiae, inter quos unus est Larini, quo in oppido nati sunt illi *Cluentii Habiti.* similiter opinor *Amantius,* ad quem Caesar, ut Plutarchus tradidit (Caes. 50), nota illa verba *veni vidi vici* scripsit, nomen traxit ab *Amantia* oppido Bruttii. a cognominibus personalibus derivata sunt sine dubio gentilicia *Praesentius, Praestantius, Calventius. Praestantia* gentile semel obvenit in titulo Bononiensi ineuntis saeculi primi, *Praesentius* in titulis Cremonensi, Perusino, Sutrino eiusdem fere temporis vel paulo antiquioribus, et in nonnullis Auximatibus, qui optimae sunt aetatis. *Calventius,* cuius prima mentio fit a Cicerone, vernaculum fuit Galliae Cisalpinae nomen unumque ex omnibus vetustioribus his gentiliciis in *-entius* desinentibus latius evulgatum est; nam per priora duo post Christum natum saecula in omnibus fere Italiae regionibus occurrit, interdum etiam in provinciis. haec si comprehendimus, fatendum est nominum participialium in *-entia* et *-entius* subangustum fuisse usum liberae rei publicae temporibus et ineuntis principatus.

Sed reviviscebant, ut supra iam monui, inde a medio fere altero saeculo formae in *-entia -entius, -antia -antius.* prima quae scio novati huius usus exempla sunt *Amantia* tituli Viennensis (XII 2021), quem Hirschfeld bonis litteris saeculi primi vel alterius scriptum esse affirmat, et *Crescentia* in titulo sepulcreti familiae Augustae Carthaginiensis posterioris, quod Mommsen Hadriani, Pii Augusti Caesarisque Marci temporibus adsignat (VIII 12692); iis addi potest *Crescentia* tituli Numidici, qui eorundem fere temporum est (VIII 10814). tertio saeculo iam satis celebria et numerosa sunt haec nomina. Nam non solum a multis cognominibus in *-ens* et *-ans,* quae in usu erant, formae femininae in *-entia* et *-antia* et masculinae in *-entius* et *-antius* trahebantur, sed etiam — isque numerus plus duplo maior est — nova nomina in *-entius* et *-antius* fingebantur, quibus simplicia in *-ens* et *-ans* non antecesserant.

Et primum quidem haec vetusto more nove ficta nomina, utpote formae tunc insolitae et quasi irrepentes in nominum supellectilem, non raro agnominum vel signorum quae dicuntur vice functa

sunt, ut *Agentius* VIII 863, 858, *Audentius* VIII 1296, XII 1981, *Auxentius* IX 1760, *Innocentius* V 5343, *Florentia* CI Rh. ed. Bramb. 1125, *Gaudentius* XIV 418, *Potentia* II 4313(?), *Potentius* VI 1434, *Praesentius* VIII 5373, *Recentius* XII 182, *Saxentius* VIII 5502, *Valentius* XIV 1697, *Vincentia* VIII 762, 18366, *Vincentius* IX 3278, VI 23824, *Amantia* XII 2028, *Amantius* IX 2105, *Constantius* II 2570, V 5892 (in utroque titulo signum familiae), III 6016,5, III 10188, VIII 12382, *Lactantius* VIII 17767, *Optantius* VIII 17904, *Vigilantius* VIII 8549. duo nomina in *-entius* et *-antius*, *Virentius* (VIII 10504) et *Volantius* (VII 370) non sunt nisi ut signa nobis nota.

signorum vel agnominum locum obtinent etiam neutri generis formae mulieribus inditae *Florentium* VI 12853, *Innocentium* VI 22628, *Exsuperantium* VI 26152, *Venantium* VIII 9278.

simul autem nomina in *-entius* et *-entia*, *-antius* et *-antia* in iustorum quoque cognominum successerunt locum. hic usus tertio maxime saeculo amplissimus fuit. cumque inde fere ab quarto saeculo incipiente unius nominis usus primo apud humiliores postea etiam apud nobiliores homines in titulis invalesceret, pro unico nomine usurpabantur nomina in *-entius -antius*. sic posita in plurimis christianorum titulis obveniunt.

nomina in *-entius* et *-antius* imprimis ingenuorum hominum propria fuisse videntur. rariora sunt in titulis exempla hominum servilis vel libertini loci ut *Crescenti* II 6014 l., X 3763, III 6424; *Crescentiae* III 6424, VIII 11243; *Florenti* V 5315 l., VII 1270, 1330,14, X 8053,81, VI 18481; *Gaudenti* X 8059,176,177; *Innocenti* XIV 4136; *Licentiae* VI 22926 l.; *Constanti* XIV 3649 III 6, VI 647, 776, *Exsuperanti* XII 5690,47, XIV 3649,3,3.

mature vero, id est inde a medio altero saeculo, imprimis autem tertio et prima parte quarti nonnulla nomina participialia in *-entius* et *-antius* gentiliciorum interdum vices explebant. revocandus est hic usus ad peculiarem quandam posterioris temporis nomenclationem, cuius vestigia iam in saeculi primi titulis animadvertuntur (cf. velut XII 517). apud provinciales enim et peregrinae condicionis homines, praecipue apud milites inde ab ineunte altero saeculo in magnum novorum gentiliciorum numerum incidimus. ea ex cognominibus usu tritis addita terminatione *-ius*, quae antiquitus in fingendis gentiliciis sollemnis fuit, nata erant. talis enim haud raro apud illius generis homines fuit nomenclationis ratio, ut filii filiaeque patris cognomen, interdum etiam matris vel utriusque parentis promiscue, pro gentilicio acciperent, qui usus praecipue in septentrionalium provinciarum titulis observatur.

nomina participialia in *-entius* et *-antius*, quae hoc more in gentiliciorum usum convertebantur, haec sunt

Agentius (in Africa),

Audentius (in titulis Liternino, Capuano, Membressano eiusdem ni fallor hominis),
Crescentius (in Cisalpina, Norico, imprimis in Germaniis, quarum unus titulus est anni 230, ter denique Romae in laterculis militaribus ineuntis saeculi tertii),
Florentia (bis in Africa),
Florentius (in titulo Rhenano),
Gaudentius (in titulo Aquileiensi et urbano militari annorum 205 et 210),
Innocentius (in Africa),
Obsequentius (Pisae),
Prudencius (sic in titulo Rhenano),
Pudentius (bis in Norico),
Sequentius (in titulo Rhenano),
Valentius (in titulo Dacico saeculi fere tertii),
Vincentius (in titulis Moesico et urbano militari et Salonitano fortasse christiano),
Constantius (in Delmatia saepiusque in Germaniis, ubi unus titulus anni 236 est; duo *Constantii*, qui in titulis urbano militari annorum 197 et 198 (VI 3884) et Nucerino (X 1092) memorantur, gentile ab oppido Nuceria, cui cognomen *Constantia* fuit, traxerunt),
Novantius (in titulo Britannico saeculo alterius, bisque in Africa, semel in Moesia superiore),
Noventius (in Africa),
Sperantia (Coloniae Agrippinensis),
Venantia (Romae).
usitatissima horum gentiliciorum fuerunt *Crescentius, Constantius, Vincentius.*

Iam necesse est paulum commorari in originatione nominum oriundorum a participiis praesentis activi. Ac multorum significatio in propatulo est neque est cur de iis verba faciam. de aliis vero singularibus nominibus, quae accuratiore interpretatione egent, infra ubi omnia deinceps percensebo, suo loco dicetur. hic nonnulla generaliter de illorum nominum origine grammatica proferam. et primum quidem monendum est haud paucis nominibus oriundis ex participiis praesentis respondere nomina ficta ex participiis perfecti eorundem verborum, nec errare eum puto, qui ex his utpote vetustiore et ad fingenda nomina longe uberiore suffixo formatis nominibus illa, quae in *-ens -ans -entius -antius* terminantur, efficta esse dicat. nomina eadem sunt, variata non sunt nisi suffixa. qua ratione a vetustioribus nominibus suffixo *-to* figuratis formae in *-ens -ans -entius -antius* profectae sint, duo ostendant luculentissima exempla; in uno, quod est tituli Africani VIII 9050, patris cognomen *Donati* filius in *Donantius* flexit, in altero urbano VI 2708 filio cognomen *Exsuperantianus* inditum est ex patris cognomine *Exsuperati.*

nonnulla quoque exstant nomina in *-ens -ans -entius -antius*, quibus gemella accedunt nomina nata ex participio quod dicitur futuri passivi.

Sed ut sciatur, quot nomina ratione modo a me explicata sint orta, omnia ab iisdem verbis profecta infra in conspectum adponam:

Cogitans		*Cogitatus*	
Exsuperans		*Exsuperatus*	
Conveniens		*Conventa*	
Continens		*Contentus*	
Diligens		*Dilectus*	
Succedens		*Successus*	
Amans	*Amantius*	*Amatus*	*Amandus*
Agens	*Agentius*	*Actus*	*Agenda*
Fruens	*Fruentius*	*Fructus*	*Fruendus*
Habens	*Habentius*	*Habitus*	*Habendus*
Oriens	*Orientius*	*Ortus*	*Orienda*
	Donantius	*Donatus*	
	Dubitantius	*Dubitatus*	
	Liberantius	*Liberatus*	
	Lupantius	*Lupatus*	
	Novantius	*Novatus*	
	Optantius	*Optatus*	*Optandus*
	Palmantius	*Palmatus*	
	Perseverantius		*Perseverandus*
	Probantius	*Probatus*	*Probanda*
	Servantius	*Servatus*	*Servandus*
	Sperantius	*Speratus*	*Sperandus*
	Alentius		*Alendus*
	Augentius	*Auctus*	*Augendus*
	Emerentiana	*Emeritus*	
	Faventius	*Faustus*	
	Legentius	*Lectus*	
	Pascentius	*Pastus*	
	Placentius	*Placitus*	
	(? Renascentius)	*Renatus*	
	Spargentius	*Sparsus*	
	Tuentius	*Tutus*	*Tuendus*

quaedam nomina in *-entius* desinentia per analogiam nominum natorum a participiis praesentis formata sunt ex nominibus propriis, imprimis ex gentium externarum nominibus, quae personalium

nominum susceperant partes: a nomine *Gallus* ductum est *Gallentius*, ab *Hercules* vel *Herculius Herculentius*, a *Magnus Magnentius*, a *Maximus Maxentius*, a *Maurus* vel *Mauricus Maurentius; Mesentius* natum est fortasse ex nominibus *Messor* vel *Messius*, potest etiam esse *Mezentius* Vergilianus. *Panentius* fortasse originem traxit a nomine *Pannonius*. *Pientius* (*piens pientissimus* interdum in titulis leguntur) ductum est a *Pius; Sarmentius* a *Sarmata, Sarmatio*[1]), *Saxentius* a *Saxa, Saxio, Saxianus*, fortasse autem a nomine gentis *Saxonum* (*Saxo* cognomen est V 4373, *Saxonianus* X 222).[2])

duo graeca nomina *Auxetus (Auxetius)* et *Nicetes (Nicetus, Nicetius, Niceticus)* induerunt terminationem eandem; ex illo factum est *Auxentius*, ex hoc *Nicentius*.

ab oppido *Consentia* tractum est gentile *Consentius*, a *Pisa Pisentius*, a *Sextantione Sextantius;* a substantivis in *-entum* ficta sunt *Argentius, Crementius, Frumentius, Portentius, Samentius, Sementius* alia. externae originis sunt casuque terminationem in *-entius* cum nominibus a participiis natis communem habent *Plarentius* (VI 3125 X 3486), *Sudicentius* (VI 2785), *Aulucentius* (V 940), alia.

exitus in *-entius*, ut ex his omnibus exemplis cognoscimus, celebrior fuit quam in *-antius*. quare non est mirandum, quod nominum *Novantius* et *Dignantius* exstant exempla in *-entius* mutata. similis ratio est nominis *Rorentia*, quod si recte in lapide (I. Chr. I 520) exaratum neque oscitanter pro *Florentia* positum est, probe a *rorandi* verbo trahitur. huc pertinere videtur etiam, ut Buecheler me monuit, *Violentilla* nomen Arrunti Stellae uxoris (Stat. silv. I 2), quam Martialis *Ianthida* vocat (Friedldr. ind.), quasi *Violantillam*. nomen *Salventius* ductum esse potest a *salvendi* verbo, sed vereor ne pro *Salvantius* dictum sit (cf. nomina *Salvatus, Salvator, Solutor, Liberantius, Redemptus, Servatus, Sozomenus*).

postremo verba facienda sunt de significatione passiva, quae nonnullorum, de quibus hic agimus, nominum propria est. in libris, ut prisci usus vestigia praeteream, primordia similis participiorum praesentis usus apparent apud Sallustium (Iug. 79,6) et Vitruvium (161, 15). reperis etiam exempla apud Tacitum. crebrior autem facta est usurpatio passiva participiorum praesentis inde ab Hadriani, imprimis Antoninorum aetate apud scriptores. Nomina, quae hanc rationem sequuntur, plus viginti sunt; eorum quattuor et simplici forma in *-ens* et *-ans* et ampliore in *-entius* et *-antius* occurrunt: *Fruens Fruentius, Habens Habentius, Reverens Reverentius, Amans Amantius*. reliqua statim initio in *-entius -antius* ficta sunt. antiquissimum est *Amans*, quod iam primo post Chr. n. saeculo in usu

---

1) nisi forte rectius trahitur a substantivo *sarmentum*, ad quam opinionem ducimur nomine *Sarmentus* cf. Iuvenal. 5,3 cum scholio.

2) nomen *Saxentius* trahi licet etiam a substantivo *saxum*, cf. *Saxanus*, cognomen Herculis in compluribus titulis Rhenanis.

fuit; bonae aetatis etiam *Habens* esse videtur, *Fruens* in uno titulo christiano occurrit. productoris formae prima sunt *Amantius* et *Novantius*, quae altero invaluerunt saeculo. plurima inde a vergente hoc saeculo in titulis obveniunt. titulorum christianorum non paganorum sunt nomina *Alentius, Pascentius, Salventius, Dignantius, Liberantius, Palmantius*. in Africa ficta vel imprimis usurpata sunt, quantum ex titulis concludi licet, nomina *Augentius, Tuentius, Donantius, Dubitantius, Lactantius, Liberantius, Optantius*. Galliis imprimis Cisalpinae probabiliter adtribui possunt *Legentius*, *Pascentius, Amans Amantius, Dignantius*, *Palmantius, Servantius*. horum nominum passiva natura quo melius cognoscatur, cum iis nonnulla nomina latina et graeca, quae aliquid ad eorum vim passivam illustrandam conferunt, ut fors tulit, componam:

Amans, Amantius: Amatus Amandus Philumenus Eromenus Agapomenus Philetus Pephilemene Agapetus.

Alentius Pascentius Lactantius: Alendus Pastus Threptus Trophimus Alumnus.

Augentius Auxentius: Augendus Auctus Auxetus Ampliatus Adiectus.

Donantius: Donatus Datus Doretus.

Dubitantius: Dubitatus Dubius Hypoptus.

Fruens Fruentius: Fructus Fruendus Frunitus Apolaustus.

Habens Habentius: Habendus Habitus Potitus Possessa Adeptus Hecte.

Legentius: Lectus Eglectus Exquisita.

Liberantius: Liberatus Libertus Eleutherus.

Novantius Noventius: Novatus.

Optantius: Optandus Optatus Pothumene Cupitus.

Palmantius: Palmatus Coronatus Diadumenus.

Probantius: Probanda Probatus.

Reverens Reverentius Dignantius: Venerandus Colendus Sanctus Semnus Hagnus Sebastus Dignus Dignissimus.

Servantius Salventius: Servatus Salvatus Servandus Sozomenus Liberatus Solutus Redemptus.

Spargentius: Sparsus Varius Variosus Ποικίλιος.

Sperantius: Sperandus Speratus Elpizomenus Elpistus Euelpistus.

Tuentius: Tutus Tuendus Protectus.

Erigentius probe mediali sensu accipitur cf. *Surgentius Anastasius.*

Indulgentius vel active potest intelligi (cf. *Clemens Benignus Benevolus*), vel passive (cf. *Acceptus Gratus Suavis Amatus Dulcis Dulcitius Dulcissimus Iucundus*).

elucet praeterea plurima horum nominum, quorum passivam naturam explicavimus, si accuratius interpretaris, non tam ad praesens spectare tempus quam ad perfectum, *Donantium*, puta, non tam eum esse, qui donatur, sed qui donatus est. promiscue igitur habita sunt in his nominibus participia praesentis et perfecti. probatur

autem ea interpretatio corruptione illa, quae in temporum usu apud scriptores infimae latinitatis increbruit. in plebeium sermonem, unde nomina, de quibus disceptatio est, profecta sunt, tales temporum confusiones iam multo ante invasisse verisimile est.

par invenitur ratio nonnullorum in *-entius* et *-antius,* quae activum retinuerunt sensum. ea perpetuum statum et constantem qualitatem aeque ac substantiva in *-tor* vel mera adiectiva significant. sunt quae ex talibus simplicioribus formis, quae in nominum locum successerant, expressa esse videantur, velut *Clarentius* ex nomine *Clarus, Salventius* ex *Salvius, Vincentius* ex *Victor, Viventius* ex *Vivius, Laetantius* ex *Laetus, Venantius* ex *Venator, Vigilantius* ex *Vigilius, Audentius* ex *Audax.*

iam singula nomina ficta a participiis praesentis deinceps proponam et quantum fieri poterit ita percensebo, ut et quando quodque et ubi natum sit, nec minus apud quos qualesque potissimum homines, in quibus regionibus, quamdiu in usu fuerit, cognoscatur. prima prodeant nomina in *-ens,* sequantur in *-ans* formata.

A. nomina in *-ens, -entius*

Absens

nomen servile, quod non ante medium saeculum primum fictum esse videtur. fortasse natum est in Gallia Cisalpina. comparaverim cum nomine *Absens* contrariae significationis nomen *Praesens.*

Primus est ni fallor *T. Flavius Apsens mesor agror.* Carthagine in tabella sepulcreti familiae domus August. prioris VIII 12638.

M. Ulpius Absens tituli prope Thevestam reperti VIII 2048.

Romae est *Apsens* servus in lapide bonae aetatis VI 12510.

Atriae reg. X *M. Sabinius Apsens* V 2362 saeculi fortasse II.

Absentius Absentia

Absentia occurrit in titulo urbano inferiorum hominum, qui est fere saeculi tertii vel ipsius quarti VI 25762. *Absentius* quidam memoratur ab Augustino contra Petilian. 1 init.

Abstinens

Fulvia Apstinens Brixiae V 4678 in titulo boni temporis (conferas nomina *Continens, Contentus*).

Adulescens

(similia nomina sunt *Maturescens Maturus Tempestivus Acmazon*). nomen in Italiae superioris regionibus praecipue usurpatum esse videtur.

in tabula alimentaria Veleiensi anni 102 bis recurrit: *Atilius*

Adulescens adfinis XI 1147 2,2 et *Valerius Adulescens* XI 1147,1, 15 et 3,15.

Adulescens nomen est fortasse in titulo christiano Montalcini reg. VII reperto anni 347 XI 2599.

Agens

Popilius Agens adfinis in tabula alimentaria Veleiensi anni 102 XI 1147,6,41.

C. Helvius Agens VIII vir gratuit dec(urionum) cons(ulto) haruspex Falerione reg. V IX 5447 in titulo boni temporis.

Agentius

Agentius signum fuit *C. Gem(i)ni Felicis f. Pap. Felicis II viralicii* in titulo honorario municipii Ginfitani prov. procons. VIII 863 saeculi exeuntis alterius vel tertii,

et *D. Fundani Pap. Primiani viri aedilicii* in titulo eiusdem municipii VIII 858 saeculi fere tertii.

cognomen est hominis libertini *(Bonici Agenti)* in lapide urbano VI 1367 saec. fere tertii.

gentilicii vices explet in titulo Thubursicensi Numid. procons. saeculi tertii (*Agentius Faustinus*) VIII 4961.

Alentius

Alentium diaconum memorat Hieronymus in ep. 138 circa an. 417.

Armipotens

v(ir) v(enerabilis) Armipotens tituli christiani Lunensis XI 1410 saeculi fere quinti. *armipotens* epitheton est IChr. I n. 612 pg. 265.[1])

Audentius Audentia

(cf. nomina *Audax, Ferox, Tharsynon*). antiquissima ni fallor huius nominis exempla sunt Pannoniae inferioris, quae fortasse alteri secundi saeculi parti vel ineunti tertio adscribi possunt III 3485 (*Aurelia Audentia* et *Aurel[ius] Audentius*) et III 3378 (*Audentia*).

cognomen est in his et in titulo christiano Florentiae reperto saeculi quarti XI 1728 (*Quenia Audentia*).

signum est in titulo Capsensi prov. Byzac. VIII 97 et in carmine sepulcrali acrostichio Viennensi XII 1981.

senator huius nominis est *Virius Audentius Aemilianus* tituli Capuani X 3866, qui fere altera quarti saeculi parte vixit. (idem ni fallor memoratur in titulis VIII 1296 et X 3714.)

titulum Rhenanum Bramb. 775 (*Audentia Nicetio*) Kraus, qui

---

1) compendio IChr. notavi *Inscriptiones Christianae urbis Romae I. II ed. De Rossi.*

[G]audentia vult, christianis adnumerat F. X. Kraus, die altchristl. Inschr. d. Rheinl. n. 195.

Audentius adulescens est tituli Salonitani anni 443 III 2659.

Audentium episcopum Gallicanum provinciae Arelatensis memorat Leo Magnus ep. 40 et 66. *Audentium* episc. Hispan. saec. IV novimus ex Gennad. vir. ill. 14.

Augentius

fortasse hoc nomen in Africa fictum est (cf. quae infra de nominis *Augendi* patria dicam). Cirtae in titulo mutilo VIII 19590 legitur *Justanius Aucent*..., quod sine dubio est *Augentius*; in titulo provinciae proconsularis VIII 16688 memoratur *C. Autronius Rogatus Augentianus.*

nomen *Augentius* in Africa etiam infima aetate usitatum fuisse duo episcopi eius nominis ostendunt exeuntis saeculi quinti, alter Utzipparitanus (Notit. prov. proc. 46), alter Gazaufalensis (Notit. Numid. 2).

in nonnullis titulis urbanis VI 749 anni 357 et VI 750—53 ante annum 362 scriptis mentio est *Aur. Victoris Augentii v. c.*

Auxentius Auxentia

signum est *Auxentius* in titulo Beneventano IX 1760. *Auxentius v. c.* est tituli urbani VI 124. *Auxentius* praeses Augustamnicae an. 342 cod. Theodos. 12, 1, 24. *Auxentius pf. urb.* (saec. quinti) VI 1669, eiusque ni fallor filius (*Fl. Olbius Auxentius Draucus*) memoratur in altero titulo VI 1725. complures novimus episcopos christianos eius nominis velut *Auxentium* antecessorem et *Auxentium* adversarium S. Ambrosii in sede Mediolanensi (Paulin. vit. S. Ambros. 6 et Ambros. ep. 21).

nonnulli denique *Auxentii* memorantur in epp. Libanii, *Auxentia* occurrit in nov. Inst. 155 anni 533.

Calventius Calventia

gentilicium hoc (*Calventi* 80 fere exempla in titulis latinis inveni, *Calventiae* 20) natum est in Gallia Cisalpina. eo ducimur titulorum in quibus nomen occurrit et multitudine (vide indices vol. V) et vetustate (cf. velut V 904 2478 2704). vernaculum in illis regionibus fuisse nomen docent etiam *fundus Calventianus* prope Placentiam situs (tabul. alimentar. Veleiens. XI 1147) et *ager Calventianus* in territorio Mediolanensi (Mar. Aventic. in chron. ad an. 526); hucusque nomen *Calvenzano pago* ei loco adhaerere affirmat De Vit in onomastico.

Cisalpinam nominis originem Cicero quoque in or. in Pis. 23 disertis verbis declarat. *Calventius* nomen mature in Italia vulgatum est. Romam ante Caesaris mortem pervenerat, ut discimus ex olla vineae S. Caesarii I 1539a (*C. Calventius C. l. Artamo*).

Pompeiis Neronis aetate nonnulli *Calventii* erant. *C. Calventius Sittius Magnus* in aliquot titulis pictis commendatur IV 722. 526 al. in scariphato memoratur *P. Calventius Proculus* IV 1551. *C. Calventius Quietus* testis est in apocha Iucundi intra annos 53 et 62 scripta (IVC [40 et 68])[1]), idem augustalis est X 1026).

rarissimum est nomen in regione Italiae IV (IX 3714), plane deest regionibus III, V. haud ita rarum est in Africa, Norico, Pannonia, Delmatia (exempla ibi reperta procul dubio sunt hominum oriundorum ex Cisalpina), unum alterumve exemplum est etiam Hispaniae, Germaniae, Daciae. tertio quoque saeculo nomen reperitur. ultima quae habeo certorum annorum exempla sunt VI 1057/58 annor. 205 et 210 et VIII 2586,5, 2742 intra ann. 218 et 225 script.

cognominis locum tenet *Calventius* III 4845 (Noric.), VIII 2668 (Lambaesi Numid.), 6061 (ad Arsacal Numid.), 11740 (prov. Byzac.).

nomen peregrinorum hominum est in titulis Noricis III 5522 et III 5495.

grammaticam originem nominis si quaeris, non dubitari posse arbitror, quin sit latinum. derivatum mihi videtur a *calvendi calvescendi* verbo (cf. cognomen satis frequens *Calvus* et gentilicia *Calvius*, *Calvisius*, *Calvenus*, *Calvedius* al.) minus probabiliter opinor ducitur a verbo *calvi* (cf. *calumnia*), ita ut fere valeat *fraudulentus dolosus* vel simile quid.

derivativum *Calventianus* occurrit in tit. prov. Tarracon. II 4335 et in tit. Thamugadensi Numidiae saeculi medii quarti VIII 2403, 2, 14.

*Carens

Lupus Ca(r)entis legitur in tabula cerata anni 167 III tabul. CXII.

derivatum huius nominis est fortasse *Carentinus* nomen episcopi Coloniensis, ad quem Venant. Fort. scripsit carmen paraeneticum III 14.

Clarentius

(cf. nomen *Clarus*). duo tantum huius nominis exempla suppetunt.

Clarentius vir quidam memoratus ab Symmacho in ep. 9,119 anno 394 scripta et *Clarentius* episcopus Tabracensis, qui exeunte quarto et ineunte quinto saeculo vixit, mentionem eius facit Augustinus ep. 70 cf. etiam collat. Carthag. cognit. I 76.

Cliens Clienta

libertinorum et inferioris condicionis hominum proprium fuit.

L. Mevius Cliens Romae VI 21815 (bon. aetat.),

C. Tampius Cliens Asculi Piceni IX 5190 (bonae aetatis). du-

---

1) hoc signo indicatur editio apocharum facta a G. de Petra *Le tavole cerate di Pompei, Atti dell' accademia de' Lincei* vol III.

bito num sit nomen *Clien≡s* quod in basi statuae legitur Romae VI 29804.

tituli Narbonensis boni temporis (XII 4501) sunt

P. Gallonius Capitonis l. Cliens et *Gallonia P. l. Clienta.*

Cluentius Cluentia

gens *Cluentia* vetusto tempore Romae ignota fuisse videtur. primi quos scimus sunt *L. Cluentius* dux Italorum, quem Sulla fugavit et occidit (App. b. c. 1, 50), *A. Cluentius Habitus* mortuus a. u. c. 666 et filius eius *A. Cluentius Habitus*, quem Cicero a. 688 defendit, uterque oriundus ex oppido Larino reg. II. ibidem repertus est titulus satis bonae aetatis, in quo memoratur *Cluentia Ↄ l. Cypara* IX 742.[1])

nomen occurrit praeterea in urbe VI 15856 *A. Cluentius A. l. Eros* et *A. Cluentius A. f. Rufus* (nota praenomen *A.*, quod hi commune habent cum *Cl. Habitis*),

Pompeiis in duobus doliis X 8047,6,7 *C. Cluentius Ampliatus*,

Neapoli in signaculo X 8059,121 *M. Clue(ntius) Cras(sus?) Antiochianus*,

Tiburi XIV 3750 *T. Cluentius T. l. Bithus* et *Cluentia T. l. Surisca* opt. aetatis,

ibid. XIV 3751 *Cl]uentius .... afus* opt. aetatis,

prope Sublaqueum XIV 3464 *Cloventia T. f.* Africae sunt *P. Cloventius P. f. Quir Hospes decurio* VIII 14609 prov. procons. optimae aetatis, et *P. Cluventius Felix* VIII 14624.

reliqua exempla excepto uno Naronitano saeculi alterius vel tertii III 1864 sunt Galliae Cisalpinae omniaque optimi temporis:

Aug. Taurinor. V 7178 *L. Cluentius M. f. ...*,

Veronae V 3569 *M. Cluentius M. f. Rom*,

Patavii V 2785 *C. Cluentius C. f. Romul. Proculus Ateste aedilis II vir quaestor aerari bis pontifex,*

Brixiae V 4540 *Cluent(ia) Restita.*

nomen potest ductum esse a *Cluento* vico regionis Ital. V (cf. IX pag. 554). fortasse autem statim a *cluendi* verbo originem traxit (cf. cognomen *Cliens*).

Continens

..*Clodius M. f. Continens* mil. praetorian. in titulo Arelatensi saeculi primi XII 680.

Conveniens

(cf. nomina *Conventa* IX 1160 et 1161, *Aptus, Decens, Prepon.*)

Q. Jnsteius Conveniens Romae VI 19683.

Clodius Conveniens dominus in tabula alimentaria Ligurum Baebianorum anni 101 IX 1455, 2, 65.

1) manumissa fortasse a posteris *A. Cl. Habiti.*

Crescens

nomen servile et humiliorum ingenuorum frequentissimum (conlegi ex titulis latinis plus septingenta exempla). fictum est Augusti aetate vel extremae liberae rei publicae temporibus in Gallia Cisalpina, in qua cum multa alia sat antiqua exstant exempla tum antiquissimum, quod novimus: *Q. Novellius Q. f. Crescens* tituli Rovigone reg. X reperti V 2452.

huic aetati proxima exempla sunt columbariorum urbanorum:

C. Iulius Crescens dec. tabellae monumenti Liviae post annum 14 p. Chr. manumissus esse videtur VI 4065a.

Tiberio et Claudio imperantibus mortui sunt *Crescens verna Caesaris* monumenti inter App. et Latin. VI 5195 et *T. Statilius Crescens* monumenti Statilior. VI 6301. cetera monumentor. columbarior. exempla haec sunt VI 5431, 5481, 5815 mulieris, 6693, 6700, 7304, 7481, 7726, 7845, 7901, 7930, 7942.

Crescens Neronis libertus memoratur a Tacito (hist. I 76). Paulo post Augusti obitum nomen iam in cetera Italia divulgari coepit. Satis multi tituli parietarii Pompeiani id docent (cf. indices vol. IV et Eph. epigr. I n. 272, 274, 276, 278, 289; IX 8048, 1. 3. 47. 48 IVC[15]), in album plebis Herculanensis quattuor *Crescentes* relati sunt, quorum tres sunt libertini X 1403a 1, 19; d 2, 9; g 3, 26. 55.

inde fere a Neronis aetate in provinciis non rarum est. anni 57 est titulus provinciae Tarraconensis II 2958. eiusdem fere temporis videntur esse tituli Rhenani Bramb. 210 et 1658 (titulus 1152 iam Claudio imperante positus est) et Delmaticus III 9777.

nomen per duo prima saecula fere non fuit nisi in servorum et plebis usu cum in urbe tum in Italia et in provinciis. longum est huius temporis singula afferre exempla.

inde a medio primo saeculo non raro in militum usu reperitur nomen (cf. V 5071, Bramb. 210, 1658), praecipue saeculo altero et tertio non solum in urbe (cf. VI 2379a annor. 143 et 144, ubi 5 exempla leguntur, 2412 an. 185, 3884 annor. 197 et 198, 1056 an. 205, ubi 4 exempla, 1057/58 annor. 205 et 210, ubi 12 exempla exstant, 225 anni 200, 2799 an. 227) verum etiam in provinciis (III 3487 anni 138, 4150 an. 188, 5647 an. 230, 1000 an. 199, 1336 an. 236, Bramb. 500 anni 252); imprimis in Africa plurimi exstant tituli militum, qui nomen *Crescens* tulerunt.

inde ab exeunte altero saeculo *Crescentes* maioribus vel summis honoribus functi sunt non pauci. adscribo hos:

L. Herennius Crescens decurio II viralicius an. 223 Canusii IX 338, 3, 9.

M. Antius Crescens Calpurnianus v. c. pontifex Volcani an. 194 XIV 325 et an. 203 XIV 324 Ostiae.

Aemilius Crescens v. c. leg. iuridic. prov. Astur. in titulo Baeticae saeculi fere II exeuntis vel saeculi III II 5053.

Manilius Crescens praetor Capenae an. 198 XI 3876a.

C. Mevius Silius Crescens Fortunatianus tituli Mididitani prov. Byzac. ineuntis saec. tertii VIII 610.

Crescens vicarius Africae annis 365, 371, 372, ut patet ex cod. Theodos. 10, 4, 3; 11, 1, 17; 1, 15, 6.

christiana quoque aetate nomen *Crescens* viguit, imprimis in Africa: tredecim recensentur ab Morcellio (Africa christiana) *Crescentes* episcopi Africani, quorum nonnulli sunt exeuntis saeculi quinti.

titulos christianos, in quibus nomen *Crescens* obvenit, repperi
Romae *Cresces* anni 368 IChr. I 207,
Clusii *Sentius Cresces* XI 2553,
Aquileiae *Crescens* V 1660,
Mediolanii *Atilius A. f. Crescens* V 6182.

Crescens presbyter memoratur ab Ambrosio ep. 42 scripta an. 389.

Vides igitur nomen floruisse usque ad saeculum sextum.

perraro mulieribus nomen *Crescens* impositum est. exempla sunt haec:
Romae *Valeria Cresces* VI 5813 in tab. columb.
Flavia Crescens VI 18319,
Perusiae *Caenia Crescens* XI 1957,
Asculi Piceni reg. V *Crescens* IX 5228,
Taurinis reg. XI *Crescens liberta* V 7023. his unum alterumve addi potest fortasse.

scriptio *Cresces* iam initio primi saeculi reperitur (VI 4065a). videtur rustici potissimum et vulgaris usus fuisse et inde ab altero saeculo frequentior facta esse. saepe in Africa occurrit. in notit. Africae quinque episcopi *Cresces* vocantur (Notit. Afr. ed. C. Halm).

in laterculo coh. V vigil. VI 1057/58 annor. 205 et 210 octo sunt milites cognominis *Crescens*, quattuor *Cresces*.

leguntur in titulis interdum formae *Crenscens Crencens Ceresces*, quae ad sordes vulgaris pronuntiationis et ex parte ad lapicidarum errores revocandae sunt, imprimis in Africa tales formae occurrunt; *Crescenus* legi in titulo Cirtensi VIII 7424.

Crescentius Crescentia

quae supra de origine formarum in *-entia* exposui, optime probantur Africanis huius nominis exemplis. ibi enim virile nomen *Crescens* numquam mulieri inditum repperi. Sed ne hoc mulieribus aeque ac viris conveniente nomine mulieres carerent, ficta est forma *Crescentia*, quod cognomen est in his paganorum hominum titulis VIII 3401, 379, 343, 1250, 5906, 10814, 11575, 12166, 12692 (saeculi secundi altera parte scripto), 16907, 16952; in titulo Capsensi *Crescentia* absolute positum est VIII 11243 (*Crescentia* uxor *C. Pompon. Saturnini*). cognomen *Crescentius* contra in paganis titulis Africae

nondum inveni, saepissime contra nomen *Crescens*. *Crescentius* in titulis christianis demum Africanis obvenit: VIII 14140, 13577, 13578. sed, ut supra iam monui, etiam simplex nomen *Crescens* apud Africanos in usu mansit. in notit. Africae quinque memorantur *Crescentes* episcopi, unus (Not. Numid. 113) *Crescentius*.

Crescentia porro cognomen est in titulo Trebulae Mutuescae reg. IV anni 243 IX 4894 (*Aurelia Crescentia*), in titulo Puteolano X 2163 (*Bassida Cre[s]centia*).

Crescentius cognomen est in titulo Liriae Tarraconensis saeculi tertii II 6014 (*Jun(ius) Crescentius*);

christiani quoque duo tituli exstant, in quibus *Crescentia* cognomen reperitur:

Salonitanus III 5987 *Flavia Crescentia*,

urbanus VI 15316 *Caecilia Crescentia*.

in gentile conversum est *Crescentius* a tribus militibus coh. V vigil. relatis in latercul. urb. annor. 205 et 210 (VI 1057, 145 et 1058, 62 *L. Crescentius Rogatianus*, 1057, 138 *Q. Crescentius Saturus*, 1058, 80 *L. Crescentius Eugenius*),

in duobus titulis Norici: III 5167 (*Q. Crescentius Marcellus*), III 4785 [*Cres(centius) Tertullus*],

in tribus Germaniae:

Bramb. 1024, an. 230 [*Crescent(ius) Liberalis*],
1692 (*Cre]scen[tius L]onginus*),
534 (*Crescentia Fortunata*).

servus *Crescentius* est in titulo Suessulano X 3763. in titulo Delmatico III 6424 filius *Crescentius* nomen accepit a matre *Crescentia*.

Crescentia et *Crescentius* absolute posita sunt in titulis christianis his:

Romae *Crescentia* an. 398 IChr. I 460,
Crescentia an. 402 ibid. 514,
Crescenti[us] an. fortasse 473 vel 491 ibid. 851,
Catinae in Sicilia *Crescentia* an. 453 vel 524 X 7115,
Savariae Pann. infer. *Crescentia* III 4219,
Ostiae *Crescentia* XIV 1898,
Parisiis *Crescentia sacrata deo puella* Le Bl. 203.[1])

ex libris novimus praeter alios hic omissos *Crescentiam* quandam, ad quam exstat rescript. imp. Philippi in cod. Iust. 11, 31, 1 et *Crescentium* presbyt. Romae tituli Apostolor. Symmach. pap. ep. 1, 9.

vides igitur ex his omnibus exemplis optima aetate deficiente forma feminina mulieres plerumque abstinuisse nomine *Crescens*, perraro usurpasse, deinde formam femininam *Crescentia* inde a

1) compendium Le Bl. significat *Le Blant inscriptions chrétiennes de la Gaule.*

medio fere altero saeculo (cf. VIII 12692) invaluisse fictam fortasse in Africa, ubi plurima et ni fallor antiquissima exstant exempla, et, ut ex titulo Delmatico (III 6424) cognoscimus, a *Crescentia* formatum esse *Crescentium*, eamque formam novam masculinam primo, ut par fuit, cognominis locum tenuisse, a militibus vero (cf. latercul. urb. VI 1057/58 et titulos Rhenanos supra adlatos) et a provincialibus hominibus, quos a quovis cognomine sive Romano sive externo nova fingere gentilicia solitos esse constat, in gentile conversam esse, postrema denique aetate, id est inde ab quarto saeculo, invalescente unius nominis usu absolute usurpata esse *Crescentium* et *Crescentiam* nomina, idque imprimis ab hominibus christianis.

floruerunt *Crescentia* et *Crescentius*, sicut simplex *Crescens*, usque ad saeculum sextum.

Decens

cf. *Conveniens*, *Prepon*, *Euprepes*. nomen servilis fortasse originis. primus quem scimus est *Cn. Lucretius Decens* in titulo ministrorum Mercurii Maiae anni 23, qui Pompeiis repertus est X 895.

P. Numidi[us] Decen[s] Invicto Mithrae aram posuit Lambaesi VIII 18235 (saec. II vel III).

Decens vir clariss. in civitate Florentinor. memoratur a Paulino in vita Ambrosii 28.

Decentius Decentia

Decentius in elogio Veronensi V 3513.

Decentius tribunus et notarius sub Constantio et Juliano Augg. an. 360 teste Amm. Marcell. 20, 4, 2. huius aequalis fere fuit *Fl. Magnus Magnentius Decentius* frater *Magnenti* tyranni. Oros. 7, 29, 13. *Decentium* quendam, qui exeunte saeculo quarto floruit memorat Symmachus in rel. 38 scripta an. 384—385. ad *Decentium* episcopum Eugubinum exstat Innocentii papae epistula apud Dionys. Exiguum Collect. decret. pg. 551 Migne (Innocentii ep. XXV).

Decentius Decentia inveniuntur praeterea in hisce titulis christianis:

Romae *Fl. Decentius Prefectianus* an. 408 IChr. I 588,
Marcia Decentia an. 424 ibid. 639,
inlustris femina Decentia an. 504 ibid. 928,
Decentius an. 516 ibid. 962,
Decentia an. 522 ibid. 982,
Δηκεντία in exsecrationum tabul. Sethian. ed. R. Wuensch 31, 3 saec. IV vel V.
Viennae *Severinus Decentius* saec. V Le Bl. 460b = XII 2141,
Mediolani *Claudius Decentius* V 6203,
Veronae *Decentius* V 3513,
Concordiae *Decentia* saec. IV V 8736,

Aquileiae *Decentiana* V 1609.

nomen igitur *Decentius*, ortum ab humiliorum hominum nomine *Decens*, recentiore aetate praecipue a nobilioribus vel nobilissimis hominibus usurpatum est. et usque ad finem saeculi quinti valuit, imprimis Romae et in Gallicis regionibus.

Diligens

(cf. nomen *Sedulus*). huius nominis servilis subrari vetustissimus quem scimus est

C. Julius Diligens tabularius Ti. Caesaris Romae in titulo Tiberi aetatis VI 9061.

C. Furius Diligens relatus est in album, cuius fragmenta Herculanei in theatro reperta sunt X 1403d 3, 6.

Cognomen *Diligens* recurrit etiam Romae in albo trib. Suc. iunior. anni 70 VI 200.

Diligens Clodiae alicuius servus Beneventi IX 1812.

nomen praeterea reperitur in duobus titulis urbanis VI 21389 et 22728 et Ostiensi XIV 382.

ultimus esse videtur *M. Messorius Diligens tribunus* sacri tituli Habitancii in Britannia reperti VII 1005 (Caracallae aetatis).

mulieri semel inditum inveni in titulo Ostiensi alterius fortasse saeculi XIV 1270 (*Longina Diliges* sic.).

Dolens

(cf. nomina *Patiens*, *Paschon*, *Paschusa*, *Pathusa*; valuit ni fallor idem fere quod nostrum *Schmerzenskind Schmerzenreich*). cognomen hoc rarum fortasse in Delmatia ortum est.

Salonis *C. Julius Dolens vet. leg. X gem. exbf. cos.* in titulo litteris saeculi alterius exeuntis scripto III 8745.

Aur. Dolens miles in titulo Dacico saeculi secundi vel tertii. nomen reperitur praeterea in duobus titulis militum classis praet. Misenensis, qui fortasse natione Delmatae fuerunt:

L. Aemilius Dolens X 3625,

D. Julius Doles X 3409.

Iulius Longinus Doles Biticenti f. Bessus eques ala Tautor(um) in titulo Hispaniensi II 2984. Huebner *Doles* nomen patrium Iuli Longini fuisse putat; fortasse autem pro *Dolens* scriptum *Doles* latinum est.

Emerentiana

nomen ab *Emerentio*, cuius nullum adhuc inveni exemplum, derivatum exstat in lapide Ravennae *scā Emerentian* XI 281. haec eadem est atque *Emerentiana* martyr, cuius mentio fit ad diem 23 Ian. in martyrolog. Rom.

Eminens

nomen servilis originis. primus quem novimus est fortasse *Eminens Aug. adiut. tabul.* Carthagine in tabella sepulcreti fam. Aug. prioris VIII 12599.

Eminenti cuidam titulum posuit *Valeria Hygia nutrix* Romae VI 17157.

T. Gaius Eminens vet cl. pr. R(av). n(at). Syr(us) est tituli in agro Ravennati reperti saeculi fere alterius XI 352.

Eminens nomen equi est in titulo urbano VI 10056.

Eminentius

[E]minentius occurrit in fragmento albi decurionum Thamugadensium saeculi tertii quartive VIII 17903.

Eminentius Burdigalensis, familiaris Arbogasti comitis memoratur a Sidonio ep. 4, 15 in fine.

Erigentius

cf. nomina *Surgentius Oriens. M. Calpurni Eregenti* (sic) *v. p. p.* est titulus Aquinas saeculi alterius vel potius tertii X 5395.

Excellens

Ti. Claudius Excellens inmunis perpetuus amagisterio in titulo sacro urbano VI 541, qui est anni 88.

Excell(ens) nomen equi est VI 10053 e 11.

Exoriens

nomen inferiorum hominum. Romae in monumento vineae Aquariorum. *C. Silicius Exories* VI 7163.

urbanus est etiam *D. Marius* Ɔ. *l. Exoriens* VI 22203,

M. Valerius Exoriens Ostiae XIV 1322,

L(icinius) Exoriens tituli Tarraconensis posterioris fortasse aetatis II 4015.

Exoriens equus VI 10056.

(cf. nomen *Exortus* in titulo Norico III 5131).

Faventius Faventia

(nomen *Favens* adhuc non repperi, cf. nomen frequentissimum *Faustus.*) *Faventius* vitricus Geminiae Agathae in elogio urbano saeculi tertii vel quarti ineuntis VI 19007. *Faventius* vicarius Italiae sub Valentiniano et Valente a. 365 cod. Theodos. 11, 1, 12.

Faventius vir christianus memoratur in Augustini ep. 113—116.

Faventia occurrit in uno titulo Trevirensi christiano Le Bl. 235.

Fidens

nomen servile et humiliorum ingenuorum, quod in Gallia Cisalpina ortum esse existimaverim. similis significationis nomina sunt *Fortis, Strenuus.*

Sex. Pompeius Ↄ. l. Fidens relatus est in album pleb. Herculan. X 1403 g, 1, 8,

Marius Fidens grammaticus et lector laudibus effertur in elogio urbano saec. primi VI 9447,

C. Sempronius Fidens homo libertinus inter seviros augustales memoratur in titulo prov. Tarraconensis exeuntis saeculi primi II 3249.

C. Caecina Fidens Aquileiae in titulo boni tempori V 8361.

Fidentius

hoc nomen non repperi nisi apud christianos, quibus optimi et gratissimi sensus nomen erat.

Aeclani reg. II *Iul. Fidentius acolitus* IX 1394,

Salonis *Fl. Fidentius ex comitibus Sirmesis* III 1987 (saeculi fere IV exeuntis vel ineuntis V).

Mauret. Sitif. *Fidentius* VIII 8771.

nomen videtur christiana aetate imprimis in Africa floruisse. *Fidentium* episcopum Hipponis regii martyrem memorat Augustinus serm. 325.

praeterea quinque episcopi Africani eius nominis, qui ineunte quinto saeculo floruerunt, a Morcellio in Afr. christ. recensentur.

Florens

cf. nomina personalia *Florus, Thallon, Thallusa, Anthusa,* nomen oppidi *Florentia,* nomen deae *Flora* et nomen *Florentes* numinum quorundam, quibus ara dedicata est Montonae V 408. nomen servorum et cognomen inferiorum ingenuorum hominum, quod aeque ac nomina *Fidens, Pollens, Valens, Potens*, in Gallia Cisalpina natum est.

antiquissimus quem novimus est *M. Atinius Florens aed.* an. 31 relatus in fastos Nolanos X 1233.

Nolae praeterea repertus est titulus *C. Germani Florentis* libertini hominis X 1263.

tituli Patavini optimi temporis est *P. Sepul[li]us P. l. Florens* V 3036.

mulieri additum est nomen in titulo bono Altinati V 2246 (*Nigidia L. l. Florens* manumissa a *L. Nigidio Floro* quodam).

Florens nomen non esse videtur in ara mutila Pacis Iuliae II 92 et in titulo lacero Moesiae superioris III 8175 (in quo legitur ...*florentis ephebi*...).

Florentius Florentia

Florentios 36 *Florentias* 15 in titulis Latinis inveni. inde fere ab altero vergente saeculo hae formae in usum venerunt.

Florentia signum est in titulo Mogontiacensi Bramb. 1125 *Iulia Privata sive Florentia.*

cognomen est *Florentius Florentia* in titulis urbanis VI 2569, 10292, 2283 saeculi tertii, 1696 anni 307;
Brixiensi V 4689 *Publicia Florentia*,
Concordiensi V 8677 *M. Alterius Florentius*,
Faleriano XI 3111 *Val. Florentius* miles,
Puteolano X 8371 *L. Stlaccius Florentius,*
Trevirensi Bramb. 827, Lambaesitano VIII 3092,
Thamugadensi VIII 2403, 1, 31 *Egnatius Florentius v. c. flam. perpet.* (medii saeculi quarti).

servile vel libertinorum nomen est Romae VI 13151 (saeculi II vel III), Comi V 5315 lib. (saec. II vel III), in nonnullis lucernis Italiae inferioris X 8053,81.

cognomen est praeterea in paucis titulis vetustioribus christianis:
Aquileiensi V 1647 *Varius Florentius.*
Clusino XI 2534 et Volsiniano XI 2837; gentilicii vice fungitur in titulo Altavensi (Mauretaniae Caesariensis) anni 332 VIII 9861.

absolute usurpatur in altero titulo Altavae reperto anni 362 VIII 9860 et in plurimis titulis christianis viguitque usque ad finem saeculi sexti. Romae sunt tituli hi:
IChr. I 230 anni 372 (*Florentia*),
VI 9920 exeuntis saec. IV,
IChr. I 525 anni 403 (*Florentia*),
IChr. I 673 anni 431 vel 408,
VI 10013,
IChr. II 92,59,
IChr. II 443,163,
Nolae X 1372 *Florentius* presbyter saeculi V,
Clusii XI 2574 saec. VI,
Florentiae XI 1703 saec. V vel ineuntis VI,
Ravennae XI 302 *Florentius* episcopus Ravennas exeuntis saec. IV;
ibidem XI 317 anni 548,
Mediolanii V 6228 anni 486 *Florentia,*
Comi V 5411 anni 531 *Florentia,*
Salonis III 9414 saeculi IV,
in Hispania: Huebn. IHisp. Chr. 22 a anni 566,
22 b eiusdem anni,
21 an. 588,
in Britannia Huebn. IBrit. Chr. 206 saec. V vel VI.

in Africa quoque, quamquam tituli, qui nomen exhibeant, desunt, non rarum fuit infima aetate. Morcelli septem episcopos *Flo-*

rentios numerat, qui vel IV vel V saeculo floruerunt; eorum tres sunt exeuntis saeculi quinti (cf. Notit. Numid. 28 et 39, prov. proc. 42).

omnino viros summis honoribus functos cum in oriente tum in occidente nominis *Florenti* inde a saeculo quarto non paucos reperimus. adscribam aliquot: *Florentius* cos. 361 Amm. Marcell. 16, 12, 14, *Florentius* praef. praetor. in Gallia sub Valentiniano ibid. 27, 7, 7, *Florentius* tribunus ibid. 20, 9, 8, *Florentius* dux Germaniae ibid. 29, 4, 7, *Florentius* praef. urb. Constantinopol. a 422 cod. Theodos. 6, 8, 1, *Florentius* cos. an. 515 IX 1382, XII 2067 et 1792.

Florentium

signum est *Aufidiae Severinae* in titulo urbano VI 12853.

Frequens

hoc nomen quid valuerit aliquo modo ex locutione *miles infrequens* cognoscimus, quae explicatur *miles qui abest afuitve a signis* [Gell. 16, 4, 5 ex Cincio]. conferas etiam nomina *Praesens*, *Absens*. fictum est in Transpadanis regionibus, ubi tria exempla, quae mihi antiquissima huius nominis videntur esse, reperta sunt, in duobus eorum mulieri inditum est:

Polae *C. Servilius Frequens* filius libertini hominis V 227,

Vicetiae *Maria Q. l. Frequens* V 3182,

Veronae *Statia Ɔ. l. Frequens* V 3758.

alterius saeculi est titulus Nemausensis XII 3873 (*Tertius Sappius L. f. Vol. Frequens*).

nec urbana quae novimus exempla videntur antiquiora esse saeculo secundo excepto fortasse VI 20024 (*Ti. Iulius Ti. f. Fab. Frequens*);

sunt autem: VI 21616 (*L. Lucius Frequens*) et VI 29204 fragm. tabul. marmor. (*Ulpius Freques*, ni fallor eques singular.),

VI 3413 (*C. Annidienus Frequens evoc. Aug.*),

VI 1052 anni 198 (*Frequens* libertus *paedagogus puerorum a capite Africae*).

ultimus est fortasse *Frequens*, ad quem exstat rescriptum impp. Valeriani et Gallieni datum a. 254 cod. Iust. 2, 8, 2.

quod supra statui, nomen *Frequens* in Transpadana vel in Venetia ortum esse, eo probatur, quod derivata eius nominis in his tantum regionibus occurrunt:

Frequentilla in titulo Acruvii (Delmat.) saec. fere alterius III 1713,

Frequentio Brixiae in titulo bonae aetatis V 4520,

Frequentianus Cemeneli (Alp. maritim.) V 7950 cf. V pg. 931 et 932,

Frequentinus solum, sic recte lectus est titulus, repertum est Neapoli in signaculo X 8059,85.

Fruens

cf. *Fructus Frunitus.* nomen semel occurrit in titulo christiano Neapolitano X 1524.

Fruentius

fortasse est in titulo evanido Aquincensi Pannoniae inferioris III 10539.

Fulgentius Fulgentia

cf. nomen *Astrapton,* praeterea *Nitentius, Lucentius.* unicus homo paganus huius nominis, si recte suppleta sunt, quae in lapide supersunt, est *Fu[l]gent[ius]* tituli Burdigalensis Iullian. (inscriptions romaines de Bordeaux) n. 254.

nomen quarto saeculo Romae usurpatum esse ostendit titulus anni 385, in quo deminutivum *Fulgentillia* legitur IChr. I 354.

Fulgentius v. c. tribunus et notarius memoratur a Symmacho 10 ep. 23 scripta anno 385.

Φωλγεντία in exsecrationum tabulis Sethianis ed. R. Wuensch 16, 7 et al. (saec. IV vel V).

Fulgenti episcopi Ocriculensis mentio est in titulo apud Mai. Nov. Coll. I 5 pag. 76,1.

Fulgentia quaedam est tituli Aeclanensis anni 511 IX 1380,

Fulgentius monachus tituli Baeticae anni 543 Huebn. IHisp. Chr. 93.

praeter *Fulgentium* presbyterum exeuntis saec. quinti (ep. Felicis II papae 13,1) reliqui quos novimus Africani sunt; eorum notissimus est *Fabius Planciades Fulgentius* scriptor, qui intra annos 480 et 550 floruit. huius vitam scripsit discipulus *Fulgentius Ferrandus* (de quo infra sub nomine *Ferrando*).

Fulgentius Vagadensis episcopus exeunte saeculo quinto vixit Notit. Numid. 111.

Fulgentius episcopus Ruspensis, qui vixit ab an. 468 ad an. 533, cuiusque scripta theologica possidemus (cf. Morcelli I pag. 265).

Sancti Fulgenti mentio est in martyrolog. eccl. Afric. ad diem 5 Decembris (Morcelli II pag. 375).

Gallentius

VI 1684, 15 *Apollonius Gallentius* duovir an. 321 in titulo libris manuscriptis tradito.

Gaudens

cf. vetus nomen *Gaius, Gavius,* praeterea *Laetus, Laetantius, Chaeron, Chaerusa.* saeculi primi huius rarioris nominis nullum certum habeo exemplum.

Curtius Gaudens Romae in titulo Herculi Invicto dedicato anni 149 VI 327.

C. Arcusinius Gaudens mil. coh. III pr. eques Bononiae XI 704.

Gaudentius Gaudentia

multo frequentiores quam simplex nomen *Gaudens* hae ampliores formae fuerunt (*Gaudentii* 31 *Gaudentiae* 16 exempla in titulis inveni). in usu esse coeperunt inde fere ab altera secundi saeculi parte, tritiores factae sunt christiana aetate; occurrunt in omnibus fere provinciis, imprimis autem usurpabantur Romae, in superioris Italiae regionibus et in provinciis septentrionalibus.

Gaudentius agnomen est in titulo Ostiensi XIV 418.

cognomina sunt *Gaudentius Gaudentia* in titulis
urbano VI 13080,
Benacensi V 4862,
Norico III 5244.
Africano VIII 943.

servile nomen *Gaudentius* videtur esse in signaculis duobus Panormi (X 8059,76) et Neapoli (X 8059,177) repertis.

gentilicii loco positum reperitur in titulo Aquileiensi V 1031 et semel in laterculo coh. V vigil. annor. 205 et 210 VI 1057/58.

his paganis nominis exemplis addi potest *Gaudentius*, ad quem exstant rescripta impp. Dioclet. et Maximian. ann. 290 cod. Iust. 3, 44, 11.

in titulis christianis nomen inveni.

Romae VI 27768 *Gaudentia*,
VI 9173 *Fal. Gaudentius argentarius*,
IChr. I 50 *Gaudentia* an. 338,
ibid. 108 *Gaudentius* an. 350,
ibid. 190 *Gaudentius* an. 350,
ibid. 376 *Gaudentius presbyter* an. 389,
ibid. 413 *Gaudentia* an. 393,
ibid. 424 *Gaudentius* an. 395,
VI 9920 tres *Gaudentii* in albo corp. tabernarior. exeuntis saeculi quarti,
XV 1691 et 1692 *ex f(iglinis) Gaudenti*,
IChr. I 499 *Gaudentia* an. 401,
ibid. 642 *Gaudentia* an. 424,
Praeneste XIV 3425 *Gaudentius*,
Vibone X 99 *Gaudentius* saeculi fere IV,
Falerio IV 5517 *Gaudentia* saec. IV vel V,
Clusii XI 2538 a et 2538 b *Gaudentia* saec. III vel IV,
Volsiniis XI 2898 *Gaudentia* saec. IV vel V,
Mediolanii V 6213 *Gaudentia* saec. IV,
Laude V 6399 *Gaude[ntia]* saec. IV vel V,
Concordiae V 8726 *Aurilius Gaudentius*,
Comi V 5454 *Gaudentius presbiter* saec. V,
Aquileiae V 1661 *Furia Firmina Gaudentia* et V 1676 *Iulia Gaudentia*,

Salonis III 6401 *Gaudentia* saeculi IV exeuntis vel V et
III 9589 *Gaudentius*,
Augustae Trevirorum Le Bl. 256 *Gaudentius*,
in Pannonia superiore III 4219 *Gaudentius*.

Africani quidem tituli huius nominis nulli exstant. tamen et ibi nomen non raro usurpatum esse ex eo concludi licet, quod sex episcopos *Gaudentios* Morcelli in Afr. christ. enumerat, quorum plerique saeculo quinto floruerunt, unus Putiensis (cf. Notit. Numid. 17) exeunte eo saeculo.

ex chartis novimus praeterea *Gaudentium* vicarium Africae, an. 409, ad quem nonnulla exstant rescripta in cod. Theodos. (ut 7, 15, 1.) et *Gaudentium*, patrem Aetii ducis, natione Moesum Iordan. Getic. 176.

Gaudentiolus Gaudentiola deminutiva Augustae Trevirorum aetate christiana usitatissima fuerunt cf. Kraus die altchristl. Inschr. d. Rheinl. 149, 172, 189.

Gaudentiamus reperitur in titulo ethnico Pannoniae superioris III 3987.

cf. quae Le Blant. pag. 155 ad n. 73 de christianis nominibus a *gaudendi* notionibus depromptis dixit.

Habens

Vaeturia Spuri [l.] Habens in titulo agri Emonensis Pannon. infer. III 3898.

Habentius

occurrit Sulmone in titulo christiano saeculi quarti IX 3136 *Q. Peticius Habentius neofitus*.

Aur. Abentius tituli Auquileiensis V 951 potest scriptum esse pro *Aventius*. *b* et *v* cum ubique tum in Galliae Cisalpinae titulis saepe confunduntur.

Herculentius

reperitur in duobus titulis christianis, altero Interpromiano reg. Ital. IV anni 343 IX 3073 *[H]erculentius*, altero urbano IChr. I 726 intra annos 380 et 444 scripto *Herculentius*. notandae hic sunt etiam formae nominis Hercules quae in duobus titulis Rhenanis occurrunt Bramb. 660 *Herclenti*, ibid. 315 *Herclinti*, utraque est dativus ad nominativum **Herclens*.

Indulgentius

Botriae in Byzacena *Q. Mycius Endulcentius fl[amen] p[erpetuus] cur[ator] rei public[ae Botriensium]* in titulo tertii ni fallor saeculi VIII 11184.

Ingens

cf. nomina *Megale, Megiste, Magnus, Maximus.* Cartennae Mauret. Caesariensis *Tullia Ingens* fortasse bonae aetatis VIII 9685. nomen Africanae originis fuisse probatur etiam ampliore forma

Ingentius

eius nominis novimus scribam publicum, hominem Africanum, qui memoratur ab Optat. Milevitan. de schismate Donatistarum 1, 27 et saepius ab Augustino.

Innocens

cf. nomen *Probus.* nomen hoc, cuius 15 fere exempla in titulis inveni, altera primi saeculi parte fictum esse videtur.

antiquissimi quos scimus sunt

Q. Servaeus Innocens consul anni 101, cuius libertorum sunt tituli urbani VI 9285 et 9351, et *Petronius Innocens* decurio anno 113 tituli Caeritani XI 3614,14.

nomen reperitur praeterea

in agro Albano XIV 2337 in titulo saeculi fortasse alterius *L. Casperius Innocens,*

ad Macomades in Numida VIII 4756 *Q. Vettius Q. f. Quir. Innocens,*

Thevestae prov. procons. est *Iulius Innocentianus* VIII 16605;

Gratianopoli prov. Narbon. XII 2273 *C. Innocenti Liconi[s f]i[l]i[o].*

cetera quae habeo nominis exempla, christianorum sunt hominum.

exstat Romae IChr. I 315 anni 382,
Ostiae XIV 1880 *[Innoc]ens* an. 384,
Sitifi VIII 8650 ineuntis saec. V,
Carthagine VIII 13770 saeculi fere V,
VIII 14173,
VIII 13738, 13739 } si est nomen.

Innocentius Innocentia

hae multo frequentiores quam simplex nomen fuerunt formae, imprimis apud christianos, quibus tam bonae significationis nomen gratissimum erat. formam femininam *Innocentia* non nisi in titulis christianis inveni.

signum est *Innocentius* in titulo Comensi saeculi alterius vel tertii V 5869.

ingenuorum hominum cognomen est in titulo Salonitano III 2232,

Baetico II 2211 anni 348,

Thamugadensi VIII 2403,2,3 *Cincius Innocentius v. c. flam. perpet.* in albo ord. col. Thamugad. medii saeculi IV,

Aesernino IX 2641 *Flavius Iulius Innocentius v. p. praeses Samnii.*

nomen absolute sequioris temporis more positum est in titulis Ostiensi XIV 4136 et Mediolanensi V 5869.

sequantur christiana nominis testimonia:

Romae I Chr. I 33 *Innocentia* an. 317 vel 330,

VI 9920 *Innocentius* in albo corpor. tabernar. exeuntis saeculi quarti,

IChr. II 443, 159 *Castalius Innocentius Audax v. c. praef. urb.*, qui floruit altera saeculi quinti parte (ad eum scripsit Apoll. Sidon. ep. VIII 7),

Ostiae XIV 1879 *I]nnocent[ius]* presbyter,

Capuae X 4489 *Innocenti[us]* anni 376

et X 4523 *Claudia Innocentia* et neptis eius cognominis saec. fere IV,

prope Tavignanum reg. V IX 5737 *Innocent[ius]*,

Mediolanii V 6270 *Innocentia* saec. V,

Eporediae V 6814 *Innocentius* episcopus anni 486,

Aug. Trevirorum Kraus 107 *Innocentius*,

Clermontii in Gallia Le Bl. 364 *Innocencius* saeculi sexti;

nonnulli sunt etiam tituli Africani saeculi quarti quintive VIII 956, 452=11655, 8629.

undecim episcopos christianos enumerat De Vit in onomastico, eorum sex sunt Africani (unus Muzucensis Byzac. exeunte saeculo quinto vixit Not. Byz. 42).

Innocentius, primus eius nominis papa, floruit initio saeculi quinti.

ex his omnibus exemplis colligitur nomen *Innocentius* saeculis quarto et quinto usitatissimum fuisse.

Innocentia nomen ursae Valentiniani fuisse tradit Amm. Marcell. 29, 3, 9.

Innocentium

signum muliebre est in titulo urbano VI 22628. (*Innocenti have.*)

Insequens

nomen hoc, cuius 17 exempla in titulis latinis inveni, ineunte saeculo primo in Norici regionibus, in quibus plurima exstant exempla, ortum est. originem duxit a provinciali quodam *insequendi* verbi usu, fortasse idem fere valet ac nomen *Secundus*; comparari potest etiam cum nomine *Futurus.*

occurrit in titulis Celeianis III 5231 et 5235,

in Soluensi III 5388, Virunensi III 4784 saeculi alterius vel potius ineuntis tertii (scriptum est *Inseques*); inde fere ab altero saeculo milites quoque eius nominis reperiuntur cf. III 5427, 4848, 4860.

nomen in decima Italiae regione usurpatum esse docent tituli Iulii Carnici V 1844, Aquileiensis V 1008 bonae aetatis (*P. Gavius Insequens*), Brixiensis V 4706 ineuntis ni fallor saeculi primi.

praeterea nomen reperitur in tribus Narbonensis provinciae titulis XII 344, 350, 4592,

Legione in Tarraconensi II 6252, 22 in tegula *L. V[alerius] Inseque[ns]*.

duo urbana exempla VI 11185 et 20533 altero saeculo non antiquiora videntur esse.

Insequentina cognomen occurrit in titulo Pannoniae superioris III 4191 et urbano VI 20533. nomen *Insequens* non ultra saeculum tertium viguit.

*Iubentius

III 9597 in tit. christiano Salonitano *Iu]bentius* supplevit dubitanter Hirschfeld. potest ductum esse *Iubentius* a *iubendi* verbo, nisi scriptum est pro *Iuventius*.

Latens

cf. *Lanthanusa, Celatus, Celata, Celandus, Secretus. Cl. Latens Aug. liberta* Romae VI 15489 in titulo saeculi alterius fere.

Legentius

legitur semel in patera *Legenti regly Benignes* ad Aquas vicum Helvetiorum reperta. Mommsen Inscr. confoederat. Helvetii 242 a.

Libens

C. Cornelius Libens Narbone 4733 bonae aetatis (cf. nomina *Volens, Thelon, Paratus, Promptus*).

*Licens

cf. *Lascivus Petulans. C. Matteius... Licens* Parmae XI 1091 in titulo mutilo libris manuscriptis servato, qui saeculi fere alterius esse potest. Bormann *Di]li[g]ens* cognomen fuisse suspicatur.

Licentia

nomen servile, quod fortasse pro substantivo potius quam participio accipiebatur (cf. nomina qualia sunt *Luxuria, Concordia, Pietas, Spes alia*).

prima est fortasse *Usena Licentia* uxor *T. Flavi Aug. lib. Vitalis* Romae VI 29603 exeuntis saeculi primi.

urbanorum titulorum sunt etiam

Salluvia Ɔ. l. Licentia VI 22926,

F(lavia) Licentia VI 28608 in titulo litteris pessimis scripto.

Narbone *Fadia Ɔ. l. Licentia* tituli boni temporis XII 5258.

fortasse *Licenia*, quod Carthagine in titulo necropolis subterraneae hominum Iudaeorum legitur, *Licentia* est VIII 14101 b.

Licentia equa Romae VI 10056.

Licentius

posteriore demum aetate, ut exempla ostendunt, in usum venit: *Claudius Licentius v. c. fl(amen) p(erpetuus) II vir* relatus est in album ordinis col. Thamugad. scriptum intra annos 360 et 364 VIII 2403,1,27,

Romae nomen *Licentius* semel exstat in albo corpor. tabernarior. exeuntis saeculi quarti VI 9920,33.

Licentio filio Romaniani, discipulo suo, Augustinus libros de Academicis dedicavit.

Licentius episcopus Iacterensis vixit ineunte saeculo quinto gest. coll. Carthag. cognit. I 78.

videtur ergo in Africa praecipue nomen usurpatum esse.

Licentiosus gladiatoris nomen inventum est Romae in opere musivo VI 10206,

equi nomen est VI 10056.

derivata *Licentina Licentianus* repperi illud Salonis III 2584, hoc Gemellae (Numidiae) in titulo parietario VIII 17979, ubi scriptum est *Licentiarus*, et in titulo Delmatico III 1720. ad *Licentianum* quendam exstat rescriptum impp. Dioclet. et Maxim. anni 294 cod. Iust. 7, 16, 25.

Lubentius

sanctus eius nominis natione Gallus, qui saec. fere quarto vixisse fertur, celebratur in eccl. Trevirensi die 13 mens. Octob., ut referunt Stadler et Heim in onomastico Sanctorum.

Lucens

Iulius Lucens in titulo Hispaniensi, qui Matriti repertus est II 5872. non a *Lucente* sed a *Lucento* Hispaniae oppido (cf. II pag. 481) derivatum est nomen libertinum

Lucentina tituli mali Tarraconensis II 4379.

Iulia Lucentina quaedam obvenit Sitifi VIII 8580.

Lucentius

cf. vet. praen. *Lucius*. nomen reperitur in titulo Beneventano tertii fere saeculi IX 1983 et in Salonitano anni 319 III 1968 b (*Aur. Lucentius*).

christiani homines fuerunt *Lucentius* tituli Aeclanensis anni 531 IX 1384 et *C. Lucentius* signaculi ad Chietos reperti IX 6083, 88.

Lucentius episcopus Asculanus aequalis Leonis Magni memo-

ratur compluries in epistulis eius (velut in ep. 83 et 84). *Lucentium*, qui epitomen chronicorum scipsit, memorat Liberatus diac. in breviar. 2.

Lupentius

nomen videtur idem esse ac *Lubentius*, nisi forte est altera forma nominis Gallici *Lupantius*, cf. *Dignentius Noventius*. *Lupentius* diaconus memoratur ab Innocentio papa in ep. ad Martianum.

Lupentium sanctum quendam in Gallia ortum a Bolland. sub die 22 mens. Oct. recenseri referunt Stadler et Heim. praeterea nomen *Lupentius* ter occurrit in libr. confrat. ed. Piper I 186, 34. I 280, 21. II 92, 8.

Magnentius

eius nominis notus est *Flavius Magnus Magnentius* Aug. et tyrannus a. 350—353. et frater eius *Fl. Magnus Magnentius Decentius*.

Machentius gentilicium haud ita certae scriptionis in titulo Africano VIII 7570 Renier *Magnentius* legit. similiter *Mangentius*[1]) nomen episcopi Ticualtensis Notit. Byz. 95 fuit fortasse *Magnentius*. nam vix conferri poterit cum substantivo *mango*.

Maturescens

cf. nomen *Maturus*. *Maturescens* fortasse servus in titulo sacro in crypta in monte Thaga (Numidiae) reperto VIII 5518.

Maurentius

primus quem novimus est *Maurentius* memoratus a Spartiano in vit. Didi Iuliani 3. is exeunte altero saeculo vixit. nomen occurrit Salonis III 2043 *Maurentius fabricensis* et Carnunti III 11291 in titulo parietario *Maurentius art(ifex?)*. ineunte saeculo quinto floruit *Maurentius* episcopus Thibursicensis Numidiae. cognit. I 113. dubium est eundemne an alium *Maurentium* memoret Augustinus ep. 176.

anni denique 571 est titulus Tergestinus V 694, qui ultimum nominis exemplum praebet.

Maxentius Maxentia

nomen hoc in septentrionalibus provinciis, fortasse in Pannonia finitimisque eius regionibus, in quibus nomen *Maximus* eiusque derivata *Maximilla*, *Maximianus* alia tritissima erant, ortum est exeunte fere altero saeculo.

---

1) sic scribunt constanter novi editores Notitiarum C. Halm et M. Petschenig.

ad *Maxentium* quendam exstat rescriptum imp. Antonini datum anno 216 (cod. Iust. 6, 25, 3). Sirmii in oppido Pannoniae natus est *Maximianus* pater *Maxenti* imperatoris. in titulo Salonitano III 2326 *Maxentia* uxor est *Fl. Pannonii.* nomen occurrit etiam in nonnullis tegulis Pannoniae inferioris Eph. epigraph. II pag. 403 et IV pag. 131. *Maxentius* quidam Pannonius memoratur etiam ab Amm. Marcellino 27, 7, 6.

duo sunt tituli Hispanienses, alter Tarracone repertus II 4325 *L. Sulpicius Maxentius* alter Caperae in Lusitania II 839 *Iul. Maxentianus.*

Romae est *Aurelia Maxentia* VI 13357. unum Italiae exemplum est tituli mutili Aceruntini IX 6194.

semel nomen in Africano titulo inveni Capsae in Byzac. VIII 129. *C. Aur. Maxentius.*

militis est titulus Cyzici in Asia III 371.

christiana aetate nomen in Gallia Cisalpina frequens fuisse videtur, quod cognoscimus ex quattuor titulis Aquileiensi V 1686, Bergomensi V 5190, Vercellensibus V 6735 et 6738.

Maxentius episcopus Tigamibenensis (Mauret. Caes.) floruit exeunte saec. V Notit. Maur. Caes. 34.

nomen *Maxentius* a nomine *Maximus* ea ratione ortum esse, ut a patre *Maximo* vel matre *Maxima* filius *Maxentius* nomen duceret, nonnullis exemplis illustrari potest. notum est *Maxenti* imperatoris patrem *Maximianum* fuisse, uxorem *Maximillam* Galeri filiam. in titulo christiano Aquileiensi V 1686 est *Maxentia* filia *Maximi* alicuius. in titulo Tarraconensi rursus pater est *L. Sulpicius Maxentius*, filius *L. Oppius Maximus* II 4325, item in Capsensi *C. Ann. Maxentius* pater *C. Anni Maximi* VIII 129.

Mesentius

cf. nomen *Messor* et vetus gentile *Messius*; nomen potest etiam idem esse ac *Mezentius* vetus nomen ex Vergilio notum. VIII 9644 oppidi Novi (Maur. Caesariens.) '*D. M. S. Clodia Tacamtessa* etc. *Clodius Mesentius filie*... anni 259.

Nicentius

Nicentius tribunus et notarius memoratur a Paulino in vita S. Ambrosii 44 et ab Ambrosio ep. 5, 8 scripta an. 380.

Nitentius

XV 2321 = XIV 4091, 34 in lateribus duobus prope Praeneste repertis *Cominiae Candid(ae) et Nitentioru(m)*,

XV 2340 = XIV 4091, 58 *Nitenti* (later. Praenestin.) XV 1482 *L L P V Nitenti* (later. urban.). *Nitentius* tribunus et notarius in Africam missus memoratur in rescripto impp. Valent. Gratian.

Valentinian. anni 377 cod. Theodos. 16, 6, 2. G. Haenel in editione sua codicis Theodosiani *Nicentius* nomen viri scribere mavult, quem eundem esse suspicatur, qui saepius in Libanii epistulis memoratur.

Niventius

cf. nomina *Nitentius, Candidus* alia. *Niventius* episcopus Tunugabensis vixit ineunte saeculo quinto. gest. coll. Carthag. cognit. I 79.

Noventius

VIII 2154 *Noventia Satura* tituli in vicinia Thevestae (Numid.) reperti. in tit. Britann. infimi aevi legitur *Regin... filius Nu(v)intii*, quod Huebner fortasse ex *Noventius* depravatum esse putat. Inscr. Brit. Chr. 84.

Obsequens

cf. *Peithomene.* non raro cognomen deorum est in titulis, imprimis Veneris et Fortunae, *dea obsequens* est tituli Galliae Cisalpinae V 814. fortasse huic sacro nominis usui originem debet nomen virile et muliebre *Obsequens*, cuius viginti fere exempla in titulis latinis inveni. nomina, quae vocibus ex deorum cultu depromptis ficta sunt, adscripserim hic: *Faventius* (cf. velut III 4557 *dis faventibus*), *Florens, Pollens, Potens, Praesens, Providens, Indulgentius* (cf. V 6594), *Valens* (V 2579), *Praestans* (VIII 796), *Exsuperans, Iuvantius, Iuvatus, Adiutor* (cf. III 5118, VIII 2226 et al.), *Sanctus, Sacratus, Tutor, Victor, Invictus.*[1])

nomen *Obsequens* similis significationis est atque nomina *Benignus, Benevolus, Clemens, Indulgentius, Facilis, Promptus, Paratus.*

primum quod scio exemplum est *Opsequens puel[la]* tabellae monumenti ad viam Nomentan. eruti (VI 8051), quod paulo post Augusti obitum in usu fuit.

semel nomen obvenit in albo trib. Suc. iunior. anni 70 VI 200.

optimi temporis est etiam *Claudia Aug. lib. Opsequens* VI 15526. cetera urbana exempla sunt VI 23576 et 24195.

Lucilia Opsequ[ens] est Ostiae XIV 411,

L. Cornelius L. l. Obsequens Capuae X 4094,

A. Nonius Opsequens sevir Aug. Albae Fucentis IX 3942 in titulo optimo.

servi eius nominis obveniunt in titulis Corfiniano IX 3249, agri Amiternini IX 4470, Salonitano III 2485, in vasculo Viennensi XII 5686,403.

nomen occurrit praeterea in titulo Delmatico III 3027, Aquileiensi V 1260, Libarnensi V 7434, Mediolanensi V 6061.

centurio eius nominis memoratur in titulo bono Britannico VII 793, alius *Ops[equens]* in titulo eiusdem provinciae VII 880.

---

1) cf. praeterea nomina *Bonus, Felix, Faustus, Fortunatus.*

nomen praecipue duobus primis p. Chr. n. saeculis in usu fuit. non repertum est in titulis Hispaniae, Africae, Germaniae et provinciarum ad Danubium vergentium.

ultimus quem scimus est *Iulius Obsequens* qui saec. fere quarto prodigiorum librum ex Livio compilavit.

Obsequentius

Q. Obsequentius Severinus Augustalis in titulo Pisano saeculi fere alterius vel ineuntis tertii XI 1444.

Oriens

Usener (Goetternamen pag. 362 adn. 29) conferens titulum urbanum *Orienti* (scil. *soli*) sacrum (VI 556) hoc nomen nihil aliud quam dei *Solis orientis* nomen esse contendit. probant hanc coniecturam simillima vel plane homonyma nomina ducta a verbis, quae de solis motione usurpari solent: *Exoriens, Ortus, Exortus, Anatellon, Anatole, Anatolius, Orienda, Orientalis;* iis addo cognomen muliebre *Aurora.* conferas etiam *Messorem, Sedatum* (III 3922 et al.), *Oculatam* deos cum cognominibus *Messor, Sedatus, Oculatus.* exempla talia facile augeri possunt.

nomen *Oriens*, cuius triginta fere exempla conlegi, fortasse in urbe fictum est. in columbariis et in titulis parietariis Pompeianis nondum reperitur. tamen iam ineunte primo saeculo natum esse nomen duobus apparet exemplis, quorum alterum exstat in apochis Iucundi, quae Pompeiis repertae sunt IV suppl. tabul. XXXI 9 (*C. Mustius Oriens*), alterum est diplomatis anni 64 III pag. 846 dipl. III (*L. Rennius Oriens*); semel nomen Romae in albo trib. Suc. iunior. anni 70 VI 200 exstat.

N. Blaesius Oriens relatus est in album plebis Herculanensis X 1403 d 2, 15.

primi saeculi sunt etiam tituli urbani VI 44, 2, 10 (*Oriens* servus), 9344, 19957, Puteolanus X 2564, Surrentanus X 712.

Folius Oriens adfinis memoratur in tabula alimentaria Ligurum Baebianorom anni 101 IX 1455, 3, 80.

nomen fere sola in Italia, praecipue in urbe usurpabatur a servis et inferioris condicionis hominibus, floruitque primo et altero saeculo, in ultimorum quos scimus numero sunt:

L. Gossius Oriens eques Romanus iuridicus tituli Dertonensis V 7369.

et *Horiens* tituli Dacici ad Mithrae cultum pertinentis III 968 aetatis fortasse Elagabali.

Orentilla, quod in titulo Sulmonensi boni temporis legitur, idem est atque *Orientilla*, cf. titulum urbanum, in quo *Orente* est VI 14687.

Ories scriptum est VI 2545, 26360.

Oriens nomen equi est in tit. Africano VIII 12508.

Orientius

Orientius vicarius urbis Romae anno 390. cod. Theod. 9, 7, 6.

Orientius poeta christianus natione Gallus fere eiusdem temporis fuit.

alius *Orienti* epitaphium exstat apud Venant. Fort. 4, 24. *Orientius* martyr Hispan. in martyrol. Roman. ad diem 1 Mai.

Parens

si brevis fuit prior syllaba, conferantur *dei parentes* velut in nonnullis titulis sacris Veronensibus, V 3283—90.

Sancti Parentis mentio est in martyrolog. Africae ad diem 15 Novembris apud Morcellium II pag. 374.

Pascentius Pascentia

nomen activo sensu explicatum idem valet ac *Pastor*. primum huius nominis christiani exemplum est urbanum IChr. I 94 *Pascentia* an 341.

occurrit praeterea Aquileiae V 8986a *Pascentius*,

infra lacum Verbanum reg. XI V 5585,

in Britannia Huebn. I Brit. Chr. 127 *Pascent[ius]*. novimus praeterea duos episcopos Africanos incipientis saeculi quinti, alter Octabensis (Notit. Numid. 34) alter Cethaquensuscae (ibid. 78) est.

Sancti Pascenti memoriam agi die 9 decembris in martyrolog. eccl. Afric. refert Morcelli II pag. 375.

Patiens

cf. *Dolens, Sustinendus, Perseverandus* similia *T. Cocceius Patiens* quaestor una cum *T. Cocceio Gaa* anno 16 Romae cippum marmoreum posuit VI 10237.

optimae aetatis est etiam *Patiens Aug. tabular. mensor aedificior.* Romae VII 8933.

L. Mett L. f. Patiens in Liguribus Baebianis IV 1478.

M. Cabarsus Patiens Bergomi V 5134.

Patiens episcopus Lugdunensis saeculi quinti memoratur in Fausti Reiensis ep. 1 et 2, elogium eius exstat apud Le Bl. 54.

Patientia.

eius nominis martyr Hispaniensis memoratur in martyrolog. Roman. sub die 1 Mai.

Pientius Pientia

cf. *Pius, Eusebes, Eusebius*; in titulorum sepulcralium formulis raro *piens, pientes* saepius superlativus *pientissimus* occurrit).

Pientia Aquileiae V 8591 saeculi V vel VI,

Pientia in titulo Gallico apud Le Bl. 576c.

Pientius vir illustris Turonensis memoratur a Venant. in vita S. Germani 34. *Pientius* libr. Confrat. ed. Piper II 637. *S. Pientia* martyr saec. III in Gallia 11 Octob., *S. Pientius* saec. VI nat. Gallus 13 Martii, ut memorant Stadler et Heim in onomast. Sanctorum.

Placentius *

vetus hoc gentilicium certe non a *Placente* aliquo, sed a *Placentia* oppido Galliae Transpadanae paulo ante bellum Punicum secundum a Romanis condito originem traxit.

C. Placentios Her. f. est tituli perantiqui in aenea lamina incisi I 62ab = XIV 3568ab.

pariter a *Placentia* oppido derivata sunt cognomina *Placentina* (III 1229, VIII 9048) et *Placentinus* (III 2127, V 6006, VIII 1827, 9101, VI 25475, 1056, Bramb. 2055).

alia potest ratio esse cognominis vel nominis *Placentius* recentiore aetate usitati. cum eo composuerim nomen *Arescon, Arescusa.*

Pitelius Placentius Romae VI 10766 exeunte saec. II vel saec. III.

.....*Placent[i]us Nap(oca) Vi[c(timarius)?]* Lambaesi in albo militum VIII 18085.

Pollens[1])

unicum huius nominis exemplum est mulieris: *Albania Pollens* Segusione (Alp. Cott.) in titulo bonae ni fallor aetatis V 7271. (cf. nomen tribus *Polliae.*)

Pollentius Pollentia

gentilicium hoc est ductum a *Pollentia* sive Piceni oppido sive Liguriae. maxima pars exemplorum, quae exstant, inventa est Polae in regione X: V 82, 83, 212, 213, 214; Chioggiae eiusdem regionis est unum V 2309, item Bononiae regionis VIII XI 762 et Thagastae provinciae Numidiae VIII 5138. haec omnia exempla boni vel optimi temporis sunt. ultimus quem scimus est *Pollentius December* miles coh. I vigil. Antoninian. VI 1056, 1, 56.

cognomen a *Pollens* ductum est *Pollentius* in titulo Thamugadensi saeculi quarti medii *Fl. Pullentius* (sic) VIII 2403, 2, 23.

cognomina *Pollentinus Pollentina* ab oppidorum nomine derivata esse certum mihi videtur, etsi non omnes, qui iis utebantur, *Pollentiae* nati erant. immo et ab hominibus, quibus nulla ratio intercessit cum illis oppidis, aeque ac nomina *Placentinus Potentinus Florentinus Valentinus* boni ominis causa usurpabantur. ob eandem causam apud milites tribum *Polliam* in deliciis fuisse scimus.

cognominum *Pollentinus Pollentina* testimonia sunt II 1242, 5498, 6177, V 7646, 8253, VI 3041, 29210, Bramb. 853.

---

1) *Pollens* cognomen deorum est velut VI 647 (Silvani), VI 736 (Mithrae).

Potens

hoc nomen, cuius 37 exempla ex titulis latinis congessi, ineunte saeculo primo vel paulo ante in Venetia finitimisque regionibus ortum esse videtur (cf. V 442 Piquenti, V 1767 Fori Iulii, V 836 Aquileiae, V 3809 Veronae, V 8955 Clastidii; III 4558, 10931, 11182 Pannoniae superioris; III 2003 Salonarum). primum sane quod superest nobis certum exemplum non est harum regionum sed urbanum; est autem monumenti inter Appiam et Latinam et fere aetatis Tiberianae vel Claudianae VI 5042 *P. Seppius Potens*; vetus est etiam exemplum Praenestinum XIV 2964 *L. Petisius Potens.* nomen imprimis a militibus ex Cisalpina regione oriundis vulgabatur. urbana quidem nominis exempla fere omnia militum sunt (cf. VI 2640, 2541 *L. Messius L. f. Pup. Potens Tergeste mil. coh. V praetor.* 1057/58 annorum 205 et 210). sat multi sunt etiam tituli Rhenani utpote militum (cf. Bramb. 844, 1125, 1390, 1787, 1789).

in Italia rarum est nomen (IX 2484 Saepini, X 2081 Puteolis, X 4990 Venafri, X 8260 Tarracinae, XIV 3810 Tiburi), rarius in Africa (VIII 17959, 19688), plane deest titulis Hispaniae et Galliae.

ultima exempla sunt saeculi tertii: Bramb. 1789 anni 239, III 4558 (Pannoniae Superioris) anni 249.

nomen imprimis in ingenuorum hominum usu fuit. eques Romanus memoratur in titulo Fori Iulii V 1767 saeculi primi *T. Vettidius Potens.*

senatorii ordinis fuit *Q. Herennius Potens v. c. praef. praet.* tituli urbani VI 1427.

mulieribus additum est nomen *Potens* Aquileiae V 836, Tiburi XIV 3810.

derivata quoque in iis regionibus reperiuntur, in quibus *Potens* natum est vel frequentissimum erat:

Potentilla Veronae V 3836,

Potentianus in Pannonia inferiore III 3636* et Aquileiae V 788;

Potentiana semel exstat Signiae reg. I X 5995*; derivata *Potentinus Potentina* possunt quidem esse ab *Potentia* oppido, sed maior exemplorum pars — sunt autem septentrionalium provinciarum — nata est ex nomine *Potens*, quod in his provinciis non infrequens fuit.

Potentius Potentia

Potentia est signum vel agnomen, nisi forte patriae indicatio est, in titulo Hispaniae Tarraconensis codicibus tradito II 4313 *Cl. Iuliane Potentia* (saec. fere II vel III); *Potentius* signum est *C. Juni Caturici Faustini v. c.* in titulo urbano VI 1434 (saec. II vel III). *Potentius* episcopus Bladiensis (Byz.), qui ineunte saec. V floruit, recensetur a Morcellio in Afr. Christ.

Praesens

nomen, ut supra iam monui, extrema liberae rei publicae aetate fictum est, quod ex antiquissimis gentilicii *Praesentius* exemplis colligitur. patria fuit Italia superior vel Gallia Cisalpina. exstat Rovigone V 2455, Vicetiae V 3132 et 3205, Mantuae 4059, Brixiae V 4254, Pedemonti V 7167. in Norico quoque et Pannonia, ut par est, usitatum fuit, cf. III 5053, 5196, 4843 anni 76, 3374 (scriptum est *Prensens*), 3413, 10423; servi est titulus Noricus III 5196.

rarum fuit nomen in Italia (IX 3088 Sulmone *C. Caidius L. f. Ser. Praesens decurio* saec. fortasse primi, Paesti X 494 *Digitius Praeses*, Ostiae *Praesens* servus XIV 486).

urbana exempla uno mulieris VI 13879 excepto militum sunt VI 2379a anni 144 *C. Vibius Praesens Brixello,* VI 2382b an. 178 *Presens Rave(nna),* VI 3116.

Tarraconensis provinciae est titulus saeculi alterius II 4227 *Titus Mamilius Silonis f. Praesens.*

Devae in Britannia reperta est ara, quam an. 154 *T. Flavius Galeria Praesens princeps leg. XXV Val. Victric.* posuit VII 168.

equites Romani huius nominis sunt:

M. Fabius C. f. Sab. Praesens Mantuae V 4059 et

C. Mestrius C. f. Pol. Praesens Romae V 632.

in una gente senatoria Bruttia sollemne nomen *Praesens* fuit. noti sunt ex titulis permultis

C. Bruttius Praesens cos II an. 139,

C. Bruttius Praesens cos an. 153,

L. Fulvius C. f. Bruttius Praesens cos an. 180,

C. Bruttius Praesens an. 217,

M. Fabius Praesens quidam memoratur in rescripto impp. Sever. et Antonin. dat. an. 203 cod. Iust. 3, 8, 1.

Sancti Praesentis mentio est in martyrologio Africae ad diem 16 Febr. Morcelli II pag. 362.

Praesentius Praesentia

antiquissima nominis testimonia sunt

Sex Praesen(tius) in albo pontificum Sutrinorum XI 3254,2,10,

C. Praesenti C. f. f. Perusiae in operculo urnae ex lapide Tiburtino factae XI 2023,

Hastia Aemili f. Praesenti ibidem in ossuario ex Tiburtino facto XI 2027,

T. Praesentius Q. f. in titulo Cremonensi vetustioribus litteris scripto V 4097.

gens quaedam *Praesentia* Auximi quoque in regione V primo post Chr. n. saeculo vixit, ut tituli nonnulli ostendunt IX 5850 bis, 5841, 5880 bis, 5879 bis),

tituli denique Falerione reperti est *Praesentia Accepta* IX 5498.

signum vel agnomen est *Praesentius* in titulo Calamensi Numidiae proconsularis VIII 5373 saeculi alterius vel tertii.

Praesentia cognomen est in titulo Norico non malo III 5562. componere licet cum nomine *Praesens* id de quo supra egi *Absens*. potest etiam subesse sensus nominum *Fortis, Acer, Strenuus*.

Proficentius

eius nominis novimus episcopum Macomadiensem, qui ineunte saeculo quinto floruit (gesta coll. Carthag. cognit. I 197).

forma nominis notatu perdigna est, ut *parens, magnificent-ior* similia.

similem sensum habet nomen atque *Successus, Succedens, Processus, Crescens, Augentius* alia.

Promerentius

Proberentius Capuae an. 560 X 4506 nomen sine dubio pro *Promerentius* scriptum est, cum non raro *b* et *m* permutatae sint.

Providens

Cupidius Providens Castelli Mattiacorum in titulo sacro anni 226 Bramb. 1318,

ibidem in fragmento tabulae marmoreae ....*Prov(idens)* legitur Bramb. 1330.

Providentius

Comi in titulo saeculi tertii vel quarti *Providentius* V 5343.

Pro]videnti supplendum esse in titulo christiano Salonitano recte opinor proposuit Bormann III 9624.

Prudens

servile nomen (repperi 32 exempla in titulis latinis); videtur primo saeculo imprimis apud gladiatores in usu fuisse.

Prudes gladiator est tituli picti Pompeiani IV 538, item vasculi vitrei Pannoniae III 6014, 2 et vasculi Narbonensis XII 5696, 32.

Romae primus fortasse nominis *Prudens* homo est *C. Popilius Prudens* tabellae prope monumentum ad port. Latin. repertae VI 5560.

altero et tertio saeculo in militum potissimum usu nomen reperitur, cf. VI 2452, 2769, 2379a Brixello natus, 2381a an. 155, 1056 an. 205 bis, III 8239, Bramb. 1994, 692 anni 246, XI 1216, VIII 18231.

frequentius nomen *Prudens* fuit primo saeculo in Gallia Cisalpina, ubi sicut *Providens* fictum esse videtur. cf. V 1422, 2269, 6433, 503, 7434, horum exemplorum quattuor sunt libertinorum.

plurimis Italiae regionibus deest, nec tituli Hispanienses nomen

exhibent; duo inveni exempla in Africa VIII 9480 et 5504 (*Ant]-estius Prudens mag. Thib.*) anni 211.

Cn. Octavius Prudentimus cuius pater est *Cn. Octavius Prudens* Romae VI 23312.

Prudentius Prudentia

hae formae inde ab exeunte altero vel incipiente tertio saeculo obveniunt in septentrionalibus provinciis.

Speratia Prudentia in titulo Noiomagi ad Mosellam siti reperto Correspbl. d. Westdeutsch. Ztschrift V pag. 120.

Alexandria Prudentia uxor *M. Aureli Materni Aug. lib.* est Augustae Trevirorum Bramb. 783,

in anulo aureo ibidem reperto, qui aetatis christianae est, legitur *Prudentia Rodani vivas* Kraus n. 256.

Prudentiae alicuius christianae mulieris epitaphium est Romae IChr. II 447, 200.

Aurelius Prudentius Clemens Hispaniensis, notissimus poeta christianus, vixit altera saeculi quarti parte. *Prudentius* episcopus Parisinus memoratur a Venantio in vita S. Marcelli 6.

Prudentius gentile videtur esse in titulo Mogontiacensi Bramb. 1048 *Prudencius Reveres oblio signiferor.*

Pudens

cf. *Modestus, Moderatus, Verecundus, Honestus.* nomen hoc frequentissimum (plus 280 exempla conlegi) ineunte saeculo primo fictum est; ubi ortum sit, difficile est enucleare; equidem Galliam Cisalpinam nominis patriam duxerim, cuius sat multi optimi temporis tituli exstant, unus Alpis Poeninae V 6862 est incipientis saeculi primi.

Romae Augusti aetate nomen nondum evulgatum erat, deest enim antiquioribus columbariorum monumentis. antiquissimus quem scimus est *Pudens M. Lepidi l. grammaticus* VI 9449.

secuntur: *Pudens Ti. Caesaris Aug. pediseq.* tabellae mon. ad port. Latin. VI 5540.

Ti. Claudius Pamphili l. Pudes (sic) tabellae parietis extern. mon. Marcellae VI 4746.

Manilius Pudens, qui Claudi aetate floruit a Cass. Dion. 72, 7 et al. memoratur.

ex Taciti hist. I 24 novimus *Mevium Pudentem* e proximis Tigellini.

Pompeiis nomen exstat in uno titulo graphio inscripto incertae lectionis IV 1769 et in tegula X 8042, 17 *A. Apulei Pudentis.*

frequentius factum est nomen *Pudens* in titulis urbanis inde a medio primo saeculo, cf. VI 44, 3471, 7678, 7966, 8112; in albo trib. Suc. iunior. anni 70 bis occurrit VI 200, et in reliqua Italia et in provinciis inde ab eodem tempore in usum venit, imprimisque

usurpabatur a militibus cf. III 36 anni 84, VII 24, VI 3580 Vespasiani aetatis, III dipl. XII anni 85, II 1378 aetatis Vespasiani, VII 180 eiusdem temporis.

in militum frequenti usu nomen mansit altero quoque et adeo tertio saeculo cf. VI 2472, 2621, 2622, 2639, 2646, 2766, 2907, 2926, 3121, 3357, 3528, 3614, 220 anni 113, 2375c anni 119, 2380 an. 152, 2382b an. 177, 224 an. 197, 3884 an. 197 et 198, 1056 an. 205, 1057/58 an. 205 et 210, III 6193, III dipl. XXXIV an. 134, III 3543. *Pudens* nomen erat filii *Aemiliae Pudentillae* uxoris Apulei Madaurensis, eiusdem adversariorum causidicus fuit *Pannonius Pudens.*

saeculo tertio nomen iam rarius fit (cf. VI 2841 anni 239) quarti nulla certa inveni exempla.

saeculi alterius et tertii nonnulli noti sunt '*Pudentes*' summis honoribus functi:

L. Arrius Pudens cos. an. 165 in titulis saepe memoratur.

Q. Servilius Q. f. Pudens cos. anni 166 filius ni fallor fuit *Q. Servili Pudentis* nuncupati in compluribus tegulis urbanis (XV 346 an. 123 et alibi).

Q. Caec. Pudens v. c. leg. Aug. pr. pr. Bramb. 1608.

Val. Pudens leg. Aug. pr. pr. an 196/198 Bramb. 6a, III 10396, VIII 11999.

C. Marius Pudens Cornelianus leg. leg. v. c. an. 222 VI 1454.

C. Iulius Pomponius Pudens Severianus v. c. praet. urb. VI 317 (litteris saeculi tertii vel ineuntis quarti), apud christianos nomen non iam usitatum fuit; *S. Pudens* martyr Romae celebratur secundum martyrol. Rom. die 19. Mai.

mulieres *Pudentes* cognominatae occurrunt in titulis urbano VI 25206, Capuano X 4046, agri Viterbensis XI 3031, Patavino V 2872.

Pudentius

gentilicium *Pudentius* more militum et provincialium hominum ex *Pudens* cognomine fictum in duobus titulis Noricis aetatis inferioris reperitur III 5584, 5531.

Pudentius episcopus Madaurensis exeunte saeculo quinto vixit (Notit. Num. 60).

Recargentius

nomen episcopi Lamiggigensis Donatistae, qui ineunte saeculo quinto vixit. gesta coll. Carthag. cognit. I 187.

nomen fortasse legendum est *Re[su]rgentius* (cf. *Anastasius, Surgentius, Erigentius*) aut *Re[n]a[sc]entius* (cf. *Renatus*).

Recens

(cf. *Robustus Strenuus Vegetus*). *Recens* legi posse in tribus vasis Hispaniensibus e terra rubra factis arbitratur Huebner II 4970, 424 (1 *Reg*, 2 *Receni*, 3 *Rigeni*).

Recentius

signum ni fallor fuit *Recentius* in titulo Antipolitano XII 182, cui verba subscripta sunt *Recenti seses.*

Regens

Regens fec. exstat in vase cretaceo ad Linz in Norico reperto III 6010, 117. potest exaratum esse pro *Recens.* si nomen est *Regens*, comparaverim cum *Rectus, Ductus, Hegumene* nominibus.

Reverens

Prudencius Reveres obtio signiferorum in titulo Mogontiacensi Bramb. 1048.

Reverentius

Septimius Reverentius Aquini in titulo recentioris aetatis X 5409.

Rorentia.

IChr. I 520 *Rorentia* an. 403.

Salventius

IChr. I 1031 *Praetextatus Salventius Verecundus Traianus v. c. et sp.* an. 533 cf. Cassiodor. var. 9, 16 et 17.

Sapiens

(cf. *Sophus* graecum quod primum Romani acceperunt cognomen). *C. Laelio* trib. pleb. a. u. e. 603 hoc cognomen inditum esse narrat Plut. vit. Ti. Gracchi 8. cf. Senec. ep. 64, 10.

Sapientia

nomen martyris (martyrol. Rom. 30. Sept.) potius pro substantivo acceptum est (cf. nomina *Sophia, Fides, Spes, Caritas, Agape* similia).

Sarmentius

Iul. Rufinus Sarmentius v. c. pr(aeses) pr(ov). Dal(matiae) III 1982, 1983, 2771 (med. saec. IV).

Sarmentius episcopus Ternamusensis Donatista vixit ineunte saec. V cognit. I 180.

Saxentius

agnomen est *Anni Primi iun. Quir. eq. Rom.* in titulo Numidicio VIII 5502.

Scientinus

Sciens cognomen adhuc non inveni. *Scientinus* legitur in titulo sacro mutilo, quem codex servavit, II 152 (ad Elvas in Lusitania).

Sequens

cf. nomina *Futurus, Obsequens, Succedens, Secundus.* nomen hoc servile in Gallicis regionibus fictum esse videtur.

Aptae *C. Attius Sequen(s)* XII 1070, in Vocontiorum agro *Sex Viriatius Sequens* XII 1514, ad Hetzenrath prope Aug. Treviror. *Sequens* servus Bramb. 856,

Mogontiaci *Tib. Adn. Sequens* Bramb. 1002, ibid. . . . *Sequens* Bramb. 1027 anni 230. ad Heddernheim in lamina aenea *Masias Sequens* Correspbl. d. Westdeutsch. Ztschrift III pag. 36.

Romae nomen occurrit in tabella monumenti prope port. Praenest. VI 6167 *G. Valerius Sequens* saeculi primi exeuntis vel alterius, in tabella marmorea VI 9274 *Domnaedius possessor colonus Sequens.*

Sequens fortasse cognomen est *Cloeliae* alicuius in elogio ab Iucundo tradito IX 4810.

Sequentia

gentilicium est in sarcophago Mogontiacensi Bramb. 1087 *Sequentia Faustina.*

Serpentius

(cf. *Draco, Dracontius*). nomen posterioris temporis proprium.

Serpentius gladiator Romae in opere musivo VI 10206,

Serpentius vinarius ibidem in titulo anni 368 VI 1766,

Ostiae obvenit *S]erpentius* quidam in albo sacratorum saeculi alterius vergentis vel potius tertii XIV 286 I 13.

Serpentius consul anno 462 (cf. Marcellin. chron. ad an. 462; Cassiodor. scripsit *Severus*).

Spargentius

Fori Novi reg. IV in titulo litteris pravis scripto *M. Aur. Spargentius.*

Studentia

(cf. *Studiosus* VIII 18224). IChr. I 104 *Studentia* anni 348. *studens* nomen non est in titulo Africano VIII 12152.

Succedens

(*Successus, Processus*, an *Successor, Diadochus*?) *C. Audasius C. f. Pap. Succedens II vir etc.* Thevestae in Numidia VIII 1886 (saec. primi vel potius alterius).

Surgentius

eius nominis novimus episcopum Pocofeltensem (prov. proconsul.), qui interfuit concilio Arelatensi an. 314 (epistola concilii Arelatensis ad Silvestrum).

Tuentius

Iulius Tuentius in titulo Zuccabaritano (Mauret. Caesariensis) anni 241 VIII 9637.

Valens

nomen frequentissimum (450 fere exempla in titulis latinis inveni) videtur extremis liberae rei publicae decenniis fictum esse. patria est Gallia Cisalpina, ubi si non antiquissima quae novimus exempla at certe optimae aetatis permulta exstant. *Valens* inde ab eo tempore, quo primum in titulis vel in libris occurrit, cum in nobiliorum hominum tum in servorum et tenuioris condicionis hominum usu reperitur in urbe et in municipiis.

.... *Valens* (praenomen et nomen perierunt in lapide) praetor aer. a. p. Chr. 15

et *M. Satrius Valens* praet. urb. a. p. Chr. 19 relati sunt in fast. cons. minor. (I fast. cons. minor XIII et XIV),

Vettius Valens eques Romanus adulter Messalinae occiditur anno 48 teste Tacito annal. 11, 30 et 35;

Manlius Valens legatus legionis fuit in Britannia Claudio imperante teste eodem annal. 11, 50.

Fabius Valens legatus legionis in Germania, Vitelli sectator, consul an. 69 saepius a Tacito memoratur.

P. Aemilius P. f. Valens in albo potificum Sutrinorum XI 3254.

D. Lucretius Valens II vir Pompeiis an. 37 X 902.

idem ni fallor vel filius eius cognominis flamen Neronis Aug. perpet. est in edicto munerum Pompeiano IV 1185. cf. etiam IV 1084, 1185, 2993 g.

servi vel inferioris condicionis ingenui eiusdem temporis sunt hi:

Valens Germanus Germanicianus Ti. Caesaris Augusti natione Batavus tabellae monumenti lib. Drus. VI 4341.

L. Volusius Valens monumenti Volusior. VI 7388 (aetatis Claudi vel Neronis).

in album plebis Herculanens. relati sunt *Q. Iunius Q. l. Valens* et ... *alficius C. l. Valens* (X 1403 g 3,40).

frequentius nomen factum est cum in urbe (in albo trib. Suc. iun. an. 70 tres exstant *Valentes* VI 200) et in Italia, tum in provinciis (cf. velut II 3944, 5095, 2465) inde ab Vespasiani aetate; et si spectamus, cuius condicionis homines praecipue eo usi sint, apud milites tam boni sensus nomen in deliciis fuisse ingens titulorum copia ostendit.

Donatius Valens centurio leg. XVIII a Tacito ad annum 69 memoratur in hist. 1, 56.

sub Vespasiano stipendia meruit *T. Valerius Valens* tituli Reatini IX 4689.

tertii saeculi titulos, in quibus nomen *Valens* redit adscribam hos: III 3484 anni 219, 6150,1,4 anni 227, dipl. LII anni 243, 1967 anni 302; V 808, 8237 anni 244; VIII 2482 anni 253, 854; VI 2799 bis anni 227.

frequentissimum erat nomen in Gallia Cisalpina et in provinciis ad Danubium vergentibus.

etsi inde ab quarto saeculo rarescere coepit nomen *Valens*, tamen usque ad exiens fere sextum saeculum in usu fuit, praecipue in Galliis.

pauca inferioris et infimi temporis exempla adponam:

Valens Mursae (Pannoniae) episcopus Constantii imperatoris familiaris memoratur a Lucifero Caralitano.

Valentis episcopi Veronensis elogium anni 531 exstat V 3896,

Valens (sacerdos) est tituli ad Villeneuve reperti qui intra annos 526 et 587 positus est Le Bl. 597.

Balens episcopus Villenobensis (Mauretan. Caesariensis) vixit exeunte saec. quinto. (Notit. Maur. Caes. 41).

addendum est altero quoque et tertio saeculo viros equestris et senatorii ordinis, qui nomen *Valens* tulerunt, non raros fuisse. memoro hos: *T. Manlius Valens* cos. 96 XIV 2012,

M. Vettius M. f. An. Valens quaestor prov. Macedon. eq. Rom. leg. leg. XV Apollinaris XI 383,

L. Fulvius C. f. Popin. Alburnius Valens pontifex praef. urb. an. 118 VI 1421,

Q. Pompeius Q. f. Quir . . . Valens consul an. 169 XIV 3609 et al.

L. Fulvius C. f. Pom. Bruttius Praesens etc. Valens etc. cos. II an. 180 X 408 et al.

Val. Valens v. p. praef. cl. Misen X 3336 intra annos 228 et 244,

Pinarius Valens praef. praet. a. 238. Capitolin. Maxim. et Balb. 4,

Flavius Valens v. c. V 5670,

C. Valens Hostilianus Messius Quintus filius Decii imperatoris VI 1102 (anni 251),

Flavius Valens imperator 364—378.

Valentius Valentia

formae *Valentius*, cuius 16 exempla in tit. lat. inveni, et *Valentia*, cuius 7, rarius usurpatae sunt. plurima exempla sunt Galliae Transpadanae, pauca Italiae et urbis, unum alterumve Hispaniae Delmatiae et provinciarum quae ad Danubium sitae sunt;

in titulis Transpadanis, qui sunt boni temporis, gentilicii vice

funguntur: V 3791 (*L. Valentius Eutychus*, *L. Valentius Senecio*), 6591 (*T. Valen[tius] Haruspex*, *Valentius Secundus*, *Valentius Titus*, *Valentia Titulla*, *Valentia T. f. V....*), 4481 (*L. Va[lentius] L. f. Teud....*),

item in Aquinati X 5531 (*L. Valentius L. l. Clarus*) et urbano VI 27913 (*C. Valentius Nicer*) et Dacico III 7797 (*Valentius Demetrius*).

patriam *Valentiam* in his exemplis gentile indicare videtur.

a cognomine *Valens* ficta sunt *Valentius Valentia* in reliquis exemplis, quae posteriori aetati adscribenda sunt.

signum vel agnomen est *Valentius* in titulo graeco Ostiensi XIV 1697.

Lucilia Valentia Mediolanii V 6033,

Iul. Valentius Patavii V 2969, cf. etiam V 6639.

C. Cogitatius Valentius manip. IIII Dacic. nat. Pann(onius) Miseni X 3569,

Aur. Valentia Salonis III 2217,

Aur. Valentia Carnunti (Pann. super.) III 4459,

Fl. Valentia in tit. christiano Aquileiensi V 1657. *Valentius* absolute positum est in duobus signaculis Hispaniensibus aetatis christianae II 4975,76 et 6259,21 et in titulo Delmatico III 2766.

Vincentius Vincentia

cf. *Victor, Victoria, Nicetes, Nicetius.* nomen *Vincentius Vincentia* (illius 60 fere, huius 16 repperi exempla in titulis latinis) fictum est exeunte altero saeculo in Africa, ubi etiam *Victor Victoria* ortum est.

Vincentia signum additum est *Attiae Victoriae* cuidam in titulo Lambaesitano VIII 18366. cf. etiam VI 23824 (*Paregrius qui et Vincentius*), IX 3278 (*Vincenti vivas*), VIII 762 (ubi *Vincentia* agnomen esse videtur).

ex hac signi usurpatione cognomina *Vincentius Vincentia* originem duxerunt cf. VIII 762, 10765, 2626 b 18 (Aureliani aetatis), 15602, 16565, 16819.

medio fere tertio saeculo *Vincentius et Vincentia* iam latius vulgata erant. id imprimis per milites, qui hoc boni ominis nomine libenter usi sunt, factum esse videtur. prima quae certi temporis notam exhibent exempla sunt: *P. Bellicius Vincentius* in diplomate anni 254 III suppl. dipl. XCV et *Aelia Vincentia* tituli Dacici ante annum 260 scripti III 7753.

tertio et ineunte quarto saeculo nomen occurrit Romae VI 545, 142, 3430, 10158, 15316, 15664, 23824, Ostiae XIV 1060, Corfinii IX 3278, Corregione XI 1016, in Colonia Rusellana XI 2619, Aquileiae V 1118, Salonis III 2604, in Moesia III 6292, in Pannonia III 10692, in Raetia III 5813, in Germania Bramb. 2056, in Gallia Narbonensi XII 1466, in Hispania II 4112.

ab Ammiano Marcellino duo memorantur *Vincentii*, alter tribunus scutariorum 22, 11, 2, alter vicarius Africae an. 371 29, 5, 6.

Vincentius praef. praetor. an. 400 cod. Theodos. 7, 8, 6.

Vincentius praef. in Gallia Sulpic. Sever. dial. 1, 25, 6.

Vincentius consul an. 401 chron. Marcellin.

christianos tam boni ominis nomen adoptasse et usu trivisse consentaneum est. imprimis usurpabatur a christianis Africanis (cf. VIII 13428, 13541, 14020, 14234, 14235, 15414); quinque noti sunt episcopi Africani, quorum unus Thibaritanus medio tertio saeculo floruit (Cyprian. ep. 67 sentent. episcopor. de haereticis baptizandis n. 37), duo exeunte quinto, Gigitanus (Vict. Vit. 1, 29) et Ziggensis (Notit. procons. 41).

tituli christiani *Vincenti* nominis reperti sunt praeterea Romae IChr. I 484 an. 400, 510 an. 402, IChr. II 293, 1; 64, 15; 82, 21; VI 9213 (*Viccentia auri netrix*); Clusii XI 2560 saeculi quarti,

Comi V 5428 an. 526,

Aquileiae V 8590 et 1118,

Mediolanii V 6190 et 6210 anni fortasse 483,

Ravennae XI 281 ($\overline{sca}$ *Vincentia*),

in Gallia: Carpentorate XII 1215, Le Bl. 73,

et Baeterrae XII 4311 an. 455,

in Hispania II 4976, 40, Huebn. IHisp. Chr. 42 an. 482, 142 an. 630, 206, 115 an. 632, 111 an. 682.

S. Vincentius martyr. Afric. in martyrolog. Afric. apud Morcellium II pag. 361 ad diem 27. Ian.

Vincentius Lerinensis, nat. Gallus, scriptor vixit prima parte saeculi quinti.

Violens

contulerim nomina *Vehemens*, *Ferox, Fortis, Acer*; sed cf. etiam quae supra (pag. 645) de *Violentilla* adnotavi. vetus nobile cognomen, quod in Volumniorum gente sollemne fuit diutissime. nam praeter *Violentem* consulem annor. u. c. 447 et 458 novimus ex titulis duobus Perusinis *P. Volumnium A. f. Violentem Cafatia natum* XI 1963 = I 1392, et *P. Volumnium P. f. Violentem* XI 1944.

Tarracone in lapide aevi fere Caracallae recte fortasse suppletum est *Titus Vio[le]n(s)* II 4118.

Virentius.

agnomen est *Virentius* Iuli Vitaliani[1]) alicuius in titulo Hadrumetino prov. Byzac. saeculi fere tertii VIII 10504.

---

1) observa similem significationem cognominis et agnominis, cf. VIII 18366, ubi *Vincentia* agnomen est *Victoriae* alicuius.

Viventius Viventia

Vivius, *Vibius*, *Vivax*, *Vitalis*, *Zosa*, *Zoticus*, *Zosimus*. nomen fortasse in Gallia natum est, ibi certe posteriore aetate non infrequens fuit.

Viventius occurrit in titulo pagano sequioris aetatis Baeterris XII 4247,

Romae *Valeria Viventia* VI 25841 (saec. fere tertii), *Viventius* Siscianus nat. Pannonius quaestor sacri Palatii memoratur ab Amm. Marcellino 26, 4, 4, idem anno 367 praef. urbi factus est teste eodem 27, 3, 11.

duo *Viventii* episcopi memorantur a Fausto Reiensi in ep. 2.

Rufius Viventius Gallus v. c. et inlustris expf. urb est tituli urbani IChr. II 54 (saec. V).

in titulo Caledoniae (Britanniae) saeculi quinti vel sexti mentio est sacerdotis cuiusdam *Viventi*. Huebn. IBrit. Chr. 205.

Sanctus Viventius occurrit in martyrolog. Romano sub die 13 Ian.

Sanctam Viventiam virginem, de cuius vita nihil constat, Coloniae coli referunt Stadler et Heim in onomast. Sanctor. V pag. 749.

Volens

Cn. Pompeius Cn. f. Volens est tituli sacri inter Nemausum et Sextantionem reperti XII 4170.

Volventius

nomen potest valere idem ac *turbulentus turbidus* velut amnis, *tumultuosus, procellosus* et componi cum nominibus *Rapidus, Rapax*, *Vehemens*, an sonat *Serpentius Dracontius*? *Volventius* proconsul Hispaniarum memoratur a Sulpicio Severo chron. 2, 49.

B. nomina in *-ans, -antius.*

Abundantius Abundantia

nomen christianum. *Abundantius* diaconus martyr sub Dioclet. in martyrol. Rom. sub die 16 Sept. fertur. is fortasse antiquissimus est eius nominis quem scimus.

Romae *oficina Abundanti* in latere post Dioclet. facto XV 1676; *Abundantia* IChr. I 61 anni 341,

Abundantius IChr. I 288 anni 380,

Abundantius [Pr]aefectianus IChr. 1068 anni 540,

Abundantius acol. IChr. I 1185 saec. sexti; Puteolis *Abundantius* in titulo Iudaico X 3303 saec. quinti,

Praeneste *Abun[dantia]* XIV 3426 a,

Mediolanii *Abundantia* V 6175 saec. fere IV,
Abundantia V 6202 saec. fere V.

Abundantius quidam consul fuit an. 393 una cum Theodosio imp. cos. III, Zosim. V 10, 5.

alter *Abundantius* ad annum 412 memoratur ab Socr. VII 7.

Abundantius praef. praet. sub Theodorico et Athalarico, Cassiodor. var. 5, 16 annor. 525 et 526 et al.

Abundantius episcopus Tridentinus anno 381 interfuit concil. Aquileiensi gest. concil. 57, 76 post ep. Ambros. 8.

Africanos eius nominis novimus episcopum Hadrumetinum, quem Gratus recenset in praefat. synod., quam Carthaginem convocavit an. 349, Morcelli I pag. 68,

et presbyterum memoratum ab Augustino in ep. 65 scripta an. 402.

Advolans

nomen gladiatoris apud Martialem V 246. equi nomen esse videtur in titulo urbano VI 10053b 5, ubi *Advola[nte]* supplevit Friedlaender.

Aginantius

IChr. I 882 legitur *cons. Aginanti Fausti.* an. 483; in titulo urbano VI 526 nomen *Aginatius* scriptum est. nomen ductum est ab *aginandi* verbo. cf. gloss. Philoxeni: *aginat* διαπράσσεται στρέφει, μηχανᾶται.

Amans

nomen hoc inferiorum hominum haud ita frequens fortasse natum est in Gallia Cisalpina.

duo eius cognominis seviri et augustales titulum Comensem V 5305 posuerunt *L. Valerius Amans* et *Q. Sentius Amans*,

Asculi Piceni est *C. Tettaeus C. l. Amans* IX 5193.

Gemellae in Numidia in pariete aulae inter alia nomina legitur *Amans* VIII 17978.

Amantianus servile agnomen est in tabella sepulcreti fam. Aug. prioris VIII 12680,

Caecilia Amans est tituli mutili urbani VI 13701.

Amantius Amantia

multo frequentiores quam *Amans* fuerunt hae ampliores formae. de gentilicii *Amantius* vetustissimo exemplo (Plut. Caes. 50) iam supra verba feci pag. 641.

in antiquissimo, quod equidem scio, imperatorii aevi exemplo *Amantia* signum est; est autem tituli Viennensis litteris bonis saeculi primi vel alterius scripti XII 2021 (*D. M. Valeriae Atticae signo Amantiae* etc.).

item signum vel agnomen est *Amantius* in titulo agri Beneventani IX 2105.

cognomen est *Amantius* Aquileiae V 784 (*Ulp. Amantius*).

nomen absolute obvenit Salonis III 2296, Mediolanii V 5942, Thevestae VIII 1953, Romae VI 11511 (fortasse christian.), 11512, titulus Pannoniae superioris (III 3982), in quo *Amantia* occurrit fortasse interpolatus est. *[Am]antia f(emina) c(larissima)* est tituli musivi operis ad Cilli reperti, Jahreshefte des oesterr. arch. Instit. vol. I 1898 Beiblatt pag. 34.

Amantius quidam haruspex sub Valentiniano vixit teste Amm. Marcell. 28, 1, 19 et 22.

Crepereius Amantius consul fuit anni 345 (X 4712 et al. saepe).

deinde apud christianos hoc boni sensus nomen admodum frequentabatur:

Romae exstat *Amantius* an. 373 IChr. I 236,
an. 384 (vel 396 vel 402) IChr. I 336,
an. 409 IChr. I 594,
Amantia an. 395 IChr. I 423,
436 IChr. I 696.

Amantius Amantia obveniunt praeterea

Aquileiae an. 423 (*Amantius sacerdos*) V 1623,
(*Amantia*) V 1625,
Mediolanii V 6225 saec. fere IV,
Laude V 6396 saec. fere V,
Augustae Treviror. Le Bl. 226 (*Amantia*).

Sancti Amanti mentio est in martyrol. Afric. ad diem 4. Nov. Morcelli II pag. 373. ex libris novimus *Amantios* hos: acolythum, qui saec. III vixit Cyprian. ep. 77, 3 et 78, 1, episcopum Niciensem, qui an. 381 concilio Aquileiensi interfuit acta concil. Aquil. 64 et 76 post ep. Ambros. 8, lectorem Avernis natum Sidon. ep. 7,7 et al., eunuchum in aula Eudoxiae (ineunte saec. quinto) Zonar. 13, 23 et al., eunuchum, praepositum sacri cubiculi Zonar. 14, 5 et apud alios.

Ballantius

nomen potest ductum esse a *ballandi* verbo, cuius duo exempla exstant apud Augustinum; verisimilius autem videtur, scriptum esse pro *Pallantius*, derivatumque a virili nomine *Pallans* quod legis velut XIV 2785. cf. etiam scriptionem *Balatium* pro *Palatium* apud Naevium Varro l. l. V 53.

Ballantius filius *C. Antoni Felicis* tituli ad Ain-Ksar in Numidia reperti VIII 4355.

Cogitans

cf. *Sapiens, Prudens, Philosophus, Phrontizon, Phronimus, Cogitatus. L. Licinius L. l. Cogitans* in titulo Baetico II 1201.

Constans

(*Firmus, Stabilis, Tenax, Perseverantius* alia). nomen hoc, cuius 71 exempla in titulis latinis repperi, fictum esse mihi videtur in Gallia Cisalpina et adiacentibus regionibus (Delmatia Noric. Pannon.), quamquam id non tam ex vetustate quam ex numero titulorum, in quibus occurrit, probari potest. usurpabatur nomen a servis et humilioris condicionis ingenuis imprimis a militibus, quibus cum esset faustae significationis, gratissimum fuisse par est.

Romae prima exempla sunt *Constans* monumenti Statilior. VI 6427 aetatis fere Claudianae, et *P. Ennius Constans veteranus* monumenti ad viam Nomentanam VI 8105, fortasse etiam *Iulia Constans* VI 8901.

in albo plebis Herculanensis exstat *C. Atilius Constans* X 1403d 2, 19.

Ceterum nomen rarum fuit Romae et in Italia, quaeque in titulis inveni exempla, aut sunt militum (X 3645 Miseni, X 3733 Atellae, XIV 3628 Tiburi, XI 958 Lepidi Regii; VI 2749 vet. coh. X praet. oriund. ex Mediolan., VI 3198 equ. singular., VI 3462, VI 3555 primipilar. Romae) aut sunt saeculi alterius vel tertii (VI 18732 Romae, IX 338,3,27 Canusii an. 223). Galliae Narbonensis nullum repperi exemplum, Hispaniae et Africae pauca. nomen viguit apud milites, qui in septentrionalibus provinciis stipendia merebant usque ad quartum saeculum (cf. III 865, 5587 an. 229, Bramb. 1336 an. 236). duo senatorii ordinis *Constantes*, qui saeculo quarto floruerunt, memorantur in titulis Africanis VIII 8480 et 9288.

Constans unus ex filiis fuit Constantini imperatoris, *Constans* cognominatus erat etiam filius Fl. Claud. Constantini, tyranni in Gallia Oros. VII 40 et chron. Marcellin. ad an. 411.

ad *Constantem* magistrum militum per Thracias exstat lex data an. 412 cod. Theodos. 7, 17, 1 (idem ni fallor est, qui in titulo christiano IChr. II 280 et alibi consul vocatur anni 414.

Constantis alicuius lectoris ecclesiae Avernorum memoriam servavit Sidon. ep. 4, 12.

mulieribus additum est *Constans* in titulis urbanis VI 8901 et 16370 et in Calamensi Numid. proconsul. VIII 5470.

Constantes genus equitum vocabatur teste Notit. dign. Or. IX 9 (*Matiarii Constantes*).

Constas exaratum est in titulis Dacico III 1608 et Pannoniae inferioris III 10548,

Costans Aquileiae V 1052b 14, Altinae reg. II X 362,

Costas in Dacico titulo III 1194, in Rhenano anni 236, Bramb. 1336, in patellis Britannicis VII 1336, 344.

Constantius Constantia

hae formae (illius plus 70, huius 18 exempla repperi) exeunte fere altero vel incipiente tertio saeculo in usum venerunt.

signi loco fungitur *Constantius* in titulis Mediolanensi V 5894, Africano VIII 12382, Hispaniensi II 2570, fortasse etiam in fibula aurea in Pannonia reperta III 6016, 5 et in gemma Salonitana III 10188, 11.

Constantia cognomen occurrit Salonis III 2147 (*Aelia Constantia*), Puteolis X 3061 (*Valeria Constantia*), *Constantius* Lussonii in Pann. infer. III 10299 [*Sept(imius) Constantius*], Albae Helvorum XII 2663, Anagniae reg. I X 5950 (*A. Apustius Constantius*), Florentiae XI 1728 (*C. Papirius Constantius* homo christianus), Romae VI 28116 (*Valerius Constantius*), VI 29690 (*Ceionius Constantius*). his addendus est *Flavius Valerius Constantius Chlorus* pater Constantini Magni.

servile nomen est *Constantius* in titulis Tiburtino XIV 3649, 3, 6, urbanis VI 641, 776 (*Constantius Augg. et Caes. tabularius*), cf. XV 1683 (*ex officina Constanti* post Dioclet.).

Constantius gentile ex cognomine *Constans* provincialium more fictum reperitur in titulis nonnullis militaribus Rhenanis saeculi alterius et tertii Bramb. 1304, 1798, 1336 anni 236, in Delmatico III 3020, in urbano VI 3884 annor. 197 et 198.

gentile suum ab *Nuceria Alfaterna* sive *Constantia*, oppido regionis I duxit *Q. Constantius Threptus* tituli boni ibi reperti X 1092. cf. etiam VI 3884. (*Constantia* martyr Nuceriana memoratur in martyrol. Rom. sub die 19. Sept.).

in multo frequentiorem usum quam apud paganos fuerant *Constantia* et *Constantius* apud christianae fidei homines venerunt inde ab ineunte saeculo quarto. cuius rei una causa posita est in ipso nomine, quod principalem quandam virtutem christianam exprimens auribus gratissimum erat. altera in eo quaerenda est, quod nomen prima quarti saeculi parte in domo imperatoria sollemne fuit. nam ut priore aetate gentilicia eorum imperatorum, a quo quisque vel quo imperitante civitate donatus erat[1], adsumi solebant, ita tunc temporis, cum unius nominis usus invalesceret, *Constantius* et *Constantia* nomina aut simili ratione aut studio quodam hominum, quod etiamnunc observari potest, usurpabantur et a parentibus liberis indebantur.

Constantius et *Constantia* exstant in titulis christianis

Romae anno 325 IChr. I 35,
330 ibid. 37,
337 „ 47,
349 „ 107,
364 „ 176,
393 „ 410,
exeunte saeculo IV VI 9920 septies,

1) cf. innumeros *Iuliorum Claudiorum Flaviorum Aeliorum Aureliorum* titulos.

an. 404 IChr. I 529,
441 ibid. 706 = VI 9153,
448 ibid. 744,
450 ibid. 750,
530 VI 9461,
VI 1665 (*Constantius v. c.* regnante Theoderico),
exeunt. saec. VI IChr. 1180,
incerti temporis IChr. II 164, 8; 391; 444, 169,

Ostiae XIV 1942,
in agro Albano XIV 2384,
Nolae X 1369,
Volsinii XI 2883 saec. IV,
Syracusis X 7167 an. 356,
Florentiae XI 1728 incipientis saec. IV,
1696 saec. V,
1689 an. 417,
Bononiae XI 802 an. fortasse 394,
Arimini XI 550 saec. V vel incipientes VI,
Mediolanii V 6204, 6205, 6206 saec. fere V vel incipientis VI, pag. 618, 8,
Vercellis V 6729 bis,
Comi V 5455 an. fortasse 461 vel 482,
in agro Novariensi V 6497 saec. V,
Aquileiae V 1618, 1643 saec. IV vel V,
Concordiae VI 8746,
in Pannon. infer. III 6446,
Augustae Trevir. Le Bl. 223 saec. IV vel V,
in Africa VIII pag. 620, n. 8639 an. 405, 9918, 13562, 13563, 13564.

ex libris novimus praeter *Constantios*, qui domus imperatoriae fuerunt

Constantium v. c. proconsulem Africae an. 375 cod. Theodos. 4, 12, 7. cf. eius elogium III 9506,

Constantium comitem sacrar. largitionum a. 399 cod. Theodos. 6, 30, 15,

Constantium praef. urbis a. 422 cod. Theodos. 1, 6, 12,
Tiberium Constantium Caesarem VI 8401 anni 578,
Constantium filium Ruricii (ad eum exstat epistula Ruricii II 24).

De Vit in onomastico tredecim enumerat episcopos *Constantios*, quos longum est hic repetere. tres eorum sunt Africani, plurimi saeculo quarto vixerunt.

ex his omnibus testimoniis facile cognoscis *Constantium Constantiam* frequentissima fuisse saeculo quarto, in usu non raro mansisse usque ad extrema antiqui orbis tempora.

Costantius vel *Costantia* exaratum est in titulis Delmatico III 2147, Novariensi V 6497 †, Sitifensi VIII 8639 †.

Constan[tia] nomen navis est in titulo Ravennati XI 55.

Dignantius

nomen hoc videtur Gallicarum regionum proprium fuisse. legitur in titulo christiano Trevirensi Le Bl. 244 = Kraus 151. occurrit etiam in libr. confrat. ed. Piper II 89, 25, forma *Dignentius* ibid. I 181, 35.

Donantius

Q. Pullaenius Donantius eq. Rom. Auziae Mauret. Caesar. VIII 9050. pater eius *P. Pullaenius Donatus* est.

Dubitantius

Sancti Dubitanti mart. Carthag. mentio est in martyrologio Afric. ad diem 17. Nov. Morcelli II pag. 374.

Elegans

cf. *Bellus, Lepidus, Venustus, Urbanus, Amoenus.* nomen servorum et libertinorum hominum, cuius 23 exempla in titulis latinis inveni, quorum nullum extra Italiam repertum est.

primus sine dubio est *Elegans Aug. lib. mensor* tabulae urbanae VI 8912, qui Augusti aetate vixit.

plurima quae exstant exempla sunt urbis Romae, duo pagi urbani IX 2986, 4694, tria Ostiae XIV 1980, 1213, 484, singula Reates IX 4694, Aquini X 5464, Trebulae X 4563, Faleriorum XI 3178, Tarquiniorum XI 3422.

Galliae Cisalpinae est *M. Arrius M. l. Elegans* (tituli boni Atestini) V 2568, et *C. Geminius Elegans VI vir. sen.* (tituli boni Mediolaniensis) V 5861.

nomen praecipue primo saeculo usurpabatur. ultimus *Elegans* exstat in laterculis coh. V vig. annorum 205 et 210 VI 1057/58.

mulieribus inditum est nomen quinquies in urbe VI 58, 15806, 18630, 19889, 25482, semel Ostiae XIV 1213.

Elegas exaratum est Romae VI 19889, Ostiae XIV 484.

Exsuperans

fictum est hoc nomen ex vetere participio *exsuperans*, quod in usum receptum ab Hadriani aevi scriptoribus (Gell. Apul.) sollemne factum est epitheton deorum Mithrae, Solis, Jovis [cf. velut III 1090, XI 2600, Bramb. 1404] quodque a christianis quoque deo adtributum esse ex Augustini ep. 103, 2 concludi licet. nomen comparatur cum *Excellens Eminens* al.[1])

1) cf. etiam nomen *Exsuperator* VI 2905 al. et *Exsuperatus* VI 2708 al.

natum est fortasse altero saeculo in Africa. duo habeo Numidiae exempla, alterum Rusicadense *C. Mettius Exuperans dendrophor. decretarius'* in titulo Sancto Attidi sacro VIII 7956, alterum Cirtense '*Hordionius Exuperans*' VIII 19569.

tritiores fuerunt formae

Exsuperantius Exsuperantia

cognominum locum obtinent in titulo Ammaedarensi Byzacenae VIII 11665 *Fabius Exsuperan[tius]*, in urbanis VI 26458 *Aelia Exsuperantia* et VI 377 *Aur. Exuperantius* sacerdos Silvani in titulo ad Mithrae cultum spectante.

servile nomen est *Exsuperantius* Romae VI 17474, Tiburi XIV 36493, fortasse etiam Narbone in signaculo XII 5690, 47 et in latere urbano post Dioclet. facto XV 1687.

apud christianos quoque *Exsuperantius* et *Exsuperantia* frequenter usurpabantur. exempla inveni

Romae an. 356 IChr. I 116,
372 ibid. 229,
383 ibid. 328,
exeunt saec. IV VI 9920 ter,
an. 408 IChr. I 587,
490 ibid. 893,
saec. IV vel V ibid. 1203 et VI 9238,
Ostiae XIV 1902,
Capenae XI 4037 anni 352,
Ravennae XI 303 *s̄c. Exuperantius pontifex et confessor atque archiepiscopus e(cclesiae) Ravennatis* (qui medio fere quinto saec. vixit),
Mediolanii V 6223 saec. fere V,
Concordiae V 8746,
Augustae Treviror. Le Bl. 250 *Exsoperantia* saec. fere V,
Nertobrigae Baeticae Huebn. IHisp. Chr. 48 anni 578.

ex libris novimus:

S. Exsuperantium mart. diaconum S. Sabini, cuius memoria celebratur secundum martyrologium Rom. die 30. Dec.,

Exsuperantium quendam, ad quem exstat ep. Hieronymi 35 scripta anno 386,

episcopum Dertonensem, qui anno 386 concilio Aquileiensi interfuit Ambros. ep. 8, gesta concilii Aquil. n. 76,

praefectum Aremoricae, Rutil. Namat. de reditu suo I 213,

Exsuperantium, ad quem exstat lex in cod. Theodos. 14, 1, 4. anno 404 data,

Iulium Exsuperantium, qui epitomen belli civilis Sallustiani scripsit (saec. IV vel V) et *Exsuperantium*, qui emendando Iuvenali operam dedit.

totiens fere *Exsuperantius Exsuperantia* in titulis legi quotiens *Exuperantius Exuperantia.*

Exsuperantium

signum est *Seiae Ianuariae* in titulo urbano VI 26152 (*Exsuperanti quiescas*).

Fremantio

nomen hoc muliebre tituli Patavini V 2974 (2906) sine dubio externae originis est. cf. nomen *Fremmo* V 2273.

Fugantius

nomen sonat *qui fugat hostes* (cf. *Turbantius*, *Vincentius*, *Victor*). occurrit in titulo christiano Aquileiensi V 8986a.

Infans

haud scio an cognomen sit *Infans* in titulis duobus urbanis, qui infantibus positi sunt. VI 28044 *L. Valerius Infans... vix. dieb. LXXI*, VI 10160 *Sarricius Infans gymnicus ... qui vix. an. IIII.*

re vera cognomen est in titulo Hispaniensi II 1818, in quo legitur *Granius Infas annoru. LXI.*

Infantius

ad *Infantium* comitem orientis exstat lex imppp. Valentinian. Theodos. Arcad. anni 393 cod. Iust. 1, 9, 7.

*Instans

cf. nomen *Futurus*. *T. Del(li) Ist(antis) m(anu)* explevit Huebner in patella Londini reperta VII 1336, 404.

Instantius

Instantius Rufus, qui an. 101 vel 102 Hispan. Baet. administravit, saepius a Martiale memoratur;

titulum Cirtensem VIII 7543 posterioris aetatis posuit *Istantius* quidam.

Instanti episcopi Hispaniensis Priscilliani haeresi addicti mentio fit in Sulpic. Sever. chron. 2, 46.

Iuvantius

Londini in patella *Iovanti* VII 1336, 518. nisi barbarum nomen subest, conicere licet pro *Iuvantius* scriptum esse (cf. nomina *Iuvatus, Adiutor, Auxiliaris, Auxilius, Boethius* similia). *Dei Iuvantes* III 5118 = Eph. epigr. II pag. 440 n. 965 [*Iuvantib(us)*], VIII 2226, 10718.

Lactantius

nomen potest originem duxisse a deo *Lactante* (Serv. ad Ge. 1, 315).[1]) Africae proprium fuit; signum est in titulo Numidiae VIII 17767 saeculi fere tertii *Seius Clebonianus qui et Lactantius*.

cognomen est in albo decurionum Thamugadensium VIII 17903: ....*ricius Lactantius*.

praeter hos novimus *Lactantium Firmianum* scriptorem illum christianum, Constantini Magni aequalem, et

Lactantium (si recte ita scribitur) *Placidum* scholiastam Statii.

Laetantius

cf. nomen *Laetus*. *S. Laetanti*, qui fuit inter martyres Scillitanos, mentio fit ad diem 17. Iuli in martyrol. Afric. Morcelli II 371.

Letantius legitur in tit. christiano apud Mai nov. coll. V pag. 389, 1.

Liberantius

cf. nomina *Liberatus, Liber, Liberius, Eleutherus. Liberantius* episcopus Tisanianensis Numidiae vixit ineunte saec. V coll. Carthag. anni 411 cognit. I 206.

Lupantius Lupantia

cf. *Lupatus Lupatius*. nomen Galliarum proprium. *Lupantia* in titulo christiano apud Le Bl. 270 = Kraus 207 saec. IV. vel V. *S. Lupantium* natione Gallum a Bollandistis sub die 25. mens. Febr. recenseri referunt Stadler et Heim in onomast. Sanctorum.

Novantius Novantia

nomen hoc, quod inde ab altero saeculo occurrit, ortum est in septentrionalibus provinciis (cf. *Novatus*, quod in Baetica fictum est). ad Aquas Sulis in Britannia *Novanti* alicuius filius titulum posuit VII 47, qui bonis litteris saeculi alterius scriptus est. Moesiae superioris est *M. Novant(ius) Ingenus* III 1695. praeterea duo exstant Lambaesitana exempla VIII 3933 *Novantia Procula*, VIII 3934 *Novantia Victorina*. huc revocandum est nomen *Noventius*, cuius testimonia supra attuli.

Optantius

nomen Africae peculiare.

signum est *M. Pompei Quintiani* equitis Romani, qui parentibus titulos Thamugadenses VIII 17904 et 17905 posuit (saec. II vel incipientis III).

---

1) aliter nomen supra pag. 646 huius commentationis interpretatus sum.

Optantius episcopus Casensis-Calanensis exeunte saec. quinto vixit Notit. Numid. 43.

nomen igitur tria saecula in Africa viguit.

Palmantius

cf. nomina *Palmatus, Coronatus, Diadumenus.* Mediolanii in titulo christiano V 6208 *Cornelio Palmantio.*

Perseverantius

S. Perseveranti mentio est in martyrolog. Afric. ad diem. 3. Iun. Morcelli II pag. 369.

Perseverantius episcopus Thevestinus Donatista vixit ineunte saec. quinto coll. Carthag. anni 411 cognit. I 180.

Petulans

cf. nomina *Lascivus, Licens.* nomen equi est in titulo urbano VI 10056. *Petulantes* milites auxiliares, una cum *Celtis* saepius ab Ammiano Marcellino memorati (cf. etiam Notit. dign. Oc. V 16, Or. IX 5), nomen a licentia sua sine dubio acceperunt cf. Amm. Marcellin. 22, 12, 6.

Praestantia

Praestans nomen personale adhuc nondum mihi obvenit (VIII 796 *numen praestans*, VI 38; III 991 epitheton Apollinis est; *Mars praestans* Bramb. 691) tamen *Praestans* iam vetustiore tempore in usu hominum fuisse ostendit titulus Bononiensis XI 786 ineuntis saeculi primi (*Praestantia Quarta*); gentile enim *Praestantia* procul dubio ab *Praestans* cognomine ductum est.

Probantius

fortasse hoc quoque nomen ut *Optantius, Perseverantius, Liberantius* aliaque in *-antius* Africanae originis est. *Val. Probantius* filius adoptivus *Aur. Censorini* veterani est tituli urbani saeculi fere tertii VI 3450.

Probantius episcopus Trofimianensis Byzacenae floruit ineunte saec. V. coll. Carthag. cognit. I 83.

Servantius

nomen unice notum est ex titulo bono Brixiensi V 4655, qui saeculi fere alterius vel tertii est (*M. Minicius Servantius*). nomen videtur sicut *Servatus* in septentrionalibus regionibus ortum esse.

Sextantius

P. Sextantius ex civitate Traianensi Herculi Invicto aram posuit Luguvalli in Britannia saeculo altero VII 924. *Sextantius,* quod hic cognomen esse arbitratur Huebner, aut a *sextans* substantivo aut a *Sextantione*, oppido Gallico, derivatum est.

Sperantius Sperantia

hoc quoque nomen, si non in Africa fictum est, at certe ibi usitatius fuit. *Caelius Sperantius* flam. perpet. memoratur in titulo Membressitano prov. proc. aetatis inferioris VIII 1299.

Sperantia est tituli christiani Mauretaniae Sitifensis VIII 8766.

Sperantius episcopus Numida memoratur in rescripto Constantini ad episcopos Numidas an. 330.

Sperantius cognomen occurrit praeterea in duobus titulis Pannoniae superioris III 4211 *Septimius Sperantius*, III 4335 *Annius Sperantius*.

Sperantia gentile est in titulo Rhenano Coloniae Agrippinensis reperto Bramb. 368: *Sperantia Dommula*.

Substantius

composuerim cum hoc nomine *Sustinendus, Constans*, cf. Ter. Andr. 914; an valet idem atque *Adiutor* similia? potest etiam fictum esse a *substantia*, quod ut graecum οὐςία significationem pecuniae induit, cf. *Argentius, Frumentius* alia. nomen certe Africanum est. *Q. Publilius Substantius* tituli in vicinia oppidi Sitifis reperti VIII 8417 (saec. II vel III).

Superans

cf. nomen *Superatus*, quod in Baetica provincia natum est. *Satrius Superans* Venusiae reg. II IX 567 (saeculi fere alterius).

Superantia

Aufustia Superantia Romae in titulo fortasse spurio VI 2993.

Tonantius

Tonantius Ferreolus praefectorius Afranii Syagrii consulis floruit saec. V; memoratur saepius a Sidonio; idem mentionem facit filii *Tonanti* cognominis patri in carm. 24, 34.

Turbantia

synonymon est nominum *Fugantius, Vincentius. Turbantia* tituli christiani urbani anni 336 IChr. I 43.

Vegetantius

cf. quae infra sub *Vigilantius* dicam.

Venantius Venantia Venantium

hoc nomen idem sonans ac *Venator* fictum est aut in Africa aut in Galliis.

Acciae Heuresidi Venantio c(larissimae) p(uellae) dicatus est titulus Uticensis VIII 1181 saeculi tertii.

Venantius episcopus Thinisae, aequalis S. Cypriani, interfuit concilio, quod ille de baptismo coegit an. 255, sentent. episcoporum de haeret. baptizandis n. 49.

Venantius episcopus Oppidonovensis exeunte saec. V floruit Notit. Maur. Caes. 64. *Venantius* alius episcop. Afric. Augustini aequalis, memoratur Augustin. ep. 175.

Ulati[a V]enantia occurrit in titulo Burdigalensi litteris satis elegantibus scripto Iullian. 188. id fortasse antiquissimum nominis exemplum est.

Venantius in titulo Pannoniae inferioris deo Libero patri dedicato III 3294 et in fragmento lapidis Aquileiensis V 1443.

Romae Claudia Romana *Benantio Florentino* marito titulum posuit VI 15577.

Venantium habes praeterea in titulo christiano Vienensi XII 2148 = Le Bl. 440. *Venantiam* in elog. christ. prope Eboram in Lusitan. reperto anni 593. Huebn. IHisp. Chr. 12.

S. Venantius episcop. et martyr memoratur in martyrol. Romano ad diem 1 Aprilis.

posteriorum temporum *Venantios* novimus ex libris hos: *Venantium* stratorem Symmach. ep. 38 an. 384/85, *Venantium Severum* com. domest. in fragm. tit. urban. exeuntis saec. IV VI 1796, 30,
Glabrionem Venantium Faustum expraef. urb. ibid. VI 1796, 31,
Venantium com. r. p. ex lege anni 422 Cod. Theod. 11, 28, 13,
Venantium consulem a. 484 Cassiodor. chron. cf. XII 2062, IX 1375, V 5241, 6247.
Decium Marium Venantium Basilium cos. a. 508 (cf. VI 1716a, b, c).
Venantium Honorium Clementianum Fortunatum, poetam christianum oriundum ex Cisalpina.

Cassiodorius praeter *Venantium* correctorem Lucaniae et Bruttiorum (var. III 8 an. 507/511) nonnullos alios memorat *Venantios* aequales sibi.

Venanti episcopi Penestrini (Praenestini) mentio est in compluribus titulis apud De Rossium IChr. II 414, 415, 416 (saeculi octavi).

Vigilantius

cf. nomen *Vigilus*. videtur originis Africanae esse

signum est *Vigilantius* in titulo Sitifensi VIII 8549 *C. Clodius Crescens qui et Viglantius* (sic).

S. Vigilantium in elencho sub die 1 Nov. vocari a Bollandistis referunt Stadler et Heim in onomast. Sanctorum.

ad *Vigilantium* quendam haereticum exstat epistula Hieronymi (ep. 61).

Vigilantii presbyteri mentio est in Gennad. ill. 35, 14.

nomen saepius obvenit in Libr. confrat. S. Galli Augiens. Fabariens.

Vegelantius in titulo christiano Aquileiensi lapicidam videri exarare voluisse dedisse autem *Vegetantius* adnotat Mommsen ad V 1717; sed licet etiam arbitrari *Vegetantius* fuisse nomen a *vegetandi* verbo tractum. cf. nomen *Vegetus*, quod in Gallia Cisalpina fictum esse videtur.

Volantius

nomen Africanum. signum additum est *G. Cornelio Peregrino trib. cohort. ex provinc. Mauretania Caesa(riensi) domo*...... in titulo Uxellodunensi saeculi quarti VII 370.

in signaculo Hispaniensi legitur *Volan*...*m* II 4975, 71 potest *Volanti* vel *Volandi* fuisse.

II.

Iam transeamus ad nomina oriunda ab iis participiis, quae in libris grammaticis futuri passivi vel necessitatis vel etiam praesentis passivi appellari solent. huic participiorum generi non ea fuit in fingendis nominibus fecunditas, quam modo in participio praesentis activi conspeximus. nam neque amplius triginta omnino inveni nomina formata suffixo *-ndo*, eorumque maxima pars minus usitatis, nonnulla vel rarissimis nominibus Romanis adscribenda sunt. horum trium *Amandi, Servandi, Augendi* frequentior et divulgatior fuit usus, unum *Secundus* tritissimis cognominibus adnumerari potest.

aetatem qua haec nomina ficta sint respicienti mihi haud inutile visum est duas constituere classes: alterius ea sunt, quae vetustioribus temporibus orta innotuerunt, alterius, quae imperatorii aevi mos ususque recepit.

ad illam pertinent praeter vetus cognomen virile *Merenda*, quod in gentibus Cornelia et Antonia reperitur, nonnulla numinum divinorum nomina, de quibus infra plus dicetur. ea etsi titulis recentioribus vel a scriptoribus sequioris aetatis nobis tradita sunt, tamen remotiorem aetatem quin prae se ferant nemo adhuc dubitavit.

quae alteri classi adtribui, fere omnia sunt cognomina hominibus plerumque tenuioris condicionis vel servis indita. eorum *Secundus* iam Augusti aetate in usu fuit[1]); *Servandi* nominis primum quantum video exemplum nos ad Gai imperatoris tempus ducit, *Amandi* ad Claudi Neronisve. reliqua inde a medio fere saeculo primo comparent. plurima iam vergente saeculo tertio ex hominum usu sublata sunt. ad christianam aetatem duraverunt tria: *Amandus* et *Augendus* usque ad saeculum quintum, tertium *Servandus* vel

---

1) fortasse etiam *Tuendus* cf. V 5828.

ultimis antiquitatis temporibus in Africa et Hispania usurpabatur. a christianis hominibus inventa videntur esse nomina *Ferrandus* et *Perseverandus*.

nonnullorum nominum testimonia ita sunt comparata ut ex iis, quibus regionibus ficta sint nomina, investigari omnino nequeat. aliorum autem patriam aliqua cum probabilitate ex titulis quamvis paucis me statuisse existimo. sic mihi in Galliis, imprimis in Cisalpinae regionibus ficta indeque vulgata esse videntur *Alendus, Amandus, Celandus, Habendus, Servandus, Tuendus*. iisdem regionibus adiudicaverim etiam *Fruendum Probandum*. mediae Italiae proprium fuit ni fallor *Adaugendus*, urbis *Colendus*. In Africa fortasse, si quid exemplorum valet multitudo, natum est *Augendus*.

superest ut de grammatica nominum interpretatione nonnihil proferam. atque significationem activam, ut dudum observatum est, habent dearum nomina *Adolenda, Afferenda, Coinquenda, Commolenda, Deferunda, Fata Scribunda*. id ex natura numinum divinorum, quae a priscis Italis colebantur, facile efficitur.[1]) dii deaeque enim, imprimis ea numina, quae in indigitamenta relata erant — huius autem generis procul dubio deae sunt de quibus hic disceptamus — in iis actionibus, quae nominum radicibus significantur, perficiendis, si invocata erant, non solum praesto adesse hominibus, sed ipsa illas actiones exsequi ab Italis credebantur. nomina igitur, quibus notata sunt illa numina, nomina agentis[2]) sunt, quibus, etiamsi induerunt formas, quae ex grammaticorum normis et regulis passivae iudicantur, activum inesse sensum consentaneum est.

quae cum ita sint, reicienda est quam Weisweiler temptavit nominum illorum explanationem.[3]) is enim praeiudicatam quam de participii huius natura protulit opinionem ad explicanda nomina transferens et plane germanam illarum dearum vim et naturam neglegens *Fata Scribunda* voluit esse idem ac *fata scripta, Adolendam, Commolendam, Deferundam, Coinquendam* nihil aliud quam adolendarum, commolendarum etc. arborum numina. *Afferendam* denique, de quo nomine passive posito sensum satis bonum extricare non potuit, praepropere in *Afferam* mutavit. immo nobis stat sententia nomina illa esse activa nec mutandum esse nomen *Afferendam*. haec dea est, quae dotes et dona nuptialia ipsa affert (Tertull. ad nat. 2, 11). *Fata Scribunda*[4]) ea est, quae pueris partu editis

---

1) cf. Usener Goetternamen, Bonn 1895 pag. 73 sqq.

2) Usener l. c. pag. 4.

3) in Fleckeiseni annal. an. 1889 pag. 37 sqq., quae repetivit in libello cui inscripsit: Das lateinische Participium futuri passivi etc. Paderb. 1890.

4) traditam loci Tertulliani lectionem si sequimur, *Fata Scribunda* pluralis est numerus ad singularem *Fatum Scribundum*. sed quoniam omnia illa numina vulgaria certi sexus fuerunt, scribendum est aut *Fata Scribunda advocatur*, aut *Fatae Scribundae advocantur*. haec scriptio

imminentia conscribit fata et die lustrico invocari solebat (Tertull. de an. 39). *Adolenda* (CIL. VI 2099 pag. 560 anni 181 et 2107 pag. 574 anni 224 cf. Henzeni acta fr. Arv.), *Commolenda* (CIL. VI 2099), *Deferunda* (ibid.), *Coinquenda* (CIL. VI 2107) sunt numina, quae arbores fulmine ictas vel aliam ob causam delendas adolent, deferunt, commolunt, coinquiunt.

etiam nonnulla eorum quae imperatorio aevo in usum venerunt nomina nata ex participiis quae dicuntur futuri passivi speciem activorum obtinent. Sunt autem *Agenda, Conferundus, Orienda, Perseverandus, Secundus, Sustinendus.* Ex his *Secundus*, quod vocabulum in sermone latino et adiectivi et numeralis partes suscepit, nihil habet miri, neque *Orienda* sensu activo usurpatum inauditum est, quamquam in libris, ubicunque occurrit, per *u* litteram *oriundus* scriptum legitur.[1]) reliqua quattuor nomina activa significatione in chartis plane inusitata sunt. sed eorum natura activa, quo melius perspiciatur, arcessam nomina origine et significatione cognata, non latina solum sed etiam graeca, quae in titulis latinis obveniunt.

Atque cum *Agenda* composuerim nomina gemella *Agens* et *Agentius* graecumque *Speudusa*; comparentur etiam *Agilis, Actus, Actulus, Efficax.*

Conferundus nomen rarissimum, si recte interpretor, ad similitudinem graecorum nominum *Sympheron, Sympherusa*, quae saepius in titulis latinis occurrunt, fictum esse mihi videtur; addam *Profuturus* et graeca *Chrestus, Chresimus.*

Nullum deinde discrimen interesse puto inter significationem nominum *Orienda* et *Oriens*, *Exoriens*, graecique *Anatellon.* conferas etiam *Ortus, Exortus*, *Anatole.*

Perseverandi nominis homonymon est *Perseverantius*; similis significationis sunt *Constans, Tenax, Pertinax* alia.

Secundus interdum praenominis vice functum est eaque usurpatione vim numeralem retinuisse videtur. filiis enim secundo loco natis inditum esse verisimile est. cf. praenomina *Primus, Tertius, Quartus, Quintus, Sextus.*

sed hic *Secundi* nominis usus Galliae Cisalpinae, cuius sunt ea, quae adhuc invenimus, exempla, peculiaris fuisse videtur. in iis vero exemplis, in quibus cognomen est, *Secundus* probe in similem sensum accipitur atque cognomina illa tritissima *Felix, Faustus, Fortunatus, Eutyches, Tychicus.*

ad *Sustinendum* nomen explicandum, etsi pro passivo id haberi posse non negaverim, malo tamen advocari nomina *Constans, Per-*

---

magis mihi placet quam illa, quippe cum, ut unicuique homini certus *Fatus* vel *Fata* tributus sit a veteribus, ita et dea conscribens fata.

1) *oriendus* scriptum est in titulo urbano militari saeculi alterius vel tertii VI 3293.

severandus, Tenax, Pertinax, Substantius, Patiens, Perpessus et graeca *Paschon, Paschusa, Pathusa.*

in his nominibus id praeterea memoratu dignum duxi, quod, nominum *Agendae, Conferundi, Oriendae, Perseverandi, Sustinendi* nullum extra Italiam inventum est exemplum. *Agenda* occurrit Alba Fucente in oppido Marsorum (IX 3937), *Conferundus* Caeliae in oppido Calabrico (IX 277), *Sustinendus* Canusii in Apulia (IX 403) et in signaculo Neapoli reperto (X 8059, 386), *Orienda* in titulo urbano (VI 28580), *Perseverandus* denique Dertonae in Transpadana (V 7412). exempla nominum *Conferundus, Orienda, Sustinendus* melioris vel optimae sunt aetatis; titulus, in quo *Agenda* exstat, potest adtribui alteri saeculo. *Perseverandus* inventum est in titulo christiano anni 520.

vim activam habet praeterea, si est latinae originis *Volandum*[1]), cognomen castelli cuiusdam in Armenia siti, cuius mentio fit a Tacito (ann. 13, 39). componi potest cum hoc nomine signum virile *Volantius* (VII 370) et similis significationis nomen *Alata*, quod proprium fuit mansionis cuiusdam Delmatiae (Itin. Anton. pag. 339 Wess.). cf. etiam *Secandum* oppidi Aethiopici nomen (Plin. nat. hist. 6, 193), quod fortasse barbarum est.

his activae significationis nominibus haud scio an adnumerari liceat nomen *Larunda* (Ovid. fast. 2, 599 sqq. Lactant. inst. 1, 20, 35.), quae mater Larum fuisse fertur. a G. Curtio (etymolog. gr. 361) nomen *Lar* ad radicem *las*, quae in verbo λιλαίομαι et in adiectivo *lascivus* conspicitur, revocatum est, eaque explicatione innixus Usener in scholis *Lares* cum exercitu furente, qui apparet in priscis Germanorum fabulis, composuit. Hoc si recte coniecit, *Larunda* aeque ac supra a me adlata dearum nomina activum habet sensum et fortasse *dea furens* explicari potest.

sub nomine *Merenda* nihil aliud latet nisi substantivum notum *merenda*, de quo conferas velim quae adnotavit Weisweiler libelli citati pag. 57.

cetera quae mihi nota sunt nomina ficta ex participiis quae dicuntur futuri passivi, aperte sensum exhibent passivum. Sed cave iis necessitatis vim, quam illae verborum formae in sermonis consuetudine sibi adsciverunt, adtribuas. nam nominum rationi magis convenit et facillime a quovis perspicitur, nomina, siquidem proprietates, statum, habitum, affectiones eorum quibus indita sunt designant, non tam ea exprimere, quae cuique personae inesse necesse sit, quam quae reapse insunt. eadem de causa futuri quoque temporis significatio a nominibus abesse solet. (paucissima sunt

---

1) *Volandus* videtur nomen personale fuisse, quamquam nullum antiquioris temporis exemplum inveni. *Sanctum Volandum*, qui saec. XIII vixisse fertur, recensent Stadler et Heim in onomastico Sanctorum.

nomina latina ficta a participiis futuri activi, de quibus postea verba faciam.) quo fit, ut vis participii quod dicitur futuri passivi in nominibus propriis ad naturam participii praesentis passivi accedat, quod iam olim lingua latina amiserat, cuiusque iactura in fingendis nominibus et participio futuri passivi et, ut supra vidimus, participio praesentis activi aliquo modo reparata est.

hac interpretatione usi solidum ac perspicuum sensum nominibus oriundis a participiis quae vocantur futuri passivi subiciemus: velut *Optandus* is est, qui a parentibus optatur vel optatus est, *Sperandus*, qui speratur vel speratus est.

adiumento sunt huic interpretationi nomina ficta ab iisdem verbis vel a synonymis seu latinis seu graecis. ea infra nominibus figuratis ex participiis futuri passivi deinceps adscribam:

Adaugendus: Adauctus, Adampliatus.

Alendus: Alentius, Pascentius, Lactantius, Pastus, Threptus.

Amandus: Amans, Amantius, Philumenus, Eromenus, Agapomenus, Amatus, Dilectus, Pephilemene, Philetus, Erastus, Agapetus.

Augendus: Augentius, Auxentius, Auctus, Auxetus.

Celandus: Latens, Lanthanusa, Celatus, Secretus.

Colendus: cf. *Venerandus.*

Fruendus: Fruens, Fruentius, Fructus, Frunitus, Apolaustus.

Habendus: Habens, Habentius, Habitus, Hecte, Possessa.

Laudandus: Laudata, Epaenetus.

Optandus: Optantius, Pothumene, Optatus, Exoptatus, Cupitus, Oratus etc.

Probanda: Probantius, Probatus.

Servandus: Servantius, Sozomenus, Servatus.

Sperandus: Sperantius, Elpizomenus, Speratus, Elpistus, Euelpistus.

Tuendus: Tuentius, Tutus, Protectus.

Venerandus: Veneratus, Honoratus, Sebastus.

nominibus *Amandus, Colendus, Laudandus, Venerandus* licet fortasse eam quoque significationem subicere, quae inest adiectivis in *-bilis* desinentibus, praesertim cum apud scriptores participia *amandus, laudandus, venerandus* non raro idem fere valeant atque *amabilis, laudabilis, venerabilis* nec adiectiva verbalia graeca φιλητός, ἐραστός, σεβαστός ab eadem significatione abhorreant. in titulo Burdigalensi (Iullian. n. 82) duobus fratribus cognomina sunt *Amandus* et *Amabilis* et in Mediolanensi (V 5900) tres cognominum simillimorum libertae occurrunt *Amanda, Amabilis, Blanda.* memoratu dignum est praeterea, quod nomen *Amabilis* in iisdem regionibus fictum est, quibus *Amandus*, scilicet in Gallicis.

haec fere habui, quae de grammatica horum nominum explicatione dicerem. sed antequam ad singula nomina percensenda accedamus, quaerere iuvat, quid ex hac tota interpretatione lucrati

simus ad explanandam et aperiendam vim et naturam participiorum, quae vulgo futuri passivi vocantur. atque ut paucis comprehendam, confirmari comprobarique mihi videtur nominibus illis recte explicatis id, in quo omnes fere hodie viri docti consentiunt [1]), suffixum *-ndo*, quo participia futuri passivi figurata sunt, eo quo fictum est tempore, neutri verborum generi addictum fuisse, usum autem profectum esse ab activo utpote antiquiore genere; mature vero passivam suffixi usurpationem invaluisse et ita praeponderasse procedente tempore, ut prior activus usus in vulgari tantum sermone quasi glisceret, in litterarum autem monumentis, quae aetatem tulerunt, perpauca exstent exempla, quae active explicari possint; [2]) porro neque futuri temporis neque necessitatis vim, quam in communis sermonis consuetudine conspicimus, primitus infuisse participio illi, sed eam esse nativam suffixi *-ndo* virtutem, ut durantis qualitatis vim, quae radice verbi continetur, sine ulla temporis nota declaret. [3])

Adaugendus Adaugenda

nomen servile et inferiorum hominum, quod saeculo primo et altero in usu fuisse videtur in mediae Italiae regionibus. *Adaugendus* semel, *Adaugenda* ter in titulis mihi occurrit. hoc repperi Romae VI 10567, Puteolis X 3116, Capuae X 4096, illud Allifis (reg. IV) IX 2386.

Agenda

Gargilia Agenda Alba Fucente IX 3937 in tit. saec. fere alterius.

---

1) praeter Weisweilerum, qui in libello de part. fut. pass., cuius supra iam mentionem feci, passivam vim necessitatisque significationem principalem et nativam suffixi *-ndo* fuisse contendit.

2) omissis tritioribus *secundus* et *oriundus* afferri solent a grammaticis:

volvendus Varr. L. L. 7, 104 ex Ennio, Lucret. 6, 178, Verg. Aen. 9, 17.
pereundus Plaut. Epid. 74.
placendus Plaut. Trin. 1159.
labundus Acc. tr. 570.
senescendus Varr. L. L. 6, 2, 11.
adolescendus Gell. 3, 10, 10 ex Varrone.
nascendus Gell. 3, 10, 7 ex Varrone; Impp. Leo et Anthem. cod. 5, 27, 4.
renascendus Augustin de civ. Dei 22, 28 ex Varrone.
florescendus fast. Praenest. CIL. I pag. 317 (cf. Augustin. de civ. Dei 4, 8.). intra ann. 752 et 763 u. c. script.
fungendus Callistr. Dig. 50, 1, 37 § 2.
tabescendus Lactant. mort. pers. 33, 9.
adcrescendus Digest. 7, 2 in titulo.

3) sic fere definivit vim suffixi A. Stitz in commentatione de gerundio publicata in progr. gymnas. Kremsiani an. 1889 pag. 29.

Alendus Alenda

nomen servile et tenuiorum hominum, quod Galliae Cisalpinae proprium fuit. *C. Domitius Alendus* tituli votivi, qui inventus est in sacrario prope Travi in regione VIII sito XI 1298 (bonae aetatis). *Cornelia P. l. Alenda* Bergomi V 5151 (optimi ni fallor temporis).

Amandus Amanda

nomen servorum et humilioris condicionis hominum (conlegi *Amandi* 116 *Amandae* 63 exempla ex titulis). natum est in Gallia Cisalpina, in qua *Amandae* 15 exempla exstant, quae magna ex parte optimae sunt aetatis (cf. V 3582 = I 1432).

prima quae aliqua probabilitate certae aetati adscribi possunt exempla reperta sunt Romae: *Amanda Cassiae Epinices verna* tabellae monumenti detecti in vinea Corsinia (VI 11315) fortasse Augusto imperante vixit. Tiberi aetatis esse potest *Amanda Elenchi* in operculo urnae cinerariae (VI 8934). aequalis fere huius fuit *A. Tetteius Amandus* tabellae adfixae monumento inter Appiam et Latinam (VI 5696). cf. etiam VI 15350 et 6757.

Pompeiis Neronis aetate iam satis frequens nomen *Amandus* fuit, ut titulus pictus recentior (IV 634) et aliquot graphio inscripti docent. *Helvi Amandi* legitur in tribus vasculis aureis ibi repertis (X 8071,9). *L. Cornelius Amandus*, qui civis Romanus fuit, testis est in apocha Iucundi anni 56 (IVC. 18).

inde a Neronis aetate urbana quoque exempla crebriora fiunt (cf. VI 6156, 7569, 44, 200 anni 70, 8168 etc). in reliqua Italia praeter Latium et Campaniam nomen rarius occurrit. frequens contra fuit in Cisalpina et in provinciis, imprimis in septentrionalibus (cf. III 4720 *Amandus* servus tituli Norici litteris optimis scripti, VIII 10850 et 12679 exeuntis saeculi primi).

saeculo altero et ipso tertio Romae et in provinciis praecipue milites sunt, apud quos nomen *Amandus* reperitur. (cf. VI 2410, 3173, 3229, 715 anni 158, 1056 an. 205, 1057/58 annorum 205 et 210 bis; III 2066 Delmatiae; III 5814 et 5974 Raetiae; III 6234 Moes. infer.; III 7776 Daciae; VII 427; Bramb. 562, 584, 617; VIII 2817, 18065 an. 162, 18087.)

saeculo altero et tertio nonnulli ad maiores aut maximos honores provecti *Amandi* in titulis et libris obveniunt, velut:

Canusii *C. Galbius Amandus decurio* an. 223 IX 3384, 35.
Aquileiae *Septimius Amandus v. p. rationalis [Italiae]* an. 258.
tituli Norici *Septim. Amandus eq. Rom.* III 5562.
Lambaesi Numid. *Aurelius Amandus exdecurione* VIII 2817.
Sufibus prov. Byz. *P. Magnius Amandus inter qq. adlect.* III 262.
ad *Amandum* quendam exstat rescriptum imp. Gordiani datum anno 242. cod. Iust. 7, 53, 5.

Amandus imperator Bagaudarum una cum Aeliano anno 286 Eutrop 9, 20, 3.

in titulis christianis repertum est nomen Rusicade Numidiae VIII 8190 = 19866 *Fl. Amanda* saec. V fere, Mediolanii V 6194 *Amanda Claudia* et in titulo Gallico apud Le Bl. 576 *Amanda*. nomen saeculo quarto quintoque in Gallia frequens fuisse videtur. complures eorum temporum novimus episcopos Gallorum; unus est *Amandus* episcopus Burdigalensis, ad quem epp. dedit Paulinus Nolanus. ex eiusdem epistulis novimus *Amandam* Apri uxorem. ad *Amandum* presbyt. exstat ep. Hieronymi script. circa ca. an. 394 (ep. 55).

Augendus Augenda

nomen servile et tenuioris condicionis hominum. *Augendae* quinque repperi in titulis exempla, quorum duo sunt Africana (VIII 15283 ser. Thibursici prov. procons. et VIII 18792 ser. Numid.), unum urbanum (VI 20951), duo reliqua Placentiae (XI 1254) et Albae Fucentis (IX 4015).

Augendi nominis 28 exempla inveni. eorum sunt 11 Africana (Numidiae: VIII 4152 ser., 10663, 1975, 3323 libert., 4458, 18618, 18792 ser.; prov. procons.: VIII 16621; Byzacenae: VIII 378, 11564 ser.), urbana 9 (VI 1928 viatoris quaestori ab aerar. Saturni, 6704, 10649, 12865 ser., 13268, 20021 libert., 20977 lib., 22231, 23012); singula exempla exstant Luceriae (IX 784 saec. alterius vel tertii ineuntis *M. Aur. Augendus proc(urator) s(altuum?) A(pulorum?))*, in Pannonia (III 4345 saec. III vel IV ineuntis), in Hispania (II 2211 anni 348). nomen obvenit praeterea in duobus lucernis, quorum altera in Sardinia (X 8053, 29), altera in Hispania (II 4969,11) reperta est, et in vasculo Hispaniensi (II 4970, 69).

ex multitudine exemplorum colligi potest nomen natum esse in Africa. antiquissima exempla sunt Romae (VI 20977 *D. Laberius D. lib. Augendus* optimi temporis; primi saeculi sunt etiam VI 6704 *L. Valerius Augendus* in monumento prope port. Praenest. et fortasse VI 20951 *Flavia Augenda*).

unicus titulus christianus eius nominis est urbanus IChr. I 225 anni 371.

in Africa nomen tertio saeculo et usque ad quintum apud christianos in usu fuit.

Augendus confessor quidam memoratur in epistula, quam Cornelius papa ad Cyprianum misit (Cypr. ep. 50 ed. Hartel), *Augendus* diaconus Novatiani redit in compluribus Cypriani epistulis (velut in ep. 44).

Augendum episcopum Arensem Byzacenae, qui exeunte saec. quarto floruit, novimus ex Augustin. serm. II n. 20 in psalm. 36.

Augendus episcopus Villamagnensis ineuntis saeculi V gest. coll. Carthagine habit. an. 411 cognit. I 133.

Calendinus Calendina

nominum generi, de quo hic agimus, adscribendum putavi nomen *Calendinus, Calendina*, quamquam non ipsum a *calandi* verbo ductum est, sed a substantivo *Calendae*, quod ex illo verbo natum est. proprium fuit inferiorum hominum, imprimis peregrinorum et militum et altero demum saeculo invaluisse videtur. satis frequens fuit in Pannonia et Norico, quarum provinciarum omnia sunt quae repperi exempla formae femininae *Calendina*. ibi quin nomen fictum sit, extra dubitationem esse existimo. Pannoniae est etiam unicus qui exstat titulus christianus eius nominis (III 4217 *Aeliae Kalendine*). Quae causa fuit, quae nomini originem dederit, equidem nescio. fortasse nomen significavit primo eum, qui Kalendis natus vel emptus est et comparari potest cum nominibus Νουμήνιος, *Nonius, Ianuarius, Februarius, Aprilis, Quinctilius, December* aliis. an a numine quodam nobis ignoto originem traxit? nomen saepius per *K. Kalendinus*, quam *Calendinus* in titulis exaratum est. exempla nominis inveni haec:

Norici: III 4715 (scriptum est *Brutt*... *[K]alandin*..), 4764, 4778, 4997, 5106, 5407, 5417, 5429, 5486;
Pannoniae: III 4217, 4537 lib.;
Delmatiae: III 1781 anni 225;
Aquileiae V 1086.

Romae nomen occurrit in titulo militari anni 168 VI 3559. miles quoque *Calendinus* Iovi aram posuit in agro Albano XIV 2254.

Capuae est *P. Rapellius Kalendinus praef. coh. II Gal.* X 3889.

Alexandriae *Q. Caecilius Kalendinus optio* genio sancto legionis suae aram dedicavit III 6577.

S. Calendinum memorat Morcelli in mart. eccl. Afr. sub die 26. April.

forma *Calendius* rarissima fuit. ex duobus titulis Sarbantiae, oppidi Pannoniae superioris, novimus *M. Ulpium Kalendium* III 10938 et 10944.

ut forma *Calendinus* in Norico et Pannonia fuit frequens, ita tertia forma *Calendio* in Africa. Numidiae sunt VIII 4372 ser., 5438, 4408, 5806, 10483,1, 10944, 19088 ser.; provinciae proconsularis: VIII 17138; Byzacenae VIII 11385.

Romae in opere musivo *Kalendio* est nomen gladiatoris VI 10205.

nomen reperitur praeterea Ostiae XIV 56 in titulo Soli Invicto Mithrae posito, Deae Augustae in Narbonensi XII 1667, et in vasculo Britannico VII 1336, 548.

tituli christiani exhibent nomen *Calendio* Comensis V 5403 anni 556 et Mediolaniensis V 8926 saec. V vel VI.

Sancti Calendionis martyris mentio est in titulo in vicinia Thevestae reperto VIII 16743. idem occurrit in martyrologio Hiero-

nymiano sub die 31. Octobris et 15. Novembris nonnullos alios Sanctos eius nominis afferunt Stadler et Heim. in titulo pagano Auziensi (saeculi fere tertii) VIII 9114 exaratum est *Kalenzonis.*

Celandus

hoc nomen in uno titulo Salonitano bonae fortasse aetatis legitur, quem Cyriacus servavit, III 2529. Mommsen *Celadus* fortasse fuisse opinatur.

Conferundus

servile nomen rarissimum. *Lautiniae Ↄ. l. [Pa]ntherae [C]onferundus maritus coniugi b. m.* legitur in titulo Caeliae (reg. II) IX 277.

Colendus Colenda

nomen servile et libertinum, quod primo et altero saeculo praecipue in urbe usurpabatur.

Colenda verna VI 1600,

Pontia Colenda VI 24741 et 24742;

Vibia Colenda VI 28858,

Colendus filius Mindi Lucrionis VI 22509,

Colendus... tabellae monumenti vineae Aquariorum VI 7055;

Salernini tituli saeculi alterius vel tertii est *Victoria Colenda* X 550.

Ferrandus

cf. nomen *Ferratus* montis Mauretaniae Caes. Amm. Marcell. 29, 5, 11 et nomen personale sequioris aetatis *Ferreolus.*[1]) novimus huius nominis *Fulgentium Ferrandum* diaconum ecclesiae Carthaginiensis circa an. 540, qui breviationem canonum et vitam Fulgentii magistri scripsit. cf. Morcelli III pag. 271 et al.

Fruendus Fruenda

nomen humiliorum hominum; ut ex exemplis quae supersunt colligi licet, non ante exiens saeculum primum in usu fuisse videtur. fortasse fictum est in Gallia Cisalpina.

L. T. Fruendus sevir occurrit Aquileiae V 828,

M. Lucilius Albanus *Fruendi* alicuius libertus titulum posuit Segusione in Alp. Cott. V 7242. Arelate XII 687: *M. Superinius Fruendus emeritus leg. I M(inerviae).*

in Africa tres sunt *Caeciliae Fruendae*, duae titulorum Dianensium Numidiae VIII 4609 et 4610, una Cirtensis (Numid.) VIII 7258;

---

1) contulerim etiam nomen *Ferrocinctus* Cassiodor. var. 3, 20. *Ferrata* fuit cognomen leg. VI cf. VI 3571 et al.

ad Aquas Thibilitanas (Numid.) repertus est titulus *Fruendi Caesaris n. vern. adiut. tabul.* VIII 18813.

Romae est *T. Flavius Fruendus fr(umentarius) leg. VIII Aug.* VI 3351. in titulo urbano VI 10056 *Fruendus* est nomen equi.

Habendus

C. Cornelius Habendus Brixiae V 4581.

Laudandus

M. Iul. Laudandus a militiis vir equestris dignitatis Romae in titulo saeculi alterius vel potius tertii VI 3498.

Minandus

Sancti Minandi mentio est in martyrolog. Africano apud Morcellium II pag. 363 ad diem 12 Martii.

Optandus Optanda

nomen servile et hominum inferioris condicionis, quod fere inde a medio primo saeculo usurpabatur; plurima exempla sunt urbana.

C. Octavius Optandus relatus est in album trib. Suc. iunior. anni 70 VI 200,

Optandus C. Fabi Nigri VI 23543,

Optandus VI 19957 (litt. bonae aetat.),

Sex. Vesius Optandus VI 28617,

T. Fl. Optandus VI 19683,

Optandus VI 27212,

Furia Optanda VI 19957 (litt. bon. aet.);

praeterea nomen occurrit

Nolae X 1266 *Q. Caesius Optandus* in titulo exeuntis saeculi primi,

Tiburi XIV 3799 *M. Lucretius M. l. Optandus* (XIV 3885 fortasse idem recurrit),

ad Isola di Sora (reg. I) X 5701 *Optandu(s)*,

Forulis (reg. IV) IX 4411 *Iulius Optandus.*

ultimus quem scimus est fortasse *Cornelius Optandus* tituli oppidi Tugiae in Tarraconensi litteris saeculi III scripti II 5916.

Orienda

Vergilia Q. l. Orienda verna in tabella columbarii urbani VI 28580.

Perseverandus

hoc nomen semel obvenit in titulo Dertonensi anni 520 V 7412.

Probanda

Probanda concubina alicuius in titulo mutilo Veronensi V 3714; Romae *Valeria Probanda* infans primo aetatis anno mortua VI 28255.

Secundus Secundá

hoc nomen frequentissimis cognominibus Romanis probe adnumeratur. fictum est extremo liberae rei publicae tempore. crebrescit in titulis inde ab Augusti obitu, vulgatissimum iam est Claudiorum aetate et in Italia et in provinciis. omnia fere, quae fingi possunt nomina derivativa, ab nomine *Secundus* ducta sunt et in titulis imprimis alterius, tertii posteriorumque saeculorum inveniuntur, velut derivata in *-ius -inus -ianus -inius -inianus -io -ulus -illa -osus*. Simplex nomen *Secundus*, quamquam his amplioribus formis obscurabatur, tamen ne christianis quidem temporibus in usu esse desiit. id et tituli et libri scripti docent. titulorum christianorum, qui nomen *Secundus* exhibent, attulerim hic

Gallicos V 4847, XII 960,
Italicos X 4535, XIV 1921,
Sardiniensem X 7995, Britannicum IBrit. Chr. 150,
Africanos VIII 1392, 4354, *8643, 14902.

ex libris satis habeo memorasse duos episcopos Africanos, unum Numidensem, alterum Mauretaniae Caesariensis, qui exeunte saeculo quinto floruerunt (Notit. Maur. Caes. n. 88, Not. Numid. n. 77). *Secundum* episcopum Tagastensem saeculi septimi medii recenset Morcelli in Afr. christ. II pag. 298.

attinet fortasse nominis *Secundi*, de quo brevior fui, quam pro celebritate eius et frequentia decuit, antiquissima hic exempla plenius adiungere ex titulis latinis. extrema liberae rei publicae aetate vixerunt *Curtia L. f. Secunda* tituli Rovigone reperti V 2452, *Caedia C. f. Secunda* tituli urbani I 1097 = VI 28389 et *Naevia L. l. Secunda* in lamina aerea Cumis reperta I 820 = X 1604. reliqua quae novi cognominis *Secundi* vetustiora exempla sunt monumentorum in columbariis Romae repertorum. in his duae *Secundae* libertinae condicionis occurrunt, quae Augusto imperante mortuae sunt (VI 5988 et 6004 monum. prope port. Praenestin.). primis Tiberii annis diem obierunt *Secunda* una monumenti fam. liberor. Ner. Drus. (VI 4379) et duae monumenti Marcellae (VI 4432, 4491); Tiberio imperante *Secunda* liberta monumenti Arruntior. (VI 5944) et *Secundio Ti. Aug. ser.* monumenti inter App. et Latin. (VI 5746). sub Claudio vel antea in tabellas monumentorum relati sunt *Secundi* hi: VI 4283 lib., 4299 lib. (mon. libert. et ser. Liviae), VI 7324 (mon. Volusior.), VI 6360 (mon. Statilior.), VI 4971 ing. (mon. inter App. et Latin.); *Secundae* hae: VI 4022, 4044 lib., 4136 lib., 4281 lib. (mon. libert. et ser. Liviae), VI 6325, 6400, 6518, 6519 (mon. Statilior.), VI 4956 et al. (mon. inter App. et Latin.).

nomen *Secundus* in Gallia Cisalpina, ubi fortasse ortum est, praenominis, ut supra iam monui, vice usurpatum est. huius usus quae aetatem tulerunt exempla ex parte vetustatem sapiunt, plurima sunt optimae aetatis. liberae rei publicae ultimis temporibus vixit fortasse *Secunda Valeria* tituli Veronensis I 1433 = V 3794. ineuntis saeculi primi est titulus eiusdem oppidi, in quo *Secunda Baebia* memoratur V 3783. non multo post titulus *Secundae Octaviae* positus esse videtur Mantuae V 8877. reliquae *Secundae* sunt titulorum Tarvisiensis V 2120, Atrianensis V 2327, Veronensis V 3488, Bergomensis V 5177. *Secundi* duo occurrunt Mediolanii V 6056 et Pedone V 7850.

in cognomine *Secundus* non ut in plurimis nominibus oriundis a participio, quae per longiora temporis spatia floruerunt (velut *Fortunatus, Optatus, Donatus, Crescens* alia), id observatur, ut primo apud servos et inferioris condicionis homines solum usurpata sint, postea vero, id est inde ab altero p. Ch. n. saeculo, in primariorum hominum usu inveniantur. *Secundus* pariter atque *Celsus, Innocens, Valens* inde a primis temporibus in humiliorum hominum et in nobiliorum statim usu reperitur. testimonio est *Q. Poppaeus Q. f. Q. n. Secundus* cos. suf. a. u. c. 762.

gentile *Secundius* frequens fuit in Gallia Narbonensi, in Cisalpina, in Pannonia et Norico, satis rarum in Italia. forma gentilicii *Secundienus* Cisalpinae propria fuisse videtur.

Servandus Servanda

nomen servile et inferiorum hominum (*Servandi* 56, *Servandae* 31 exempla in titulis latinis inveni). in Italia perrarum fuit. occurrit Aquini X 5548 (saec. fere II vel III), Iuvani (reg. IV) in titulo hominis servilis condicionis IX 6314, in signaculo Sulcis Noraeve reperto X 8059, 366, Ostiae in tit. non satis certae lectionis XIV 1345; in tabula alimentaria Veleiensi anni 102 *Petronius Servandus adfinis* memoratur XI 1147, 7, 23. semel nomen repperi in Hispania II 6286 in fragmento litt. bonis scripto, in Moesia III 1680 saec. fere III, in Pannonia infer. III 10548, bis in Norico III 5601 et 4918. quattuor exemplorum Africanorum duo sunt saeculi tertii VIII *9091 et 2626, b15. frequens contra nomen fuit Romae, in Gallia Cisalpina, Narbonensi, Germaniis; et cum plurima urbanorum exemplorum aut servorum sint (cf. velut VI 26369, 631 gladiatoris, 26042, 26364, 26365, 26366, 27899) aut militum (cf. VI 3270 equ. singul. nat. Pannon., 2379a *Q. Minici Servandi [Bri]xia* mil. praetorian., 228 anni 205 equ. singul., 1056 anni 205 mil. coh. I vigil. Antonin. 1057/58 duorum milit. coh. V. vig. annor. 205 et 210), quos aliunde Romam venisse probabile est, apparet nomen in Gallicis regionibus natum esse.

fictum esse videtur Augusti fere aetate. primum certum

exemplum est tituli Bononiensis, qui Gai imperatoris aetate scriptus est (*T. Aviasius Servandus*) XI 720. Romam nomen eodem tempore pervenit, vel potius, ut titulus VI 21433 docere videtur, aliquot decem annis ante. unus *Servandus* relatus est in album trib. Suc. iunior. anni 70 VI 200.

longe plurima quae novi nominis *Servandi* exempla sunt alterius et ipsius tertii saeculi.

christiana fortasse fuit *L. Remmia Servanda* tituli urbani VI 25395. in martyrologiis *Servandus* martyr Hispaniensis memoratur die 23 al. 18. Octob. et 12. April. eiusdem ni fallor mentio est in tit. christ. Hisp. prope Alcalam reperto anni 622 IHisp. Chr. n. 88. nomen infima aetate viguisse in Hispania et Africa docent tituli Hispanienses duo, alter conventus Hispalensis anni 527 IHisp. Chr. n. 47 (*Servandus*), alter Medinae in Baetica repertus anni 649 IHisp. Chr. n. 86 (*Servanda*) et duo episcopi Africani eius nominis, quorum alter Casarum Favensium ineunte saec. V floruit gest. coll. Carth. cognit. I n. 204, alter Putiensis exeunte eodem saeculo Notit. Byzac. 18. *Servandus* denique quidam memoratur a Cassiodor. var. 5, 35 an. 523/26.

Serbandus scriptum est VI 3270.

Derivata *Servandius, Servandia, Servand(i)o* non nisi in titulis Rhenanis occurrunt. ad ea referendum est gentile *Serandius* tituli Norici (III 5145), quod pro *Servandius* exaratum est fortasse.

Sperándus Speranda

C. Licinius Sperandus pr(aetor) Capenae an. 193 XI 3873. *Flabia Speranda* Romae VI 18434 in titulo saeculi fere tertii.

Sustinendus

Q. Martius Sustinendus Canusii (reg. II) IX 403.[1] *Substenendi m. p.* legitur in signaculo Neapoli reperto X 8059, 386.

Tuendus Tuenda

nomen servile est humiliorum hominum, quod ineunte saeculo primo in Gallia Cisalpina in usum venit. antiquissimum exemplum est tituli Mediolaniensis V 5828 ineuntis saec. primi (*Antonia Tuenda contubernalis Sex. Octavi C. f. vet. leg. IIII Scyth.*). Altini in titulo optimae aetatis V 2162 occurrit *Tuendus libertus Cn. Numeri Cn. f. Vol. Frontonis vet. equ. leg. VIII Aug.*

Tuendus ser(vus) fec(it) legitur in tubo plumbeo Centumcellis eruto, qui est Traiani aetatis V 3548a. in urbano titulo exeuntis primi vel ineuntis alterius saeculi sunt *C. Aconius Tuendus* et mater eius *Aconia Tuenda* VI 10544 et 10544a.

---

1) nota quam bene conveniat *Sustinendus* cognomen cum gentilicio *Martius*.

Venerandus Veneranda

certum primi saeculi exemplum huius subrari nominis non habeo. bonae aetatis sunt *Scurracia M. f. Veniranda* (sic) tituli Puteolani X 2940, *Pontia Veneranda* urbani VI 27964, *Venerandus Aug. lib.* tituli Ostiensis. iis addi potest titulus urbanus VI 24984. nomen occurrit praeterea Faventiae XI 655, in vasculo Viennensi XII 5686, 919, in patella Londini reperta VII 1336, 1150.

saeculo alteri vel tertio probabiliter adtribuuntur tituli hi: Ostiensis XIV 1388 (*P. Clodius Verus Flavius Venerandus* pater, *C. Naevius P. f. Pal. Clodius Venerandus Alexander* filius), urbanus VI 9706 [*Aur. Venerandus numul(arius)*].

ultimus certi anni titulus, in quo nomen obvenit, est laterculus coh. I vigil. Antonin. anni 205 VI 1056, 4, 83 (*Tettius Venerandus*).

Sanctus Venerandus qui natione Gallus fuisse fertur, memoratur in martyrol. Roman. ad diem 14. Nov. nonnullos alios *SS. Venerandos* posterioris aetatis, qui in Gallia vixerunt, adferunt Stadler et Heim in onomast. Sanctorum.

III.

Paucissima formata sunt a Romanis nomina ex participiis futuri activi. antiquissimum quod scio, idemque frequentissimum est *Profuturus*, quod iam medio fere primo saeculo in usu fuit nec quinto ineunte plane obsoleverat; reliquorum et aetas brevior fuit et usurpatio intra angustiores fines se continuit. *Futuri* et *Futurae* singula in titulis latinis exempla exstant, *Gauditurum* in uno titulo Cumano saeculi tertii repperi. *Victurus*, quod in titulis non ante saeculum tertium apparet, et in christianorum hominum usum transiit, Gallicae regionis proprium fuit. *Loturus* fortasse externae originis nomen semel in Norico obvenit. *Cresciturus* a christianis in Africa fictum et usurpatum est.

merae futuri temporis significationi in his nominibus admixta esse videtur vis quaedam facultatis, studii, proclivitatis, ita ut exempli gratia nomen *Victurus*, si a *vivendi* verbo derivas, sensu non multum distet a nominibus *Vivax, Vegetus, Vitalis, Zoticus, Zosimus.*

possunt etiam nomina illa sine dubio habita pro ominibus ab iis, qui ea liberis suis imponebant, designare eos, quibus praedictum vel destinatum est, ut vivant, crescant, gaudeant.

nomina *Cresciturus, Gauditurus, Victurus* orta sunt a verbis, ex quorum participiis praesentis iam ficta erant nomina *Crescens, Gaudens, Viventius* vel *Vincentius.* Cum *Futuro* comparatur probe nomen analogon graecum *Mellon*, fortasse etiam latinum *Instans*; *Profuturum* contulerim cum graeco *Sympheron.*

Cresciturus

nomen hoc christianum, ut modo monui, Africae peculiare fuit.
Carthagine: *Crescit[urus* an *-ura]* VIII 13581,
Cresciturus VIII 13995,
Mactari prov. Byzac.: *Cersciturus* (sic) VIII 11896.
novimus praeterea duos episcopos eius nominis Africanos, qui exeunte saeculo quinto floruerunt (Notit. Maur. Sitif. 17, prov. proconsul. 51); duosque *Cresciluros* episcopos Bosetenses saeculi sexti et septimi Morcelli recenset Afr. christ. I pag. 106.
de *Cresciluro* exstat malae prosodiae epigramma in antholog. latina (Riese n. 207).

Futurus Futura

Rubellius [F]uturus libertus Allifis (reg. IV) IX 2369. *Futura liberta* in titulo urbano bonae aetatis VI 16746.

Gauditurus

C. Julius Gauditurus Cumis in albo dendrophoror. anni 251 X 3699, 1, 22.

Loturus

III 5487 in titulo Norico peregrinorum hominum.

Profuturus Profutura

nomen servile et inferiorum hominum (formae masculinae 26 exempla in titulis inveni, femininae 20).

nomen plane deest titulis regionum Italiae II, III, V, VI, regionis IV unum exstat exemplum Albense IX 3932, regionis I duo Puteolana X 1729 et 2896 unumque Soranum X 5745. usitatius nomen fuit in Italia superiore, imprimis in Gallia Cisalpina, ubi sine dubio fictum est. occurrit Clusii X 2286, Volaterris XI 1759, Lunae XI 1355, Arimini XI 500, Bononiae XI 752 (*Cloelia Profutura* mulier christiana); Cisalpinae sunt exempla Comensia X *5286, *5354, 5368, 5388, Mediolanense V 5970, Benacense V 4871, Veronense V 3683, Aquileiense V 1142.

frequens fuit nomen etiam in urbe, ubi 14 exempla exstant, et apud plebem Ostiensem XIV 1155, 1206, 1292 bis. obvenit praeterea in Gallia Narbonensi, Delmatia, Norico, Raetia; Africae duo sunt exempla, quorum alterum est saeculi tertii VIII 15004.

antiquissimum nominis testimonium est in tabella monumenti Marcellae VI 4753.

nomen imprimis altero saeculo floruisse videtur et tertio (cf. VI 12178, 25085, 2328b mil. praetorian. an. 178, 3884 mil. coh. XII urb. annor. 197/98, 1060 intra annos 198 et 210; V 5388; III 5944 aetatis Alex. Severi, III 9020).

unicus titulus eius nominis christianus est Bononiensis supra adlatus saeculi fere quarti.

Profuturus quidam praefectus annonae fuit anno 319, ut patet ex rescripto ad eum dato cod. Theodos. 11, 29, 2.

Profuturus dux Romanorum sub Valente imp. memoratur ab Amm. Marcellin. 31, 7, 1 et al.

Profuturus episcopus Cirtensis memoratur ab Augustino contra Petilian. 29. *Profuturus* episcopus Macedoniae in ep. Innocenti papae, ep. XVII Coll. decret. Migne pag. 526.

Victurus

nomen hoc posteriore demum aetate fictum esse videtur in Gallicis regionibus.

Luc..nius Victurus titulum posuit Rhenanum Bramb. 1899.

benemerenti Victu | turo (sic) Aquileiae V 1716.

Fla. Victurus d(e) n(umero) sagit[t]ariorum Ner(viorum) item homo christianus Concordiae V 8762, *Victurus advocatus* in titulo Salonitano anni 431 III 9516.

Sanctus Victurus bis occurrit in martyrolog. Africano sub die 1. Mart. et 29. Dec. (Morcelli II pag. 359 et 376).

cognomina *Victuricus Victurinus Victurianus* nihil commune habent cum nomine *Victurus*, ducta sunt a frequentissimo nomine Africano *Victor*.

IV.

A. de deminutivis nominibus.

Nomina deminutiva, ut hodie quoque fit, mulieribus potissimum indebantur. virilia nomina deminutiva suffixo *-ulo* formata usitatissima erant in Africa nec rara in titulis Gallicis[1]) imprimis posterioris aetatis. in fingendis muliebribus nominibus deminutivis praevalebat suffixum *-illo*. huius rarus fuit usus in Africa; plura exempla praebent tituli Italici, longe maxima pars est septentrionalium provinciarum Pannoniae, Delmatiae, Galliarum, Hispaniae.

fingi solebant nomina illa ex patris (cf. velut VI 16578, 21921, X 1401, 7693, 5182) vel matris (ut VI 17886, 26677, XII 3581) cognomine.

Florentiolus

Florentiole pax tecum in tabula marmorea Vasione reperta XII 1502 = Le Bl. 492.

1) permulta nomina in *-olus*, *-ola* exstant velut in titulis Trevirensibus.

Gaudentiolus Gaudentiola

Gaudentiolus Augustae Trevirorum Le Bl. 256 = Kraus 172.
Gaude[ntiola] mater ibidem Kraus 149.
Gaudenti?]ola ibid. Kraus 189.

Vincentiolus

Bincentiolus et Bonifatia fideles in pace Carthagine VIII 14235.

Viventiolus

Viventio[l]o casto alumno Albae Helvorum in titulo pagano litteris malis scripto XII 5882.

S. Viventioli episcopi Viennensis, qui saeculo sexto ineunte floruit, elogium legis apud Le Bl. 22.

Constantiola

Constantiola est tituli christiani inter Valentiam et Viennam reperti anni 467 XII 1791.

Sperantiolus

in titulo sacro inter Augustum et lacum Leman. reperto litteris malis scripto XII 2440 fortasse cum Mommseno legendum est *Sp[e]r[a]n[t]iolus.*

Secundulus Secundula

frequentissimum fuit omnium quae supra contuli nominum deminutivorum.

plurima exempla sunt Africae, ubi nomen christiana quoque aetate usurpabatur cf. VIII 12260. *Secundo[la]* est etiam tituli christiani Comensis V 5425.

Sancti Secunduli mentio est in martyrol. Afric. ad diem 7 Martii Morcelli II pag. 363.

Secundimula occurrit in duobus titulis prope Gratianopolim in Narbonensi repertis XII 2333 et 2335.

Crescentilla

22 repperi exempla huius nominis, decem Delmatica, III 1916, 1735, 2229 aetatis inferioris, 2498, 2581, 3194, 8411, 8931 aetatis sequioris, 9020, 9021. bis inveni in Gallia Cisalpina V 2187, 5163, semel in Moesia inferiore III 7458 et in Africa VIII 3926 (*Musia Crescentila* Lambaesi). duo tituli Calaritani exstant X 7691 (bonae fortasse aetatis), X 7693 (*Crescentilla* filia *Crescentilionis* alicuius).

nomen in Italia repertum est Ostiae XIV 937 et Capuae X 4300 (*Varacia L. l. Crescentilla*).

inter tria urbana exempla VI 16578, 22800, 1398 id quod tertium posui est feminae senatorii ordinis (*L. Baebia Sallustia Crescentilla c. f.* saeculi II vel III).

Florentilla

Lepidia C. f. Florentilla Romae VI 21196 (bonae aetatis).

Frequentilla

Clodia Frequentilla Acruvii (Delmatiae) III 1713 (saeculi II vel III).

Fulgentillia

Romae an. 385 *Fulgentillia* IChr. I 354.

Orientilla

Sulmone (reg. IV) *Orentilla* (sic) *Baebiae* (scil. serva) IX 3106 (optimae fortasse aetatis).

Potentilla

Vibia Potentill(a) Veronae V 3836 (optimae aetatis).

Praesentilla

Salonis *Presentilla* III 2485,
Romae *Praesentilla* VI 24909.

Pudentillus Pudentilla

nominis *Pudentillae* 14 exempla in titulis inveni, quattuor Delmatica (III 2746, 2399 Salonis, 2425 ibid., 9176 ibid.), septem Africana (VIII 7694, 14, 4721, 5247, 5464, 8784 *(Pudentila)*, 11594, 11618), quibus addenda est *Aemilia Pudentilla* uxor Apulei Madaurensis. Romae bis nomen occurrit VI 20648 a, 20978, semel in Dacia III 915. pauca horum exemplorum aliqua probabilitate primo saeculo adtribuas, fere omnia sunt hominum humilioris condicionis. *Pudentillus* semel exstat in titulo ad turrim Libisonis in Sardinia reperto X 7953: *Q. Allius Q. f. Col. Pudentillus.* ultima est *Namia Pudentilla* soror Sabinae Ausonii uxoris Auson. parental. 20 et 21.

Valentilla

bis repperi in titulis Delmaticis III 9950, 2897 (*Iulia Valentila [sic] liberta*). *Valenti(l)la*... in titulo Tarraconensi dubiae lectionis II 2829. Romae in tit. posterioris aevi VI 12450 *Arruntia Valentilla.*

Violentilla

Maria Aurel. Violentilla Perpetui cons. viri fil. Asculi Piceni (reg. V) IX 6414b saeculi tertii. de *Violentilla* Arrunti Stellae uxore iam supra verba feci pag. 645.

Constantilla

hoc nomen novi tantum ex tribus titulis Salonitanis, qui fortasse eiusdem personae sunt III 2275, 2469, 8967 *Cassia Constantilla.*

Secundillus Secundilla

Secundilla usitatissimum fuit horum nominum deminutivorum. plurima exempla sunt provinciae Narbonensis (30 fere). forma *Secundillus* reperta est XII 2685 et VII 1336, 1003.

B. de nominibus in *-io* formatis.

uberrimum in formandis nominibus suffixum *-io* rarius nominibus ex participiis fictis accessit. id mihi praeter alias causas ea potissimum factum esse videtur, quod nomina ὑποκοριστικά — talia enim sunt nomina in *-io* formata — brevia sint oportet. maxima pars horum nominum tres tantum syllabas habet (cf. *Aprio, Fuscio, Faustio, Malchio, Lucrio, Pollio, Primio, Quartio, Unio, Ursio, Rufio* alia). nomina autem in *-io,* cum a participiis veniunt, quattuor aut quinque syllabarum sunt.

fingi solebant ex patris vel matris cognomine, ut VI 26685 filio nomen *Speratio* inditum est ex matris cognomine *Sperata,* cf. etiam VI 27648. inveniuntur plerumque in titulis infimae plebis, servorum. nomen *Infantio* Pompeianum fuisse videtur; *Crescentio* et *Valentio* frequentiora nomina nata sunt in Gallia Cisalpina. nomina in *-io* obveniunt inde ab initiis imperatorii aevi, quarto saeculo in usu esse desierunt.

Crescentio

huius nominis 15 repperi exempla, quorum septem sunt Galliae Cisalpinae (imprimis regionis XI); nomen occurrit praeterea
Salonis III 8934 (*Criscentioni* [sic] *infanti*) saec. II vel III,
Viennae XII 1938,
Ostiae XIV 28619 in albo sacratorum,
Romae VI 377 in titulo ad Mithrae cultum spectante saec. fere III,
VI 3403 *Crescentio* libertus Aureli Dasumi militis leg. II Parthicae saec. fere III,
VI 9399 *Crescentio ferrarius de Subura*;

duoque obvenerunt Africana exempla, unum Lambaesitanum VIII 3105 *T. Flavius Crescentio iun.*, alterum Zaraitanum VIII 4521 *T. Fl. Crescentio.*

S. Crescentio in martyrol. Roman. sub die 17. Sept.

alter fortasse est *S. Crescentio* die 10. Aug. in mart. Hieronymiano.

Frequentio

P. Ateius Frequentio Brixiae V 4520 optimae aetatis.

Valentio

16 exempla conlegi ex titulis; octo, quorum nonnulla optimi temporis videntur esse, reperta sunt in Gallia Cisalpina (V 4435, 4859, 5384).

bis nomen redit Salonis III 2130 (serbus vilicus), III 2346,

semel Emonae in Pannonia superiore III 3861 = 10758, semel Augustae Vindelicorum III 5810 (*Sept. Valentio*) an. 290. idem *Sept. Valentio v. p. a. v. praef. praet.* est tituli urbani VI 1125.

tituli urbani est praeterea *Iulius Valentio* aliquis VI 20315.

L. Modius Valentio cur(ator) rei publ. etc. occurrit in titulo provinciae proconsularis intra annos 326 et 333 scripto VIII 14436.

unicus eius nominis titulus christianus inventus est Romae IChr. I 174 anni 364 (*Fl. Valentioni*). *S. Valentio* martyr in Moesia memoratur ad 25. al. 24. diem Mai in martyrol. Roman.

Infantio

occurrit in compluribus titulis Pompeianis pictis IV 120, 230, 485, 709, 785a, 789, 984, Eph. epigr. I pag. 50 n. 152, et graphio inscriptis IV 1226, 1314a.

Amandio

Bramb. 1876 *G. Vitalius Amandio* (saec. II vel III).

Calendio

huius nominis supra, ubi de *Calendinus* nomine verba feci, reperis exempla.

Secundio

antiquissimus est *Secundio Ti. Aug. ser.* VI 5746 Tiberio imperante mortuus. nomen in omnibus fere partibus imperii reperitur satis frequens fuit in Cisalpina, ubi 8 fere exempla inventa sunt.

Servandio

Servatus Servando in titulo Rhenano Bramb. 1390 est fortasse *Servat(i)us Servand(i)o.*

C. de nominibus suffixo *-iano* ampliatis.

suffixum *-iano* quomodo quandoque ex vetustiore *-ano* prodierit, dilucide exposuit H. Schnorr de Carolsfeld in archio lexicograph. et gramm. lat. 1 pag. 183 sqq.

Secundanus cognomen occurrit in titulis Dac. III 7628, Raet. III 5944, Narb. XII 2246 (cf. cognomina Africana posterioris temporis *Concessanus* VIII 2403,2,13, *Quetanius* VIII 16590, *Iustanius* VIII 19590, *Augustanus* VIII 13047, *Successanus* VIII 12016, *Successeanus* VIII 19643).

ex participiis nomina primo post Chr. n. saeculo rarius in *-ianus* formata sunt; paene omnia quae inveni exempla sunt agnomina servis libertinisve, qui emptu hereditate vel quovis alio modo in novam domum transierunt, ex prioris domini cognomine indita.

hunc agnominum servilium usum sub Hadriano abrogatum esse scimus (cf. quae Mommsen ad VIII 12619 adnotavit).

inde ab exeunte primo, imprimis autem altero et quae secuntur saeculis cognomina in *-ianus* formata apud ingenuos frequenter usurpabantur, idque ita, ut persaepe ex patris (cf. VI 2453, XIV 250, X 7859, Bramb. 1597) vel matris, vel etiam patroni (cf. III 8803) cognomine fingerentur. interdum fratrum paria cognomina suffixo *-iano* distinguebantur (ut VI 11904 *Q. Apidius Successus, Q. Apidius Successianus*).

cognomina suffixo *-iano* ampliata in iis regionibus tritissima fuerunt, in quibus simplex cognomen usitatum fuit. omnino, quae frequentia suffixi *-iano* in singulis provinciis fuerit, si quaeris, mihi nomina ex participiis ficta spectanti in Africa frequentissimum, rarius in septentrionalibus provinciis fuisse videtur.

Augentianus

C. Autronius Augentianus tituli prov. proconsularis VIII 16688.

Calventianus

Atilius Calventianus tit. Tarraconensis II 4335.

Gargilius Calventianus fl. p. in albo ord. col. Thamugad. in Numidia VIII 2403,2,14 (saec. quarti medii).

Crescentianus Crescentiana

huius 5 repperi exempla, illius 60, quorum 24 sunt Africana, 17 urbana, 6 Ostiensia.

agnomen servile est in titulo urbano exeuntis saeculi primi VI 8475: *Secundus Caesaris n. ser. Crescentianus disp. XX.*

iustum cognomen est in ceteris exemplis, quae fere omnia saeculi alterius et tertii sunt.

XIV 246, VII 1 an. 140, XIV 251,3,8 an. 192,

VI 3884 annor. 197/198, VI 1056 bis an. 205,
VI 1057/58 bis annor. 205/210, VIII 2620 an. 222/235,
Bramb. 1432 annor. 209/211.

subrarum fuit nomen in Italiae oppidis, frequentius in Gallia Cisalpina, rarissimum in Narbonensi (XII 3955), Hispania (II 3092) ceterisque septentrionalibus provinciis.

nomen in duobus titulis christianis occurrit, Aeclanensi anni 411 IX 1365 et agri Thevestini VIII 10686.

Sancti Crescentiani mentio est in martyrol. Africano sub die 14. Sept. et 13. Iuni.

praeterea novimus quattuor episcopos Africanos eius nominis, quorum unus Murrensis Maximianista exeunte quarto saec. floruit (subscripsit ep. synodic. Maximianistarum cf. Morcelli I pag. 235), duo Amaedarensis et Arenensis ineunte quinto (gest. coll. Carth. cognit. I 208 et 128), ultimus Germaniensis exeunte saec. V (Notit. Num. 97).

Decentiana

occurrit in titulo christiano Aquileiensi V 1609.

Emerentiana

de hoc nomine iam supra egi pag. 656.

Fidentianus

Sancti Fidentiani mentio est in martyrol. Africano sub die 15. Nov. Morcelli II pag. 374.

Fidentianus episcopus Africanus incertae sedis memoratur ab Augustino in ep. 175 et 181.

Florentianus

Q. Paconius Tenax Florentian(u)s Siccae in prov. proconsul. VIII 16153.

nomen christiana aetate in Africa et in Galliis viguisse videtur. novimus duos episcopos Africanos, alterum Midilensem exeuntis saec. V (Notit. Num. 41), alterum Vicopacatensem, qui an. 525 interfuit concilio Carthag. a Bonifatio convocato Morcelli I pag. 353.

Florentian(us) Mediolanii an. 510 V 6229.

ad *Florentianum* scripsit carmen (10, 12 d) Venantius Fortunatus (saec. VI).

Frequentianus

Ver(rius?) Frequentian(us) Cemeneli Alp. marit. V 7950 cf. V pag. 931.

Gaudentianus

Lucernio et Gaudentianus in titulo Pannoniae superioris III 3987 (aevi ni fallor inferioris).

Innocentianus

Iulius In(n)ocentianus VIII 16605 Thevestae (aetatis sequioris).

Licentianus

M. Caesius Licentianus tituli Delmatici III 1720 (saec. II vel III incipientis).

Licentiarus, quod fortasse pro *Licentianus* exaratum est, legitur in titulo parietario Gemellae in Numidia VIII 17979.

ad *Licentianum* quendam exstat rescriptum impp. Dioclet. et Maximian. cod. Iust. 7, 16, 25.

Maxentianus

Iul. Maxentianus in titulo Lusitaniae II 839.

Plentianus

nomen legitur Carnunti in tit. parietario III 11291.

Potentianus Potentiana

M. Ulpius Potentianus Iovi O. M. aram dicavit Aquileiae V 788.

Septimius Potentian[us] in titulo Pannoniae inferioris III 3636.

Virgunia.. Potentiana Signiae (reg. I) in titulo incertae lectionis X 5251.

Pudentianus Pudentiana

hoc semel repperi (in titulo Cirtensi VIII 7726); illius 20 exempla exstant, octo urbana.

vir senatorii ordinis fuit *T. Antonius T. f. Martialis Pudentianus quaestor prov. Africae* etc. VI 1346 (saec. II). in titulo urbano anni 256 *Octavius Pudentianus* quaestor memoratur VI 868.

nomen bis Ostiae XIV 268, 5 et 1593 occurrit, praeterea nusquam in Italia;

semel Cemeneli Alp. maritim. V 7926 et 7947,

semel in titulo Hispaniensi II 488.

reliqua exempla sunt Africana, inter quae VIII 2372 Caracallae fere tempore, VIII 15039 post Septimium Severum scriptum est.

Pudentianus episcopus Cuiculitanus interfuit concilio, quod Cyprianus an. 255 celebravit (sententiae episcopor. de haeret. baptiz. n. 71).

Sanctae Pudentianae virginis memoria fit ad diem 19. Mai in mart. Roman. eadem memoratur in titulo urbano IChr. I 347.

Valentianus

Romae VI 19279 *C. Antonius Valentianus* et VI 228 *Cl. Valentianus* eques singularis an. 205. in Italia nomen deest.

Mediolanii V 5823 *Aurelius Valentianus exarchus*, in Panno-

nia inferiore III 10344 *Aur. Valentianus*, in Moesia inferiore III 6150, 1, 4 anni 227 *Valentianus*. signum est in titulo Salonitano christianoIII 9587 *Val. Crescentius qui et Valentianus.*[1])

Valentianus episcopus Montensis floruit exeunte saec. V Notit. Num. 20.

Vincentianus

episcopus eius nominis Feradimaiensis (Byzac.) vixit ineunte saec. V gest. coll. Carth. cognit. I 126.

Viventianus

Sanctus Viventianus socius S. Macorati, qui in Gallia vixisse fertur, die 4. mens. Aug. colitur, ut referunt Stadler et Heim in onomastico Sanctorum.

Amantianus.

servile nomen est in tabella sepulcreti fam. Aug. prioris, quod Carthagine repertum est VIII 12680 (saec. incipientis II).

Constantianus Constantiana

Petronia P. f. Constantina Lavellone (reg. II) IX 659.

Constantianus Aug. lib. adiut. tabul. in titulo Dacico (saec. II vel primae partis tertii) III 1466.

M. Iuvinian(us) [Con]stantian(us) tituli christiani Sirmiensis Pannon. infer. III 10238.

Exsuperantianus

M. Comatius Exsuperantianus Apuli in Dacia (saec. II vel III) III 1096. (in altero titulo Apulensi III 1154 non *Exsuperantianus* sed *Exsuperatianus* legendum est cf. III 7775.)

Romae est *(Gargilius) Exsuperantianus* filius *Gargilii Exsuperati* mil. coh. VIIII pr. VI 2708.

Amandianus

agnomen servile est in titulo Salonitano Traiani aetatis III 8684 (*Trophimus ser. Amandianus dispens.*).

Carnunti Pannon. superior. III 11135 *[Ulpi]us [A]m[a]ndianus* Iovi Dolicheno aram posuit.

Romae nomen semel occurrit in laterculis coh. V vig. annorum 205 et 210 VI 1057/58.

---

1) nota gentile et signum eiusdem radicis eiusdemque fere significationis.

Secundianus Secundiana

hae formae, quae in omnibus fere regionibus obviam fiunt, usitatissimae erant in Africa.

Saequundianus est tituli christiani Ostiensis XIV 1920.

Secundianus Salernini christiani X 665.

Morcelli duos *Secundianos* episcopos Africanos recenset in Afr. christ.

D. de nominibus suffixo *-ino* ampliatis.

Satis trita fuerunt ea cognomina in *-inus -ina* desinentia, quae et ab oppidorum et a personarum nominibus derivata esse possunt: *Faventinus, Fidentinus, Florentinus, Placentinus, Pollentinus, Potentinus, Valentinus.* frequentissima horum erant *Valentinus* et *Florentinus.* primi, qui haec nomina tulerunt, certe oppidis ea *Valentiae, Florentiae, Placentiae* etc., scilicet patriae suae, debebant; postea vero alii quoque utpote boni ominis nomina usurpabant (cf. titulum Regii Lepidi, in quo tres fratres vocantur *Florus, Florinus, Florentinus* XI 958, et urbanum, quem *Pollentina* mater posuit filiae *Florentinae* VI 18480).

ea nomina in *-inus* et *-ina*, quae ducta sunt a nominibus personalibus, ita fingi solebant, ut patris vel matris cognomini suffixum illud adderetur (cf. VI 3480, 6693, 16935, 11914, 20315, 20533, 22013, III 5568, 7521, 8853, 8979, 9220, X 3573, 3530, XI 3369, XII 3992, 3431). in titulo Moesiae inferioris III 7521 alteri fratri cognomen est *Valens*, alteri *Valentinus.* frequentius obveniunt nomina in *-inus* inde ab initio saeculi alterius praeter supra memorata *Faventinus, Fidentinus* etc. quae iam primo saeculo satis trita erant.

suffixum *-ino* in formandis nominibus raro usurpatum est in Africa, ubi ut supra vidimus *-iano* vigebat, minus rarum fuit in Italia et Romae, usitatissimum vero in Hispania, Galliis, Delmatia, Pannonia, Norico (cf. nomina *Constantinus, Crescentinus, Praesentinus, Valentinus, Calendinus* alia, quae fere non erant nisi in illis provinciis vulgata).

Crescentinus Crescentina

cognominis *Crescentini* 29 exempla in titulis latinis inveni, *Crescentinae* vero 70; videtur igitur *Crescentina* deficientis formae femininae nominis *Crescens* locum saepenumero obtinuisse, priusquam *Crescentia* fictum erat. nullum indagare potui exemplum, quod certa ratione primo saeculo adtribuerem, nisi forte huius generis est *Crescentinus* in monumento prope port. Praenestin. reperto VI 6693; plurima sunt alterius tertiique saeculi.

Crescentini occurrunt in Cisalpina, Delmatia (III 1968 d incipientis saec. IV), Norico, Pannonia, Dacia (III 1038 intra annos 211 et 222), Germania, Hispania, Narbonensi, Africa, multique eorum fuerunt milites.

subrarum fuit nomen in Italia, ubi semel bisve exstat Romae VI 16668, 6693, Ostiae XIV 286,1,8, Beneventi IX 1552, Cumis X 36991,5.

inter quinque Africana exempla unum est libertini hominis VIII 4127, tria sunt militum VIII 2557b,22. anni 203, 2564,1, 8 et 2,51 intra annos 218 et 222.

T. Quartius Crescentinus eq. Rom. est tituli Lilybaetani X 7239.

Crescentinae plurima exempla sunt plebis urbanae (viginti octo), Ostiae octo, Galliae Cisalpinae novem, reliquae Italiae octo vel novem.

Crescentini Crescentinae reperti sunt in titulis christianis
Romae IChr. I 490 anni 400,
ibid. 1372 saec. IV vel V,
Ostiae XIV 1877 et 1912,
ad tricesimum (reg. X) V 1796 cf. 1796 ad,
Mediolanii V 6203 saec. fere IV,
Aquileiae V 1644,
Carthagine VIII 13580.

gentilicia *Crescentinius Crescentinia* habes in titulis Rhenanis Bramb. 1059, 1279, 1548 et Africanis VIII 9761 (militis), 13579 (hominis christiani).

Faventinus Faventina

illius 42, huius 26 exempla inveni. nomen inde a Claudi aetate in titulis crebrescit (cf. VIII 14697, ubi sine ullo dubio patriam *Faventiam* indicat *Faventinus*, IV 235 *Faventinus cum suis rogat*), *Faventinus* fenerator perstringitur a Martiale 2, 74, 7. nomen altero et tertio saeculo in omnibus fere provinciis obvenit. frequens fuit apud plebem urbanam et in septentrionalibus provinciis. Hispaniensia exempla fere omnia provinciae Tarraconensis sunt (cf. II 2637 aetatis Vespasiani, II 4271 optimi temporis).

ultimi quos ex titulis novimus *Faventini* sunt *Ulpius Faventinus* tituli Numidiae proconsularis VIII 4647 annor. 363 et 364 et *Ulpius Egnatius Faventinus v. c. augur* etc. an. 376 tituli urbani ad taurobolia spectantis VI 504.

Fidentinus Fidentina

Flaccus Fidentinus tituli Baetici Tiberi aetatis (II 1516) et *Cosana C. f. Fidentina* tituli Tarraconensis litteris optimis scripti (II 3373) cognomen duxerunt ab *Iulia Fidentia* oppido conventus Cordubensis, quod memoratur a Plinio.

Calvius Fidentinus tituli Polensis V 143 traxit fortasse a *Fidentia* Aemiliae oppido.

Fidentinum plagiarium pungit Martialis in epigr. 1, 29 et al.

Fidentinus episcopus Gypsariensis Donatista floruit ineunte saec. V Coll. Carthag. anni 411 cognit. I 128.

Florentinus Florentina

Florentini 112 inveni exempla, quorum 40 sunt urbana, *Florentinae* 58, quorum 23 urbana sunt. nomen in omnibus imperii partibus obvenit, crebrius in septentrionalibus provinciis, rarius in Italia media et inferiore; non pauca exempla praebent etiam tituli Africani.

antiquissimi quos scimus sunt

Florentina in duobus titulis Pompeianis graphio inscriptis IV 1507,2 et 9,

M. Statius Florenti[nus] in pelvi fictili Pompeiana X 8048,36,

Florentina in tabella monumenti vineae Randanin. VI 7767;

exempla alterius et eorum quae secuntur saeculorum abundant. servos libertinosve habes in titulis VI 2509, 18473, 18474, 18475, 18476, 18478, 18479, 18480, 23732, XII 5682,48, XI 2613, V 4429, 3494, III 4746, 6008,23, 6010,90, VII 1336,464.

plurima vero exempla sunt ingenuorum inferioris condicionis imprimis militum (cf. velut II 4122, III 3535, 7888, Bramb. 1747, 1748 praef. coh. IIII Aq. eq., VIII 2586,10 an. 218/25, 2626 b 12 an. 270/75, 2851, 8795 an. 222/34, VI 2375 b, 2516, 2610, 2750, 3245, 3253, 3443, 1057/58 ter an. 205/10).

nomen quarto quoque saeculo frequentissimum fuisse docet album tabernariorum urbanorum exeuntis saeculi quarti, in quod 17 relati sunt *Florentini* VI 9920.

paucos eorum afferam, qui equestris et senatorii ordinis fuerunt:

T. Acilius P. f. An. Florentinus eq. publ. etc. tituli Formiani X 6102,

Vettius Florentinus vir senatorius titulorum duorum Cirtensium ineuntis saeculi quarti VIII 7008 7009,

Plotius Florentinus v. p. fl. p. in albo ord. Thamugadens. medii saeculi quarti VIII 2403,1,13.

in titulis christianis nomen inveni

Romae IChr. I 77, an 344,
ibid II 118,101,
Clusii XI 2587 *Florentinus* episcopus saec. V,
Dertonae V 7410,
Aquileiae V 1628 *Flora Florentina*,
Savariae Pann. super. III 10934,
Arelate XII 944 = Le Bl. 512 *Florentinus* abbas an. 553,
Augustae Trevirorum Le Bl. 253,
ibid. 279,
ibid. 299,
Syracusis X 7173,
Catinae X 7112.

Morcelli quinque recenset episcopos Africanos *Florentinos*, qui saec. V floruerunt (duo sunt exeuntis saec. V Notit. Byz. 48 et Notit. pr. pr. 22).

Florentini poetae Africani saec. V exstat carmen in anthologiae latinae cod. Salmas. n. 376 (Riese).

Florentinum virum illustr. memorat Venant. Fort. in vita S. Germani 63,

Florentina nomen fuit sororis Leandri episcopi prov. Baeticae saec. VI (Isid. ill. 28), epitaphium eorum legis IChr. II 296,12.

gentilicium *Florentinius Florentinia* inveni in titulis Norico III 4714, Coloniensi Bramb. 318, urbano VI 28601 (*A. Florentinius Sabinus*).

Frequentinus

C. C. Fre[q]uenti[ni] in signaculo Neapoli reperto X 8059, 85.

Insequentina

Flavia Insequentina tituli Pannoniae superioris III 4191,
Iulia Insequentina filia *Iuli Insequentis* Romae VI 20533.

Licentina

Flavia Licentina Salonis III 2584.

Lucentina

in titulo Tarraconensi II 4379 *Terent. Lucentina Terent. Valentines lib.*

Sitifi VIII 8580 *Iulia Lucentina.*

exemplum Hispaniense sine dubio derivatum est a *Lucento* oppido cf. II pag. 481.

Placentinus Placentina

antiquissimum quod scio exemplum est fortasse *C. Fabius Placentinus* tituli Mediolanensis V 6006 (saeculi ni fallor I).

in titulo Salonitano occurrit *Placentinus retiarius* III 2127.

Aurelia Placentina Apuli in Dacia III 1229.

Dexterius Placentinus in tit. Rhenano Bramb. 2056.

urbana exempla sunt *M. Rosc(ius) M. f. Placentinus* VI 25475 (fortasse optimae aetatis) et miles coh. I vig. Antonin. VI 1056 anni 205.

tria inventa sunt Africana exempla VIII 9101, 9048, 1827 (saeculi II exeuntis vel incipientis III).

ultimus est *Placentinus* episcopus Madaurensis, qui ineunte saec. V vixit Coll. Carthag. anni 411 cognit. I 126,

Pollentinus Pollentina

T. Fadius T. l. Pollentinus V 7646 agri Saluzzensis reg. IX,
P. Caesius Pollentinus V 8253 Aquileiae (uterque optimae aetatis),
M. Victorius Pollentin(us) Bramb. 853 anni 124, *C. Rufidius*

Pollentinus Barcinone in Tarracononsi II 6177 (saeculi alterius), *M. F. Pollentina* Ulisi in Baetica II 5498.

Romae sunt *Pollentinus* VI 29290, *Pollentina* serva VI 18480, *Aelius [Po]llentinus* in titulo graphio inciso in pariete excubitor. coh. VII vig. VI 3041.

Potentinus Potentina.

Potentini nominis decem repperi exempla in titulis, *Potentinae* autem, quod interdum vices formae femininae nominis *Potens* explevisse videtur, quindecim.

primi saeculi fuit *Iulia Q. fil. Potentina* tituli Narbonensis XII 4884; fortasse etiam *Copponia Potentina* et *L. Veturia Potentina* titulorum Noricorum III 4871 et 5492.

urbana nominis exempla sunt militum VI 2382a *P. Aelius P. f. Vel. Potentinus* mil. praetorian. an. 175,

VI 2407 *Faent. Potentinus* latercul. coh. vig.,

VI 2731 *Iulius Potentinus* mil. coh. X pr.,

VI 3282 *Putentinus eq. sing. nat. Raetus*,

VI 3890 *Iulius Potentinus mil. ch. V. p.*

nomen obvenit semel Tarenti IX 6165a, Casini X 5251, Ostiae XIV 1723.

cetera exempla sunt Cisalpinae V 1876 (*Potentinus* ser.), Narbonensis XII 1208, 4884, 2181; Norici *Potentina*: III 4871, 5256, 5293 femina stolata, 5492, *Potentinus:* III 5578 (*L. Cass. Potentinus II vir* an. 204).

Pannoniae infer. III 10536 (*Potentina* uxor Sep. Victorini dec. col.),

Moesiae superioris III 8119,

Germaniae Bramb. 367, 914,

Britanniae VII 107 (*Domit. Potentinus* praef. leg. VII) intra ann. 253 et 259. is ultimus est, quem tituli memorant.

fragmentum marmoreum, in quo legitur *Potentin* Kraus (n. 239) sitne christianum dubitat. fortasse *Potenina* quod est in titulo christ. Britannico pro *Potentina* exaratum est I Brit. Chr. ed. Huebn. 121.

gentilicia *Potentinius Potentinia* in duobus titulis Rhenanis legi Bramb. 1988 (Coloniensi), Bramb. 1081 (Mogontiacensi).

Praesentinus Praesentina

Sergia Praesentina Sadavae in Tarraconensi II 2975 (bon. aet.), *C. Terentius Praesentinus* Bedaii in Norico III 5568 (bon. aet.), *Praesentina* (serva fortasse) Ovilavae in Norico III 5627, *Aurel. Praesentinus evocatus* Romae VI 2771.

Prudentinus

Cn. Octavius Prudentinus filius *Cn. Octavi Prudentis* Romae VI 23312.

Pudentinus Pudentina

Pudentinus tituli sacri Britannici saeculi primi VII 11.
Salvia Pudentina uxor *Cn. Papiri Oculati* Ticini (reg. XI) V 6411.
C. Lisius Pudentinus dendrophor. Cumis X 3699,1,17 an. 251.

Repentinus Repentina

cf. *Subitus, Celer, Citus, Velox. Repentinae* nominis 27 inveni exempla, quorum 11 sunt urbana, *Repentini* 40, quorum 14 sunt urbana.) nomen servile et plebeium, quod in urbe ortum esse videtur, nisi forte natum est in Galliis.

primus quem scimus est *Repentinus Canini* in tessera consulari anni 24 post Chr. I 765.

in tabella monumenti Q. Sallusti VI 8174 est *Salustia Repentina,* tabellae mutilae monumenti vineae Aquariorum *Claudius Repentinus* libertus VI 7051, inter viam App. et Lat. reperta est tabella *A. Titini Repentini* VI 5483. deinde nomen *Repentinus* semel occurrit in albo trib. Suc. iunior. anni 70 VI 200.

optimae aetatis exempla exstant etiam in Gallia Cisalpina (V 5827, 2611, 3545, 1271, 4394), Narbonensi (XII 3196 *Sex. Allius Repentinus aed. col.,* cuius pater cognomine caret, 5013).

exeuntis fere saeculi primi vel incipientis alterius est *Repentinus* servus tabellae sepulcreti fam. Aug. prioris, quod Carthagine erutum est VIII 12811.

nomen altero quoque et tertio ineunte saeculo in frequenti usu fuit (cf. VI 740 anni 184, VIII 2564,1,30 intra an. 218 et 222, VIII 2586,49 intra an. 218 et 225).

nomen occurrit praeter urbem et Italiam in Galliis, Hispania, Africa. non raro in militum usu utpote boni ominis nomen reperitur. iam Tacitus (hist. 1, 56) memorat centurionem leg. XVIII *Calpurnium Repentinum* anno 69 a militibus occisum. (cf. praeterea V 5827, VIII 2564,30, 2586,49, III 11111.)

Cornelius Repentinus pr. pr. eques Romanus VI 1564 litteris saeculi II exeuntis (cf. Spartian. Did. Iul. 3),

P. Claudius Pallans Honoratus Repentinus adlect. inter tribunicios leg. pr. pr. prov. Afric. etc. tituli Pannonici saeculi fere III 4567.

Cornelius Repentinus v. c. Romae VI 654 litteris aevi posterioris.

Scientinus

occurrit in titulo mutilo Lusitaniae II 152.

Valentinus Valentina

nomen servile et inferioris plebis, illius 200, huius 150 fere exempla ex tit. conlegi. in provinciis ad Danubium vergentibus (Noric. Pannon.

Moes. Dac. Delmat.)	nominis Valentini	70,	Valentinae	48,
in Cisalpina		17,		17,
in Narbonensi		17,		10,
in Germania		4,		1,
in Hispania		4,		10,
in Africa	(6 Lambaesi)	22,	(8 Lambaesi)	19,
in Italia		26,		23,
Romae	(18 militum)	30,		25

exempla exstant.

antiquissimi sunt *Valentina* liberta tabellae monumenti Liviae VI 4047,

L. Acilius Valentinus tituli urbani litteris vetustioribus scripti VI 10504.

in titulo picto Pompeiano IV 698 *Valentinus cum discentes suos rogat.*

optimae aetatis exempla exstant etiam in titulis Hispaniae (velut II 3276), Cisalpinae (ut V 4518, 5293, 5883) et aliarum provinciarum.

Tullium Valentinum Trevirum belli contra Romanos instinctorem memorat Tacitus (hist. 4, 68 sqq.).

plurima nominis exempla sunt ingenuorum inferiorum (inde ab ineunte altero saeculo imprimis militum). rariora sunt servorum libertinorumque exempla, et quae exstant, melioris temporis esse solent cf. VI 25726, 27986, 27911, 4047, 10159, III 1470, VIII 12657.

Valentinus Valentina nomen floruit potissimum altero tertio quartoque saeculo (cf. XIV 251,2,21, 28, 37 an. 192, X 1786 an. 196, 5796 an. 197, VI 228 an. 205, 1056 an. 205, 1057/58 quater annor. 205 et 210, III 4441 an. 211, VI 2999 an. 221, III 5944 intra ann. 222 et 235, III 870,5 an. 235, III 1433 annor. 238 et 244, III 827 an. 239, III 4558 an. 249, III dipl. LVII an. 298, III 1968 b an. 319).

quinti ineuntis saeculi est titulus Calamensis (Numidiae proconsularis VIII 5341 *Valentinus vir honestissimus curator rei publicae.*

Senator ....*nius Va[le]ntinus v. c.,* qui quarto incipiente saec. floruit, posuit titulum Neapolitanum X 1482,

alter *Avianius Valentinus v. c.* cons. Valentiniani aetatis est X 1656. ceteros Valentinos summis honoribus functos transmitto (Zosim. 5, 16 al.).

in titulis christianorum hominum nomen repertum est
Romae IChr. I 597 an. 411 vel potius 327,
ibid. 1352,
Volsiniis XI 2891,
Florentiae XI 1694,
Arimini XI 551,
Aquileiae V 1713,
Puteolis X 3300,

Viennae XII 2145,
ad Trevoux Le Bl. 71,
Aug. Trevirorum Le Bl. 295, 296, 297, 298,
Terranovae in Sardinia X 7988 *Balentinus*,
Carthagine VIII 13984 et 13985.
ex libris novimus christianae fidei *Valentinos* cum alios tum hos:
Valentinum haereticum. Opt. Milevitan. 10,22 ed. Vindobon.
Valentinum Raetiarum episcopum Eugipp. vit. S. Severini 41.
Valentinum episcopum Gallicum Sulpic. Sever. dial. 3, 2, 4.
Valentinum episc. Vaianensem Numidiae ineuntis saeculi quinti Coll. Carthag. cognit. I 99. cf. Augustin. ep. 176.
Valentinum episcopum Castelli Mediani saec. V vergentis Notit. Maur. Caes. 86.

vides igitur nomen usque ad exitum saec. quinti in frequenti usu mansisse.

vetustiora nominis exempla certe ab oppido *Valentia* derivata sunt, fueruntque primi *Valentini* servi vel libertini, quibus necessitudo aliqua cum oppido illo intercessit, velut *Valentinus vilicus colon. Va(lentinae)* tituli *Valentiae* reperti XII 1755 (cf. etiam XII 1761 II 3749). postea vero, cum nomina suffixis ampliata moris esse coepissent, optimae significationis nomen cuivis indebatur.

equorum trium nomen est *Valentinus* in tit. urbano VI 10056.

gentilicia *Valentinius Valentinia* habes in titulis Noricis III 4770 bis, 4981, Galliae Cisalpinae V 1790 (libertinorum), 3792 = 4028, Rhenano Bramb. 1245, Delmatico III 8429, Narbonensibus XII 1576, 1545. nullus eorum est saeculi primi.

Amantinius

cognomen *Amantinus* ab *Amante* ductum adhuc nusquam repperi. gentile *Amantinius* exstat in titulo Florentino XI 1676 *Amantinius Maximus*. potest hoc originem traxisse ab gente Illyrica *Amantinorum* (Plin. 3, 148).

Constantinus Constantina

(*Constantinos* 30 fere, *Constantinas* 10 in titulis inveni). hae formae earundem regionum propriae fuerunt, quarum et simplex nomen *Constans* (id est Venetiae, Pannoniae, Norici, Raetiae etc.) indeque a medio altero saeculo in frequentiorem usum venerunt cf. III 1203, 3363, 3498, 5839, 3399, 3365, 3319, 3445 an. 218, 5842, 5890.

nomen occurrit praeterea in titulis ethnicis hisce: Mogontiacensi Bramb. 1073 et duobus aliis Rhenanis Bramb. 171, 192,
Bellunensi (reg. X) V 2058,
Venusino IX 503.
Salernensi X 568,
Saxa Rubrensi XI 3845 (mil. praetorian.).

urbana nominis exempla praeter unum (VI 25652) militum sunt, qui procul dubio in Pannonicis regionibus nati erant:

VI 3234 eq. singular.
2457 mil. coh. II praetor.
220 *M. Ulpius Constantinus* tribunus an. 203 vel 199,
2390c mil. praetorian. an. 241.

latius patuit nominis usus christiana aetate (cf. quae supra de *Constantio Constantia* dixi). in titulis repertum est

Romae IChr. I 54 an. 339,
ibid. 1026 an. 530,
IChr. II 443,155,
in agro Albano XIV 2385,
Aquis Cutiliis (reg. IV) IX 4660 *Custantina bibas in deo.*
Ravennae IChr. II 383,
Arelate XII 944 *Constantinus abbas* an. 553,
in Mauret. Caes. VIII 880,
in provinc. proconsul. VIII 9967 *Costantinus subdiaconus.*

ex libris novimus praeter *Constantinos*, qui domus imperatoriae fuerunt,

Constantinum vicar. dioeces. Ponticae an. 383 cod. Theod. 1, 18, 7,
Constantinum episcopum Arausionensem Ambros. ep. 8 gest. concil. Aquil. n. 76,
Constantinum familiarem Augustini, qui ei librum contra Petilian. dedicavit,
Constantinum episcopum Gallicum memoratum a Leone papa in ep. 40 an. 449,
Constantinum praef. praet. per Orientem Marcellin. chron. ad an. 447.

tres alios his addit episcopos saeculi quinti De Vit in onomastico et Morcelli tres Africanae ecclesiae episcopos, qui saec. VII floruerunt, recenset in Afr. christ.

Amandinus Amandina

Val. Amandinus et *Val. Amandina* in titulo Raetico III 5974 (saeculi exeuntis II vel ineuntis III).

Aelius Amandinus mil. coh. III in fragmento tabul. marmor. in agro Albano reperto XIV 2268b,13,

Aelius Amandinus Romae in laterculo milit. legionar. VI 2410.

gentilicium *Amandinius* occurrit in titulis Rhenano Bramb. 286 et urbano VI 3333.

de nomine

Calendinus Calendina

iam supra verba feci pag. 706.

Secundinus Secundina

illius plus 300, huius plus 200 exempla in titulis latinis exstant. frequentissimum fuit in Gallia Cisalpina et in septentrionalibus provinciis Delmat. Noric. Pannon. imprimis in Narbonensi. floruit imprimis altero et tertio saeculo.

primum ni fallor nominis exemplum est tituli Pompeiani graphio inscripti IV 2172.

in titulis christianis occurrit Mediolanii V 6269 et Narbone XII 5355. in Africa quoque aetate christiana sat usitatum fuit. nam 9 episcopos Morcelli recenset Africanos.

gentile *Secundinius* septentrionalium provinciarum proprium fuit.

E. de nominibus in *-osus* formatis.

suffixum *-osus* nominibus additum Africae proprium fuit.

Licentiosus

gladiatoris nomen Romae in opere musivo VI 10206; equi est nomen VI 10056.

Secundosus Secundosa

frequens in Africa fuit. *Secundosa* mulier christiana VIII 14213.

F. de nominibus in *-inianus.*

Florentinianus

M. Valerius Florentinianus Surrenti X 754.

Valentinianus Valentiniana.

viginti fere inveni exempla in titulis, octo christianorum hominum.

primum certi anni exemplum est *M. Aurelius Valentinianus v. c. leg. Aug. pr. pr.* III 3418 anni 283 (cf. II 4102).

Aur. Valentinianus v. p. est in duobus titulis Salonitanis III 1967 an. 302 et III 1968a anni 303.

nomen inveni praeterea, ut taceam gentem imperatoriam, in titulis Veronensi V 3513, Opitergiensi V 2013, Hispaniensi (*Pompeius Valentin[i]a[nus]*), Philippensi Macedon. III 680 (*M. Valerius Valentinianus*), Telesinensi IX 2221[1]), Regio Iuliensi X 3, in Africanis VIII 12240 et 2403,1,23 (*Corfidius Valentinianus flam. perpet. II vir* saec. medii quarti), urbano VI 3324 (*Ael. Valentinianus,* cuius pater optio peregrinorum fuit).

1) *Valentinianus* ex patre *Valentino* cognominatus.

in titulis christianis exstat hisce:
Aquileiensibus V 1678 (vir clarissimus), V 1712,
Delmaticis III 9618 (saeculi fortasse IV), III 10092,
Rhenano Le Bl. 355 (Coloniae Agripp.),
urbanis IChr. I pag. 415 an. 503,
IChr. I 968 *Iulius Felix Valentinianus v. c. et [sp.]ex silentiario sacri palatii* an. 519.

Morcelli duos recenset episcopos Africanos *Valentinianos*, quorum alter Iuncensis ineunte saec. V floruit (cognit. I 187), alter Visicensis saec. VII (subscripsit an. 646 ep. ad Paul. patr. Constantinopolitan. concil. proconsularis prov.) Morcelli I pag. 357. forma feminina *Valentiniana* semal exstat in titulo christiano Feltriensi (reg. X) V 2065.

Secundinianus Secundiniana

Mediolanii V 5616 *Aurelia Secundiniana.*

G. de nominibns in *-ilianus*.

Crescentilianus

Romanius Crescentilianus Ostiae XIV 1549; homo fortasse idem recurrit in titulo Tusculano XIV 2738.

Plotius Crescentilianus II vir fl. perpet. in albo ord. col. Thamugad. VIII 2403,1,32 (medii saeculi IV).

Crescentilianus episcopus Lambiritanus floruit ineunte saec. V (gest. coll. Carth. cognit. I 206).

H. de nominibus in *-ilio*.

Crescentilio

..*Pomponius C. f. [Cre]scent[il]io* Caralibus in Sardinia X 7693.

V. Conspectus nominum personalium.

(nomina, quibus signum † additum est, in christianorum hominum usum transierunt, quibus praefixum est, ea quantum ex testimoniis quae supersunt colligi licet, a christianis ficta sunt. †† indicat nomen frequentius vel frequentissime a christianis usurpatum esse.)

a.

	-ius	*-ianus*	*-inus*	*-ulus*	*-illa*	*-io*
Absens	Absentia Absentius†					
Abstinens (mul.)						
Adulescens(†)						
Agens	Agentius					
	†Alentius					
†Armipotens						
	Audentia† Audentius†					
	Augentius†	Augentianus				
	Auxentia† Auxentius†					
	Calventia Calventius	Calventianus				
*Carens			(†Carentinus)			
	†Clarentius					
Cliens Clienta	Cluentia Cluentius					
Di Consentes						
Continens						
Conveniens						
Crescens††(mul.)	Crescentia††	Crescentiana††	Crescentina†† Crescentinia			
Crescenus	Crescentius††	Crescentianus††	Crescentinus†† Crescentinius		Crescentilla Crescentilianus† Crescentilio	Crescentio(†)

	-ius	*-ianus*	*-inus*	*-ulus*	*-illa*	*-io*
Decens†	Decentia†† Decentius††	†Decentiana				
	†Dignentius					
Diligens (mul.) Dolens						
		†Emerentiana				
Eminens	Eminentius† Erigentius					
Excellens Exoriens						
	Faventia† Faventius†		Faventina Faventinus			
Fidens	†Fidentius	†Fidentianus	Fidentina† Fidentinus†			
Florens (mul.)	Florentia†† Florentius†† Florentium	Florentianus††	Florentina†† Florentinia Florentinus†† Florentinius Florentinianus	†Florentiolus	Florentilla	
Frequens (mul.)		Frequentianus	Frequentinus		Frequentilla	Frequentio
(†)Fruens	Fruentius					
	Fulgentia† Fulgentius†				†Fulgentillia	
	Gallentius					
Gaudens	Gaudentia†† Gaudentius††	Gaudentianus		†Gaudentiola †Gaudentiolus		

	-ius	-ianus	-inus	-ulus	-illa	-io
Habens	†Habentius					
(Herculens)	†Herculentius					
	Indulgentius					
Ingens	Ingentius†					
Innocens†	Innocentia††					
	Innocentius††	Innocentianus				
	Innocentium					
Insequens			Insequentina			
†*Iubentius						
Latens (mul.)						
	Legentius					
Libens						
*Licens	Licentia		Licentina			Licentiosus
	Licentius†	Licentianus				
	†Lubentius					
Lucens			Lucentina			
	Lucentius†					
	†Lupentius					
	Magnentius(†)					
Maturescens						
	Maurentius†					
	Maxentia†					
	Maxentius†	Maxentianus				
	Mesentius					
	†Nicentius					
	Nitentius†					
	†Niventius					

	-ius	*-ianus*	*-inus*	*-ulus*	*-illa*	*-io*
Obsequens (mul.)	Noventia Noventius(†) Obsequentius					
Oriens	†Orientius				Orientilla	
†Parens						
	†Pascentia †Pascentius					
Patiens†	†Patientia					
	†Pientia †Pientius	Pientianus				
	Placentius		Placentina† Placentinus†			
Pollens	Pollentia Pollentius		Pollentina Pollentinus			
Potens (mul.)	Potentia Potentius†	Potentiana Potentianus	Potentina(†?) Potentinia Potentinus(†?) Potentinius		Potentilla	
Praesens (mul.)	Praesentia Praesentius		Praesentina Praesentinus		Praesentilla	
	†Proficentius †Promerentius					
Providens	Providentius†					
Prudens	Prudentia† Prudentius†		Prudentinus			
Pudens(†) (mul.)	Pudentius†	Pudentiana(†) Pudentianus(†)	Pudentina Pudentinus		Pudentilla Pudentillus	

	-ius	-ianus	-inus	-ulus	-illa	-io
Recens	Recentius					
Regens	?†Renascentius		Repentina Repentinus			
Reverens	Reverentius †Rorentia †Salventius					
Sapiens	†Sapientia Sarmentius† Saxentius		Scientinus			
Sequens (mul?)	Sequentia Serpentius† Spargentius †Studentia					
Succedens	†Surgentius					
Tuentius						
Valens††	Valentia†		Valentina†† Valentinia Valentiniana††		Valentilla	
	Valentius†	Valentianus†	Valentinus†† Valentinius Valentinianus††			Valentio†
Violens	Vincentius†† Vincentia††	†Vincentianus		†Vincentiolus		
	Virentius				Violentilla	

	-ius	-ianus	-inus	-ulus	-illa	-io
	Viventius† Viventia†	†Viventianus		Viventiolus†		
Volens	†Volventius					

b.

	-ius	-ianus	-inus	-ulus	-illa	-io
	††Abundantia ††Abundantius					
Advolans	†Aginantius					
Amans (mul.)	Amantia†† Amantius††	Amantianus	Amantinius			
	Ballantius					
Cogitans						
Constans††(mul.)	Constantia†† Constantius††	Constantiana† Constantianus†	Constantina†† Constantinus††	†Constantiola	Constantilla	
	†Dignantius Donantius †Dubitantius					
Elegans (mul.)						
Exsuperans	Exsuperantia†† Exsuperantius†† Exsuperantium	Exsuperantianus				
						Fremantio
	†Fugantius					
Infans	Infantius†					Infantio
*Instans	Instantius†					
	Iuvantius					

	-ius	-ianus	-inus	-ulus	-illa	-io
Lactans	Lactantius†					
	†Laetantius					
	†Liberantius					
	†Lupantia					
	†Lupantius					
	Novantia					
	Novantius					
	Optantius†					
	†Palmantius					
	†Perseverantius					
Petulans	Praestantia					
	Probantius†					
	Servantius					
	Sextantius					
	Sperantia†					
	Sperantius†			Sperantiolus		
	Substantius					
Superans	Superantia					
	†Tonantius					
	†Turbantia					
	?†Vegetantius					
	Venantia††					
	Venantius††					
	Venantium					
	Vigilantius†					
	Volantius					

c.

	-ius	*-ianus*	*-inus*	*-ulus*	*-illa*	*-io*
Adaugenda						
Adaugendus						
Adolenda						
Afferenda						
Agenda						
Alenda						
Alendus						
Amanda†	Amandia		Amandina			
Amandus†	Amandius	Amandianus	Amandinus Amandinius			Amandio
Augenda†						
Augendus†						
			Calendina†			Calendio†
	Calendius		Calendinus†			
Celandus						
Conferundus						
Coinquenda						
Colenda						
Colendus						
Commolenda						
Deferunda						
Fata Scribunda						
†Ferrandus						
Fruenda						
Fruendus						
Habendus						
Larunda						
Laudandus						
Merenda						

	-ius	-ianus	-inus	-ulus	-illa	-io
†Minandus						
Optanda						
Optandus						
Orienda						
†Perseverandus						
Probanda						
Secunda††	Secundia	Secundiana†	Secundina†† Secundinia Secundiniana	Secundulus† Secundinula	Secundilla	Secundosus† Secundosa†
Secundus††	Secundius	Secundanus Secundianus† Secundienus	Secundinus†† Secundinius Secundinianus	Secundula†	Secundillus	Secundio
Servanda†	Servandia					Servandio
Servandus†	Servandius	Servandianus				
Speranda						
Sperandus						
Sustinendus						
Tuenda						
Tuendus						
Veneranda(†)						
Venerandus(†)						
?†Volandus						

d.

†Cresciturus						
Futura						
Futurus						
Gauditurus						
Loturus						
Profutura†						
Profuturus†						
Victurus†						

NOMINA PROPRIA LATINA

ORIUNDA

A PARTICIPIIS PERFECTI.

CONLEGIT

GUALTERUS OTTO.

Nominibus Romanis eis temporibus, quorum certa servata est memoria, partim gentes inter se distinguuntur, unde adpellantur gentilicia, partim singuli homines designantur, quod munus olim praenominum fuit, postea ad cognomina transiit. tria haec nomina postulata sunt lege Iulia municipali, et postquam Christus natus est, praenomen fere semper cum cognomine coniunctum fuit, donec saeculo tertio, quia iam nulla propria eius vis erat, magis magisque exolevit. sed multo simplicior antiquissimorum fuit consuetudo, qui singulis nominibus contenti, quo patre essent nati adscito nomine eius in -ius terminato indicaverunt, sicut posteriores illorum filios se praedicabant (cf. Guilelmi Deecke disputationem quam libro de Faliscis scripto addidit). haec autem nomina a patriis nominibus declinata, similiter atque nostra nomina in sohn (sen; s) desinentia, procedente tempore nepotibus cum filiis communia facta sunt, ita ut gentiles his nominibus coniungerentur, praenominibus autem inter se distinguerentur. quae cum ita sint, eis qui antiquissimorum nominum interpretationi operam navaturi sunt, praenominibus, quae novimus satis pauca, et gentiliciis ingens materia ad cogitandum offertur. sed qui inconsulte adgressus erit has quaestiones, facile, dum humana nomina explicare studet, in deorum nomina inquiret. permulti enim homines a dis nomina declinaverunt, modo integra nomina in suum usum vertentes, modo suffixis adiectis aliquo modo se cum illis numinibus coniunctos esse praedicantes. quem non solum Graecorum, sed etiam Italorum morem diu nimis neglexerunt viri docti; nuper autem Usenerus, ut cum volgo loquar, oculos nobis aperuit, ut videamus, quam clare deorum cultus adhibitis nominibus humanis inlustrari possit.

nunc transeo ad eam partem, quam tractandam mihi sumpsi, ad nomina a participiis perfecti temporis oriunda, atque dico antiquissimos ex veris participiis nomina finxisse non videri. iam intelleges, cur de deorum nominibus non neglegendis praemonuerim; videntur enim fere omnia antiqua nomina, quae verorum participiorum speciem prae se ferunt, declinata esse a dis. deorum autem nomina quin saepissime a participiis orta sint, nemo dubitabit, qui talium nominum meminerit, qualia sunt Larentia, certe eodem genere prognata atque Lara et Larunda, quamquam A in his nominibus corripitur, in illo producitur; similem enim formarum varietatem praebent Picus, Picentes, Piquentum Histriae oppidum (Piquier in tabb

Iguv. V 89), Picumnus (de etymo cf. Rosch. lex. mythol. in voce Picumnus); Adolenda, Commolenda, Deferunda, Coinquenda, Afferenda, Fata Scribunda, quarum nomina nescio quo pacto nuper Fridericus Stolz in Arch. f. lat. Lex. vol. X activam quam dicunt vim habuisse contendit, ita ut Adolenda sit arbor adolenda; sed quis umquam arbores adolendas coluit? colebatur id numen, quod arbori adolendae praeest, sive quod arborem adolet; Locutius sive Loquens; Canens; Genita Mana (osc. Genetaí dat.), quae gignit; Jugatinus, qui iugat; Cinxia, quae cingit; Juno Februata, quae februat; Loucetius, qui lucet, cf. vegeo—vegetus al. (et Leucesius Luceria); Moneta, quae monet; Unxia, quae ungit; Lubentia, Libitina a lubendo; Nodutus a nodis; Partula, quae pariendo praeest; Paventia, quae pavorem inicit, quasi ipsa paveat; Pilumnus a pilo; Vitumnus, qui vitam dat; Alemona, quae alit (cf. Bechstein. in Curt. stud. VIII p. 388); Valentia et Pollentia, quae valentes et pollentes faciunt; Prorsa, quae non vult in pedes procidere nascentem; Stata Mater, Statanus, Statina, Statilinus a stando; Stercutus, Stercutius a stercore; Voleta, Volumnus, Volumna a volendo; Vortumnus a vortendo; Volutina ab (in)volvendo. quorum numerum facile augeri posse non ignoro.

atque deorum nomina homines partim integra ad suos usus transferebant, ita ut e. g. Aii (Ahii) adpellati sint ab Aio, Lucrii a Lucriis deis, Seii a Seia, Patulcii a Patulcio, partim suffixis aucta, sicut Pandii dicti sunt a Panda, Carnii a Carna, Camelii a Camelis virginibus, al. et cum ea quoque nomina, quae a participiis orta sunt, hominibus sint imposita (Partuleii a Partula nomen acceperunt), ubique diligenter quaerendum est, num divina lateant sub eis, quae videntur mere humana esse. nam licet nobis non semper ea nominis divini tradita sit forma, quam nomen humanum praebet, tamen extitisse ea olim multis eiusdem generis nominibus ab etymo varie declinatis veri simile fit. Hortius enim, ut exemplis utar, (Húrtiis in columna osca) potest a deo *Horto originem habere; novimus enim Herem Marteam, Herentatem, Heriem Junonis, Horam Quirini, et Hersilia, quae postea Hora adpellata est, si olim Hertilia vocabatur, Hortio simillima est (cf. umbr. eretu, lat. horitur Enn. ann. 409 V.). a deo *Axio videntur Axii et Axilii nomina traxisse, neque enim Aium solum, sed etiam Axium Romanos coluisse consentaneum est (cf. axare, axamenta), siquidem praeter Laram habuerunt Larundam, praeter Picum Picumnum al. rursus ex Cingoniorum Cinciorumque nominibus nomen divinum cognoscimus Cinxia simplicius. sed iam indicavi tria nomina antiqua, quae non ab ipso participio, sed a deorum nominibus viderentur declinata esse. accipe nunc plura. atque Accam Larentiam Hersiliamque olim in deorum numero fuisse et nomina et quae de ipsis traduntur demonstrant, neque Potitios, qui Vicae Potae meminerit, a deorum societate excludet. Voltius, Volteius, Volumnius (et fortasse Veltius, etrusc. Velta) referenda sunt ad Voletam, Volumnum, Volumnam, similiave numina. Tolumnii

nomen cognatum est cum Latio (umbr. gen. agre Tlatie), qua de causa inter deos, non inter homines nominis origo quaerenda est. Statiorum nomen divellendum non esse puto a Stata, Statano, Statilino, Statina. Domitios, quos etiamnunc viri docti perperam a domo dictos putant, fortasse non sine probabilitate a dis nomen invenisse censui. Volutius (CIL X 443) pendet a numine Volutinae simili.

cum autem antiquissimos a participiis nomina non finxisse ex gentiliciis videamus, postea huius generis cognomina paucissima sane in usu fuerunt, quae sunt Ambustus (a. u. c. 312) et Structus (a. u. c. 259); Potitus enim (a. u. c. 261) rectius fortasse praetermittitur, quia hoc nomen divinae esse potest originis, et Pansam (a. u. c. 454) exclusi, quoniam adiectivum quod est pansa Plautus usurpat in Merc. 640.

a veris participiis dixi antiqua gentilicia non esse orta, sed nomina, quae a nominibus ad participiorum analogiam ficta sunt — denominativa participia ea vocant grammatici — permulta inveniuntur. quae priusquam adgrediar, pauca de significationibus dicenda sunt. atque iam Pauckerus diligentissima disputatione, quam Kuhnii ephem. vol. XXVI p. 261 sqq. inseruit, quam varios sensus significare possint verba a nominibus derivata ostendit (dolendum sane est quod participia non seiunxit a verbis). ad nostram autem quaestionem confert eorum memoria participiorum, quibus indicatur id, de quo participium est, simile vel adeo par esse ei rei, quae nomine significatur. ita beluatum dictum esse bestiis similem ex Festo tradit Paulus p. 25 Thewr. (qui habet 'belutus') et glossae nominum confirmant (corp. gloss. II. p. 569); inducula impluviata, i. e. quae impluvii formam habet, est apud Plaut. in Epid. 224. sed parcamus chartae, nam sescenta ultro se offerunt, et consideremus hos duos, patrem patratum, quem Fetiales eligebant, et mulieres viratas (ἀνδρείας), quas Ecclesiasticus (28, 19) dicit lingua tertia esse eiectas (cf. Roensch. It. p. 145); cum patre patrato enim Buechelerus in Umbr. p. 45 confert formulas antiquas religiosasque quales sunt augurium augustum et ius iurandum. (miror qui fieri potuerit, ut O. Kellerus 'Zur lat. Sprachgesch.' I 82 sq. patrem patratum olim pateratum dictum esse putaret, cum praesertim postea verbum quoque patrare fictum sit, quod patrem facere significare ex glossis Scaligeri [corp. gloss. V p. 608] discimus). mulieres autem viratas comparare possis cum viro viraceo ap. Varr. sat. 300 (cf. gallos gallinaceos); C. Julius Viratus est in titulo Segusino V 7299. atque eodem modo fictum esse Neratiorum nomen postea videbis. iam oblitum te nolim illorum participiorum, quae a deorum nominibus declinata hominum animos ab illis captos esse significant, ut cerritus, laruatus, geniatus; cerritus enim ortum esse a Cerere (osc. Kerrí; cf. gloss. Cyr. 'Δημητριόληπτος cererosus') quamquam ne nunc quidem consentiunt viri docti certissimum est; laruatus et geniatus explicatione non egent. plura autem huius generis parti-

cipia cognoscet, qui nominum origines indagare studuerit non Italicorum solum, sed etiam Celticorum. nosti enim Camulum Gallorum deum, a quo non solum Camulodunon et Andecamulum nomina acceperunt, sed etiam Camuli et Camulae satis multi; eiusdem autem generis est nomen Καμουλάτου illius, cuius memoria est apud Plut. in Bruto 49 (cf. Holderi thesaurum linguae Celticae). ex Italicis huc spectant Cacatius, Ianatus, Pukalatúí (osc. dat.), multa alia, quae mox tractabuntur.

multa igitur nomina antiqua a participiis denominativis quae dicuntur orta sunt; sed ex veris participiis nomina fingere apud antiquos moris certe non videtur fuisse. Condetios sane, qui est in antiquissimo titulo I 187, a condiendo vel a condendo dictus esse potest, et Acutius a. u. c. 353 tribunus plebis fuit teste Livio 5,10; sed huius nomen ea re a Condetio diversum est, quod acutus iam antiquis temporibus ex participio factum est adiectivum. similiter si cognomina contemplamur, adparet temporibus antiquis satis multa in usu fuisse participiis similia, paucissima autem a veris participiis oriunda: atque horum iam supra mentionem feci, illa sunt Barbatus (M. Horatius Barbatus, cos. a. u. 305), Cornutus (Q. Sulpicius Camerinus Cornutus, cos. a. u. 264), Dentatus (M'. Curius Dentatus, cos. a. u. 464), Diadematus (L. Caecilius Metellus Diadematus, cos. a. u. 637), Dotata (Megullia Dotata, cf. Val. Max. 4, 4, 10), Fabatus (L. Roscius Fabatus, Caesarianus, cf. Cic. ad Att. VIII 12, 2), Lanatus (Agrippa Menenius Lanatus, cos. a. u. 251), Praetextatus (Q. Sulpicius Praetextatus, trib. mil. consulari pot. a. u. 323), Torquatus (T. Manlius Capitolinus Imperiosus Torquatus, cos. a. u. 407), Tubertus (P. Postumius Tubertus, cos. a. u. 249).

postquam autem omnes, ne infimi quidem loci hominibus exclusis, tria nomina habere coeperunt, cum ceteris etiam cognomina a veris participiis oriunda in usum recepta sunt permulta; quae primum apud servos, libertinos, humilis loci ingenuos inveniuntur, brevi autem ne ab honestioribus quidem spreta postea vel nobilissimis imponebantur. atque ex his cognominibus rursus gentilicia orta sunt.

non inutile erit paucis verbis nominum a participiis perfecti temporis oriundorum tangere significationes. multa enim infimorum hominum nomina aetate Augusti non antiquiora demonstrabunt hac certe aetate illa participia in sermone volgari duplicem etiamtum habere potuisse vim, et activam et passivam; vide nomina haec: Adventus, Cessus, Concessus, Cogitatus, Conventa, Dubitatus, Eventus, Exuperatus, Pensata, Processus, Prospectus, Respectus al. (eandem vim habent nomina Conferundus, † Perseverandus).

quod de perfecti temporis participiis dixi antiqua nomina a veris participiis derivata non esse videri, hoc multo magis cadit in participia praesentis, licet Calvenet(ius) priore saeculi u. c. septimi

parte vasculo Crotoniensi (I 1539 a) inscriptum sit, et Cluentii nomen certe iam aetate Sullana in usu fuerit. cognomina autem quae sunt Violens (L. Volumnius Flamma Violens, cos. a. u. 447) et Sapiens (C. Laelius Sapiens, cos. a. u. 614) non pro participiis, sed pro adiectivis habenda esse omnes consentient.

quae libris traduntur nominum exempla, quotiescumque nihil novi ex iis discere mihi videbar, removi. corporis inscriptionum latinarum volumina itemque anni Christi solis numeris notabuntur; christianis titulis crucis signum adpingetur.

priorem partem fusius tractavi, tum singula quam brevissime absolvere studui.

Participia perfecti simplicia.

Acceptus

Romae Accepti Acceptaeque nomen haud raro invenitur hominibus servilis libertinaeque vel certe humillimae condicionis impositum. aetas utique bona est, i. e. saec. p. C. primum secundumque, id quod Iuliorum Flaviorumque nomina praenominibus ne semel quidem destituta demonstrant. imperatoris Titi libertus est in VI 9059, militem praebet titulus VI 200, qui est anni p. C. 70.

idem dicendum est de titulis, quos singulos dederunt oppida nonnulla *Lucaniae, Apuliae, Samnii, Piceni, Galliae Cisalpinae:* praenominis usus fere omnibus communis primis p. C. saeculis adsignari eos iubet. christiani hominis est XIV 1882.

eiusdem fere aetatis sunt tituli in *Galliae Narbonensis* oppidis inventi quae sunt Arelate, Vasio, Vienna, Narbo, praeterea in Volcarum agro ad Rhodani ripam sito. praenominibus enim ne hi quidem homines carent.

in *provinciis Africanis* inde a Carthagine usque ad Caesaream quasi migrando nomen oppida attigit haec: Carthaginem, Thuggam, Thevesten, Lambaesim et castra Lambaesitana, Cirtam, Auziam, Caesaream. libera etiamtum republica in Mauretania hoc nomen in usu fuisse docet titulus VIII 9350 Caesareae inventus, qui Acceptum, regis Iubae libertum exhibet. Carthagine saeculo II ineunte vir humili loco natus Acceptus adpellatus est (VIII 12860). miles Acceptus est in titulo Lambaesitano VIII 18065 a. 162 scripto.

non pauca huius nominis exempla in *Illyrico* prodierunt atque maxime in Norico, ubi circa Noreiam, Virunum, Iuennam, Celeiam, Solvam tam viri quam mulieres Accepti vocabantur; nec procul absunt Pannoniae superioris exempla duo Nevioduni inventa. eisdem fere locis etiam nomina suffixis aucta in usu fuisse infra videbis. accedunt tres tituli Delmatici Salonis et Naronae reperti. ut ceteris locis, ita hic quoque hominum hoc nomine praeditorum condicio humilis vel adeo servilis fuit; multos etiam barbarae fuisse originis

cetera nomina eisdem titulis inscripta docent. gentilicio, quod raro positum est, non semper praenomen additur.

Germaniae utriusque viri feminaeque adamasse videntur hoc nomen, sed posteriore potius quam priore aetate. rarus enim est praenominis usus, cum gentilicium semper adsit, neque cetera eorundem titulorum nomina meliore aetate orta sunt. hoc confirmatur titulo n. 632 (Br.), qui consulum a. 238 nomina exhibet. de hominum condicione idem valet, quod in ceteris terris.

ex his omnibus adparet Accepti nomen bona vel etiam optima aetate floruisse Romae, in Italia, in Galliis Cisalpina et Narbonensi, in Africa, posterioribus temporibus in Illyrico et in Germania utraque.

Acepta una C scriptum est in titulo V 6645 ad ripam occidentalem lacus Verbani invento.

Plautus in Capt. 714 servom dicit acceptissimum.

Actus

hoc nomen omnino segregandum est ab eo quod est *Actius* derivato a promunturio proelioque ibi commisso, in cuius memoriam satis multos gentis Iuliae servos Actios esse vocatos hodie quoque tituli docent. sed ut exempla recto casu scripta si in -io- desinunt aperte externae sunt originis (nam participia perfecti suffixo -io- aucta fere numquam cognominum locum habent), ita haeremus, quotiescumque genetivo casu nomen ponitur; neque minus gentilicii Actius, quod sane rarum est, origo latet. quapropter id tantum exemplum, quod dubium non est, hic ponam:

in titulo Saguntino II 3924 est . . .] ecilius Actus.

ab agendi verbo sine dubio ductum est; vim puto esse activam, cf. nomina Agens, Agentius.

Acutus

hoc cognomen *Romae* servis frequenter imponebatur incipiente imperatorum aetate; haud pauca exempla certe etiam saeculi alterius sunt, sed post id temporis spatium nullus iam usus eius fuit. neque unquam honestioris loci hominibus placuit.

Ostiae XIV 288 libertinus homo est saeculi primi vel secundi. *Pompeiis* iam a. u. 751 servos Acutus invenitur (IV 2450). idem, quod de exemplis urbanis dicendum erat, cadit in ea, quae in *Piceno,* in *Etruria,* in *Campania,* in *Paelignis,* in *Vestinis* prodierunt admodum pauca. neque aliter iudicandum esse puto de *Galliae Cisalpinae* titulis fere decem. *Galliae Narbonensis* tituli paucissimi, qui ad *Narbonem* et *Aquas Sextias* spectant omnes, libertinos homines saeculi primi, nec non, ut videtur, secundi praebent.

qui in *Germania infer.* a. 187 mortuus est Ti. Ulpius Acutus (Bramb. 314), sing. cos. fuit. in *Hispania,* si vasa nonnulla eximis, *Hispalis* sola virum dedit hoc nomine praeditum, C. Atenium Acutum (II 1213).

in *Africa* nomen Acuti aliquotiens invenitur in ea regione, quae inter oppida Lambaesim et Cirtam sita est. ut primo secundoque, ita etiam tertio p. C. saeculo his locis nomen in usu fuisse docet Iuliorum gentilicium et titulus VIII 2564 in castris Lambaesitanis inventus, qui positus est imperante Caracalla. et hic quidem militem praebet legionarium, cum in ceteris inscriptionibus vitae condicio, tenuis certe, taceatur. Cirtae et in huius oppidi vicinia mulieres quoque duas hoc nomine usas esse (VIII 6207. 19613) notandum est.

pauci tituli sparsi erant per *Noricum*, unus est *Pannoniae inferioris.* horum pars tertio saeculo videtur scripta esse, cuius aetatis est miles legionarius Acutus adpellatus, cum in lapide antiquiore libertinus sic nominetur. in *Dalmatia* hominem libertinum habemus saeculi primi vel secundi, mulierem Acutam vix ante saeculum tertium natam. his accedit testis Salonitanus in diplomate militari Herculanei reperto anni 70 (X 1402). in *Britannia* nostrum nomen non inveni nisi in vasculo uno.

in posteriora tempora Acuti nomen non durasse vel inde adparet, quod Christiani eo usi esse non videntur.

Adauctus

Romae hoc nomen haud ita raro inveni. tituli ostendunt utriusque sexus servos, libertinos, tenues omnino homines, qui vixerunt saeculis ut opinor secundo tertioque (cf. VI 29131. 2756. 12994).

Ostiensibus valde placuisse Adaucti nomen in aperto est, nam exemplorum numerus idem fere est Ostiae atque Romae. humillimi loci videmus homines, libertinos vel libertinorum filios, qui vixerunt magnam partem saeculo secundo fere medio. differunt autem Ostiensia exempla a Romanis eo, quod Ostiae mulieres Adauctae inveniuntur nullae. *Herculanei* (X 1403) unus Adauctus isque libertinus invenitur. praeterea paucissima exempla saeculorum primi, secundi, tertii habes *Tarracinae, Puteolis, Brundisii.* in *Venetia* Aquileia, Forum Iulii, portus Liquentiae singula dederunt exempla primi opinor vel secundi saeculi. (in titulo Aquileiensi mulierem Adauctam habes).

Carthagine saec. I exeunte vel II ineunte mulier humili loco nata hoc nomine praedita fuit (VIII 12662).

Adautus omissa C legitur in tabula exsecrationis VIII 12506 ibidem reperta; praeterea in titulo *Lambaesit.* VIII 4157 habemus M. Ulpium Adautum.

Carnunti et *Aquinci* tres inveni Adauctos, quorum duo libertini sunt, unus magister collegii veteranorum centonariorum; vixerunt fortasse saeculo tertio.

his adde Adauctum martyrem aetatis Diocletianae (cf. Ihm Dam. ep. 7).

Adcultus

Vasione XII 1304: Adcultus Vassedonis f.
hoc nomen haud scio an latinum non sit.

Ad(d)uctus

hoc cognomen una D littera scriptum *Lambaesi* habuit C. Caecilius, vir ingenuus quidem, ut videtur, sed certe humilis (VIII 4086).
cf. Tac. ann. XIV 4: 'modo familiaritate iuvenili Nero et rursus adductus, quasi seria consociaret.'

Adeodatus

hoc nomen in titulis paganis non invenitur. legitur in titulo *urbano* VI 10030, ex quo fragmento plane nil efficitur. *Ostiae* (XIV 231) centurionem habemus christianum a. 386. *Mediolanii* (V 5683) habes Adeodatum presbyterum depositum a. 525. ibidem alius fuit Adeodatus et ipse christianus (V 6267). *Ravennae* Adeodatus strator inlustris depositus est a. 596/97 (XI 300). *Nolana* inscriptio X 1365 Adeodatum archipresbyterum praebet. in *Sardinia* fragmentum tituli christiani (X 7745) nomen Adeodatae exhibet; idem etiam in gemma legitur (X 8061,4).

in *Africa* temporibus christianis maxime in usu fuisse hoc nomen tituli docent inventi imprimis Carthagine; ubi effossionibus nostra aetate factis septem exempla christiana prodierunt (VIII 13437—40; 13784, 14120 seq.). nec desunt exempla sparsa per ceteras regiones. haud raro his locis *Adeudatus* scriptum est (vide titulum Syracusanum Graecum I. G. S. I. 66, in quo est ΑΔΕVΔΑΤΑ; exemplum urbanum habes ap. Wuensch. 'Seth. Verfluch.' p. 19). his exemplis Africanis bene accedit nomen Adeodati quod Augustinus filio imposuit.

novimus Adeodatum, diaconum Romanum (cf. Rossii Inscr. Chr. II 6936, a. p. C. 474). episcopos saeculi V invenies in Vincentii De-Vit onomastico latino.

adparet igitur Adeodati nomen maxime saeculis quinto et sexto viguisse.

cf. Rossi IChr. II 6936: 'a deo sic datus altari fuit ille minister.'
similia sunt nomina Deodatus et Deusdedit (VIII 13422).

Adeptus

nomen Adepti invenitur in titulis *Italicis* bono tempore; fuit enim iam a. 40 Pompeiis in usu; utriusque sexus servis ingenuisque tenui loco ortis imponebatur. ad alias autem terras nominis usus pervenisse non videtur; quamquam vasculo in Asia reperto (III 7209 a) ADEPT inscriptum est.

Pompeiis hoc nomen occurrit in inscriptione a. 40/41 (X 904); ibidem tabula cerata IV 3340,61, quae medii saeculi primi est, habet M. Helvium Adeptum; *Capuae* duas Adeptas inveni, mulieres libertinas (X 4193. 4319). in titulo *urbano* VI 23975 vir ingenuus

alio praenomine atque pater praeditus Adeptus vocatur. *Mediolanii, Genuae, Patavii* singula prodierunt exempla. in titulo *Veleiate* XI 1147 Adeptum habemus mortuum aetate Traiana.

aperte quod sit recentioris aetatis exemplum novi nullum.

verbum apisci passivo sensu usurpat Plautus in Trin. 367. eandem vim participium adeptus saepe inde a Sallustio apud scriptores Romanos habet. neque dubium est, quin hoc modo nomen intellegendum sit; vide etiam adiectivum adepticius (Woelffl. in Arch. vol. V p. 425).

Adiectus

hoc nomen, quo utebantur servi, libertini, ingenui humili loco nati, et viri et mulieres, iam *Herculanei* invenitur et videtur utique ad bonam aetatem referendum esse; rariores enim sunt ei tituli, quos saeculis secundo posteriorive attribuere cogimur.

Romae minime rarum fuit; nonnullos habemus T. Flavios: VI 17979. 17980. 18054. libertinum praebet titulus VI 44, a. 115. in titulo VI 19027 *Aiectus* scriptum est omissa D consona (cf. titulum Africanum VIII 8637 a. 527 (?), in quo est Aiutor pro Adiutor). *Ostiae* duo inveni exempla. duos libertinos exhibent tituli *Herculanenses*. praeterea singula exempla habes *Velitris, Atinae, Venafri, Puteolis, Cuprae marit.*, bonae aetatis omnia. in *Etruria* nominis memoriam servaverunt tituli Volsinienses, Clusini, Florentini, Pisani saeculis secundo et tertio scripti.

semel invenitur in *Gallia Cisalpina* lucernae inscriptum (V 8114,87). *Galliae Narbonensis* tituli nonnullos homines humillimo loco ortos praebent. in *Illyrico*, si excipis unam tegulam Pannoniae superioris (III 11390), exempla inventa non sunt nisi in *Norici* parte meridionali qua ad solis ortum spectat. mulier quod his locis nulla invenitur casui tribuam. in *Africa* pauca exempla satis bonae aetatis inveni. in *Hispania* vasi, in *Britannia* amphorae Adiecti nomen inscriptum est.

Adiectus is dictus est, qui priorum liberorum numero (cf. nomina quae sunt Secundus, Tertius, Quintus, al.) aut familiae adiectus est.

Aditus

Tarracinae in titulo bene scripto X 8264 legitur L. Pomponius L. f. Ouf. Aditus (libertini filius est).

Aditus est qui adiit, sicut Adventus qui advenit.

Adiutus

in titulo III 1473 *Sarmizegetusae* invento est Aelia Adiuta, uxor Comini Celerini, pontif. col. eq. R. trib. leg. Ulpiam Adiutam, C. Caesi C. f. Papiria Ingenui uxorem praebet titulus *Poetovionensis* III 4071. nomen Adiuti legitur in titulo columbarii *Romani* VI 5599.

confer nomina Adiutor, Adiutrix (III, VIII).

Adlectus

huius humillimorum virorum cognominis exempla quae extant rarissima maxime ad saecula secundum et tertium videntur spectare. nam in titulo *urbano* a. 205 (VI 1056) Adlectum habemus vigilem; aliquanto prioris aetatis opinor esse titulum VI 11015, qui libertinum exhibet. Adlectum servum *Carnunti* inveni (III 4414). *Bovillis* ita adpellatus est unus ex ordine adlectorum, qui L. Acilio L. f. Pompt. Eutyche archimimo a. 169 titulum dedicavit (XIV 2408). Allectum, Carausii socium, habes apud Aur. Vict. Caes. 39 et alibi.

Adoptatus

L. Papirius L. f. Lem. Adoptatus est in titulo *Piceno* IX 5523. hoc nomen idem fere valere puto atque Optatus, cf. adamandi verbum.

Adoratus

hoc nomen legitur in titulo *Rhenano* n. 1369 (Bramb.). idem fere significat atque nomen Orati; cf. Liv. 6,12: cum pacem deum adorasset.

Adquisitus

Adquisitus nomen est vinarii saeculi quarti, qui fraude pecuniam sibi vindicavit (VI 1766). adquirendi cupidinem ipso nomine parentes significari voluerunt.

Adventus

nomine Adventi saeculis maxime secundo, tertio, quarto homines usos esse tituli haud rari demonstrant. sed fere omnes humili vel adeo servili loco orti sunt, quamquam iam exeunte saeculo secundo vir nomine Adventus consulatum adeptus est, neque hic solus maiore fruebatur dignitate. videtur enim huic nomini id non accidisse, quod ceteris a participiis oriundis paene omnibus accidit, ut servis destinata procedente tempore ingenuis quoque ac nobilibus imponerentur hominibus; immo pariter servis et honestioribus hominibus inditum est.

urbana exempla non optimae aetatis sunt; videmus praeter infimos homines C. Caelium C. f. Arventum domo Lucanum eq. coh. V. pr. (VI 2572) et Seium Adventum vigilem a. 205 (VI 1056). nobilissimus autem fuit L. Antistius Burrus Adventus a. 178 in Saliorum Palatinorum collegium cooptatus.

in *Latio*, in *Etruria*, in *Apulia*, in *Sicilia* singula exempla dederunt Tusculum, Velitrae, Blera, Luceria, Thermae Himeraeae. unum inventum est *Piquenti* in Histria, unum *Arelate*.

his accedunt paucissimi *Germaniae* utriusque tituli, e quibus adfero titulum n. 1791 (Bramb.) a C. Iulio Advento bf. cos. positum a. 181.

in *Africa* hoc nomen non remotius fuit ab usu, quam in Italia; reperies enim Adventos (et Adventam unam) Lambaesi, Dianae, Rusicade, Calamae, Thagaste, Thabracae, qui si non omnes servi vel libertini fuerunt, tamen infimo certe loco nati sunt.

restant Septimia Adventa, militis praetoriani filia, quam habet titulus II 2102 in *Hisp. Baetica* inventus, et Adventus, cuius nomen legitur in vasculo III 6010,2. praeterea Antistios Adventos habes hos: .. Ant. Adv. leg. Augg. pr. pr., cos. des. in Arabiae titulo III 92 add., . Ant. Adv. leg. Aug. pr. pr. in Germaniae inf. titulo n. 55 (Br.), Ant. Adv. leg. Aug. pr. pr. in Britannico titulo VII 440.

itaque hoc adparet extra Italiam Africanasque provincias paucissimos hoc nomine esse usos. ceterum non tam mulieribus, quam viris imponebatur.

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) Advento in Dalmatia ara dedicata est (III 6340 = 8303).

litteram D ante consonas labiis expressas in latino quoque sermone antiquo vicariam accepisse R notissimum est, cf. SC de B.: 'arvorsum, arfuise', et grammaticos, velut Priscianum, qui dicit (inst. I 45): antiquissimi pro ad frequentissime ar ponebant, arvenas arventores arvocatos arfines arvolare arfari dicentes pro advenas e. q. s. Diomedes II 452,29 K barbarismum vituperat, qui fiat pronuntiando arvenire pro advenire. C. Caelium C. f. Arventum (VI 2572) supra vidisti, Arventiam caput sequens exhibebit.

Adventus is est, qui nunc advenit, vel nuper advenit, de qua varietate vide Brugmanni verba in stud. indog. V p. 92 sqq. simplicem huius participii formam libri non servaverunt, sed latet suffixo -icius aucta in adiectivo adventicius, quod ne Cicero quidem sprevit. (cf. Arch. f. lat. Lex. V p. 415 sqq.)

Advocatus

hoc est equi nomen in tabula exsecrationis Graeca, quae prodiit *Carhagine*: VIII 12511. scriptum est semel OY diphthongo bis B consona.

Advocatum christianum Vincentius De-Vit adfert in onomastico.

Agnitus

Aelius Agnitus Canopo paedagogus est in titulo *Lambaesitano* VIII 3322. Agnitus est is filius, quem pater agnovit tamquam legitimum et suum.

Allatus

servos hoc nomine utitur *Romae* VI 5689, libertinus *Arelate* XII 720 (saec. I). Allati nomen quid valeat in aperto est; cf. dotem afferre, se aliquo afferre.

Alsus

de Also pastore loquitur Vergilius in Aen. XII 304. Ti. Flavium Alsum Vincentius De-Vit affert ex titulo Gruteriano.

num Graecum est ἄλcoc? an ab algendo ductum? cf. nomen Alsius et Alsam, quae praefluxit Aquileiam (Plin. n. h. III 126).

Amatus

hoc nomen ad cetera nomina ab eodem verbo oriunda et ipsum gentilicium Amatius rarissime invenitur. cum enim iam ineunte octavo u. c. saeculo in usu fuisse probetur gentilicio Amatius, quod liberae reipublicae titulus praebet, neque illa aetate videtur frequens fuisse, neque postea fuit, et paucissima in titulis nobis reliquit vestigia, quorum recentissimum est saeculi fere quinti.

multo magis Romanis placuerunt nomina Amandus et Amantius, saeculo primo fictum utrumque.

Romae semel inveni in titulo saeculi ut opinor secundi VI 23517. praeterea tituli *Puteolani, Pompeiani, Atellani* singula dederunt exempla, quorum antiquissimum videtur esse in titulo Atellano X 3744 Caesaris Augusti fere aetate scripto. iam deficiunt exempla Italica.

unum idque christianum habes *Albae Helvorum* XII † 2661. Amatam unam inveni in *Africa* VIII 16764. in *Hispania Baetica* titulus II 5463 Amatum actorem praebet. superest titulus *Dalmaticus* III 1734.

hi homines omnes infimo loco videntur nati esse.

Amatae (an Amita secundum Dionysium rectius vocatur?) regis Latini uxoris, et virginum Vestalium, quae Amatae inter capiendum a pontifice maximo adpellabantur (Gell. I 12) mentionem fecisse satis habeo (cf. Buechel. in Mus. Rhen. vol. 53 pag. 206).

Ambustus

Ab amburendo Fabii Ambusti cognomen acceperunt, quorum primus consulatum adeptus est a. u. 312.

per unum fere saeculum hoc nomen in gente Fabia viguit; tum in eius locum substitutum est cognomen Maximi.

sine dubio fulminis ictus primo Ambusto cognominis causa fuit. Servius enim ad Aen. II 649 memoriae tradit haec: 'sane de fulminibus hoc scriptum in reconditis invenitur, quod si quem principem civitatis vel regem fulmen afflaverit et supervixerit, posteros eius nobiles futuros et aeternae gloriae', et Fabium quendam, cui Eburno cognomen erat propter candorem, Festus tradit (p. 316 Thewr.) pullum Jovis esse dictum, quod natis eius fulmine icta fuerit. similis causa Arsis et Assatis videtur nomina dedisse, vel fortasse ignis, qualis exarsit in capite Servi Tulli (Liv. I 39).

Ampliatus

hoc cognomen videtur ortum esse ineunte saeculo p. C. primo: servis initio imponebatur et in usu servorum mansit, licet pauci Ampliati altioris dignitatis gradus adepti sint. frequentissimum fuit

saeculis primo et secundo, tertio autem magis magisque exolevit; raro enim homines eo praediti praenomine carent. patria, ut ita dicam, nominis *Italia* est, cuius fines transeunti raro occurrit. atque in *Germaniis* et in *Britannia* omnino in usu non fuit; unum exemplum dedit *Gallia Narbon.*, trina *Hispania* et *Illyricum* rursus frequentior fuit in *Africa* nominis usus.

haec paucis exemplis inlustrabo:

Romae

VI 4626 Ampliatus, in columbario, quod maxime Augusti Tiberiique aetate in usu fuit.
VI 7317 Q. Volusius Ampliatus, libertus consulis a. 56.
VI 8623 T. Flavius Aug. lib. Ampliatus.
VI 28615 Flavia Aug. lib. Ampliata.
VI 10350 decurio collegii alicuius, imperante Vespasiano.
XV 518 Ampliatus, dominus praediorum, saec. II fere ineunte.
VI 975 unus libertinus, duo ingenui, a. 136.
VI 1056 sq. tres vigiles, a. 205.
VI 586 servos; certe post Marcum.
VI 10840 Ampliata, uxor Aureli Aug. lib.....

si titulos urbanos excipis, maior titulorum Italicorum pars in Italia media, *Latium* dico et *Samnium Campaniamque,* prodiit. pauciora exempla inventa sunt in *Piceno* et in *Sabinis*, in *Vestinis*, in *Aequiculis.* reliquae Italiae regiones et meridionales et septemtrionales rarissime hoc nomen dederunt, nec frequens eius usus fuit in *Gallia Cisalpina.*

in *Ligurum Baebianorum* oppido IX 1455 Ampliatus, a. 101.
Herculanei X 1403 tres homines, quorum duo certe libertini fuerunt.
Pompeiis X 8047, 6 et 7 C. Cluentius Ampliatus.
X 847. 848 N. Popidius Ampliatus, pater N. Popidi Celsini, qui aedem Isidis terrae motu anni 63 conlapsam restituit.
Nolae X 1272 (aetatis indicium est diphthongus EI).
Stabiis X 769 C. Cornelius Ampliatus, domo Dyrrhachinus, a. 52.
Ostiae XIV 505 T. Aelius Aug. lib. Ampliatus.
XIV 246 Ampliatus, saec. II fere medii.
Tibure XIV 3637 T. Aelius Aug. lib. Ampliatus.

de *Galliae Narbonensis Hispaniaeque* exemplis paucissimis iam dixi; nec minus de *Daciae Dalmatiaeque* titulis.

Lambaesi nomen Ampliati satis usitatum videtur fuisse; item bona utique aetate *Carthagine.* accedunt singula oppidorum *Sigus, Hipponis Regii, Siccae* exempla.

semel *Romae* (VI 14918) P consonam N praecedit. B pro P scripta est in titulo IX 4124. in titulo Attico CIA III 1892 est ΑΝΒΛΕΑΤΟΣ.

Angulatus

imperante ut videtur Traiano *Romae* eques singularis natione Noricus hoc nomine praeditus fuit: VI 3295. spectat ad corporis formam.

Anisatus

'Anisatus f.' legitur in duabus patellis *Britannicis* VII 1336, 68 a. b.

confer nomen Fabati aliaque similia.

Apicata

hoc fuisse nomen uxoris Seiani Tacitus refert in ann. IV 3 et 11 vide nomen Apicatii.

Arcessus

in *Nemansensi* lapide mutilato hoc nomen genetivo casu positum est. sicut in arcessendi verbo littera D mutata est littera R, accedendi quoque verbum a nonnullis littera R pronuntiatum esse potest; unde ortum est participium arcessus, ut ab adveniendo adventus. confer nomina Cessus, Concessus.

Argutus

invenitur in *Gallia Cisalpina* et in *Africa*. pauci eo utebantur.

Altini Garrulus pater suum ipsius nomen imitando filio Arguti nomen dedit: V 2231. adde titulos *Brixianum* V 4255, *Mutinensem* XI 900. in *Africa* duo inventa sunt exempla, alterum Thignicae VIII 15070, quod saeculi fere tertii est, alterum Carthagine VIII 12508, ubi equos nomine Argutus devovetur.

Argutum episcopum saeculi V habes in Vincentii De-Vit onomastico.

Armatus

hoc nomen equos gerit *Romae* VI 10056.

Armatus consul fuit a. 476.

Arsus

hoc nomen habes in titulo *Auziensi* VIII 9054 vix ante saeculum tertium scripto. vide nomen Assati et Ambustos Fabios.

confer etiam nomina Arsius, Arsinius, al.

Artus

in *Pannonia sup.* III 4376 tur(ma) Arti.

Ascitus

num revera hoc nomen intellegendum sit in titulo XII 3024 dubitatur.

Assatus

Assatus et Assata inveniuntur in *Hispania* II 1138. 1457. cf. Ambustos Fabios, al.

Astutus

hoc nomen rarissimum legitur in titulo *Gall. Narb.* XII 2636 aetate recentiore scripto. Astutam mulierem praebet inscriptio *Mastarensis* VIII 6517 fortasse non recte nobis tradita.

Atonitus

nomen equi *Carthaginiensis* VIII 12504.

hoc nomine haud invenuste equi natura designatur, quae vel minimo strepitu concitatur atque perturbatur; cf. Sil. VI 230 sqq.: 'omnis anhelat attonitus serpentis equus, frenoque teneri impatiens crebros expirat naribus ignes.'

Auctus

hoc nomen servis imponi coeptum est ea fere aetate, qua respublica libera esse desiit. brevi maximo in usu fuit; cum autem per duo saecula viguisset, tertio exolevit; urbanorum enim titulorum, qui sunt sescenti, nullus praenomen omisit. servi, libertini, brevi etiam humilis loci ingenui hoc nomine vocabantur inde ab ortu eius usque ad interitum, honestiores vero omnino eo abstinebant.

longe plurima exempla ipsa urbs *Roma* dedit, ubi columbariorum tituli docent, quam tritum hoc nomen iam incipiente imperatorum aetate apud servos fuerit. libertinam esse condicionem plerumque clare dicitur. recentissimi eorum titulorum, quorum aetas certa est, duo sunt incipiente saeculo tertio scripti. haud parvam exemplorum copiam habes in titulis *Latii Samniique*, maiorem in *Campanis*. rarius autem hoc nomen occurrit in *Piceno*, in *Sabinis*, in *Aequis*, in *Marsis*, in *Paelignis*, in *Etruriae* regionibus meridianis, in *Apulia*, in *Lucania*, in *Calabria*, in *Sardinia*, in *Gallia Cispadana*. si ipsa oppida, in quibus amplius duo huius nominis exempla prodierint cognoscere vis, nota haec: Ostiam, Capuam, Puteolos, Pompeios, Beneventum, Venusiam, Mutinam. Veronae in *Gallia Cisalpina* iam a. u. 753 servos hoc nomine praeditus fuit. satis multa exempla in hac terra inventa sunt, quorum maior pars pertinet ad Venetiae Histriaeque oppida Aquileiam, Concordiam, Patavium, Ateste, Polam. nonnullos praeterea titulos habes Veronae et Mediolanii, paucos in ea Galliae Cisalpinae parte quae ad occidentem spectat.

in *Gallia Narbonensi*, si Narbonem excipis, non amplius duo habes exempla; Narbonensium autem arta cum Italia coniunctio post multa testimonia hoc nomine haud male inlustratur; multi enim servi Narbonenses primo p. C. saeculo eo utebantur.

Venetiae titulis accedit unus *Emonae* in Pannonia sup. inventus; duos repperi *Delmaticos;* neque neglegam *Germaniae inf., Moesiae, Macedoniae, Boeotiae, Thraciae, Syriae* titulos singulos.

Hispani tituli paucos habent Auctos; nonnulla exempla inveniuntur Tarracone, Barcinone, Carthagine, Turgalii, Ilipae, Abderae, Gadibus, Asturicae Augustae.

in *Africa* paucissimi homines hoc nomine praediti fuerunt, tres in prov. Numidia, singuli Carthagine et Auziae in Mauretania Caesariensi.

adparet igitur nomen Aucti esse mere Italicum.

Aucctus scriptum est in titulo urbano VI 12796. Sutoria *Auta* est in titulo Albensi IX 3992 (cf. Adautam Corfiniensem IX 3252).

restat ut nonnullorum certae aetatis titulorum numeros hic ponam.

Romae: Augusti aetate: VI 34. 6099. 6412. 3993. 21696. imperante Tiberio: VI 3976. 4382. saec. I fere medio: VI 7300. 7330. a. 198/210: VI 1060. a. 205: VI 1057,2,44.

in ceteris *Italiae* oppidis: aetate imperatorum incipiente: X 6493,6. a. 32: X 899. a. u. c. 753: V 3257.

ex eis, quae dixi de infima omnium Auctorum condicione, adparet opinor eum, ad quem Cicero ad fam. XIII 50 scripsit, nullo modo hoc nomine posse praeditum fuisse.

auctum non eum tantum esse, qui crescendo maior est factus, demonstratur comparativo auctior et auctificandi verbo. atque augendi verbum non ad magnitudinem solam pertinet, sed etiam ad felicitatem dignitatemque; ita parentes dicuntur augeri liberis, ita Peleus taedis felicibus auctus (Catull. 64, 25), ita divi res gestas gerendasque bene iuvant, bonis auctibus augent (Liv. 29, 27), ita denique Isaac est auctus benedictione Domini (Gen. 26, 29). adde his glossam cod. Amplon. (corp. gloss. 5 p. 263): 'Agusta sancta aucta. nostro igitur sermone Auctus sit 'der Gesegnete.'

Audita

Flavia Audita, M. Munati Telesphori coniux, est in titulo *urbano* VI 22672 saeculo ut opinor secundo scripto. confer quae ex verbo κλύειν Graeci finxerunt nomina, ut Κλύμενος, al.

Avitus

ab avo multa Romanis ficta sunt nomina: Avelius, Avena, Avius, Avianius, Avidius, Avidienus, Aviedius, Avienus, Aviullus; fortasse Aveia Vestina indidem originem traxit.

nunc Aviti nomen mihi tractandum est, nomen tam humilium quam nobilissimorum hominum, notum in Hediorum Lollianorum gente patricia, quippe qua ortus sit L. Hedius Rufus Lollianus Avitus a. 170 in Saliorum Palatinorum collegium cooptatus. ne Chri-

stianos quidem hoc nomen sprevisse documento est Alcimus Ecdicius episcopus Viennensis saeculi V exeuntis.

servile nomen non fuisse lapidibus quoque probatur, qui humilem quidem permultorum Avitorum testantur condicionem, libertinum autem diserte quod sciam non amplius unum nominant, hominem saeculi primi fere medii (VI 8634). sed fac plures servos eo usos esse, tamen casu accidisse non potest, ut columbaria hoc nomen plane taceant. inde a saeculo primo medio usque ad sextum (IX 6219) Avitos in titulis legimus, maxime autem saeculo secundo; pauci enim praenominibus carent. inveniuntur ut par est milites aliique tenui loco orti homines permulti; neque vero desunt honestiores, quales sunt magistratus municipales et ipsius urbis Romae.

longe plurima exempla prodierunt in *Hispania* et in hac terra *Lusitania* ceteras regiones frequentia antecellit; atque ut hic maxime Olisipo Collippoque nominis memoriam servaverunt, ita alia quoque Hispaniae oppida haud procul a mari sita.

non parvam exemplorum copiam dedit *Gallia Narbonensis,* qua spectat ad Italiam; paucissima autem sparsa sunt per regiones *Rhenanas.* nonnullos Avitos inveni in *Gallia Cisalpina,* ac maxime in Venetia. in titulis *urbanis* fere viginti exempla occurrunt; adferendos puto nonnullos equites singulares saeculi secundi et milites praetorianos natione Thraces, Dacos, Noricos, Hispanos. praeter *Ostiam, Aquinum, Amiternum, Venusiam, Carales Campaniae* quoque oppida Avitos praebuerunt paucos. *Illyrici* et *Africae* titulos percensenti nonnulla se offerunt exempla. *Britannia* autem hoc nomen non servavit nisi in patellis.

iam pauca exempla enumerabo, ex quibus et tempora et hominum condiciones possis cognoscere.

saec. I: VI 8634 (libertinus)
III 7397 (centurio)
XV 437.
a. 92 XIV 245
saec. II: II 4193 (flam. prov. Hisp. cit.)
II 4277 (II vir)
II 5221 (II vir)
II 5354 (II vir)
XII 81 (II vir, flam. Aug. prov. Alp. mar.)
VIII 8456 (II vir)
a. 120: VI 2404 (mil. coh. urb.)
a. 121/2: II 186 (II vir)
a. 171: VI 2382 (praetorianus)
a. 191: CIRh. 1752 (centurio)
saec. III: III 10436
a. 205: VI 2407 (vigil)
a. 221: VI 3058 (vigil).
clarissimus puer VI 11724.

Auspicatus

hoc nomine nonnulli viri mulieresque utebantur saeculis primo, secundo, tertio; atque non humillimi tantum eo praediti erant, sed honestiores quoque, ut aedilis Lanuvinus. urbs *Roma* tria, *Lanuvium, Nemausus, Aspendus Pamphyliae* singula dederunt exempla.

accipe voluminum titulorumque numeros:

VI 13423a
VI 10229, 18: a. 108
VI 27957
XIV 2114
XII 3426 (litterae sunt saeculi III).

participium quod est auspicatus Romani ab eis rebus, pro quibus auspicia capiebant, transferebant ad res felices faustasque; lege Plini n. h. VII 47: 'auspicatius enecta parente gignuntur.'

Barbatus

a barba Romani nomina duxerunt haud pauca. num iam antiquissimis temporibus ipsam barbae vocem pro nomine habuerint, nescio; sed noti sunt Aemilii Barbulae, consules a. u. 437—524 (cf. Mommseni quaest. Rom. I p. 112). saeculo u. c. octavo habemus Cassium Barbam, Caesaris et Antoni amicum (cf. Cic. Phil. XIII 2, 3). in titulo eiusdem aetatis I 625 legitur N. Vibidaius Barbo. gentilicii, quod est Barbius, tituli fere soli memoriam servaverunt; frequentissime enim invenitur in Venetia Histriaque et in Norico, ubi iam ineunte saeculo primo extabat (III 4815).

his vero nominibus omnibus antiquius est nomen Barbati, quippe quo usi sint M. Horatius cos. a. u. 305 et L. Horatius tribunus militum consulari potestate a. u. 329 et L. Cornelius Scipio cos. a. u. 456, quem celeberrimus titulus I 30 laudat.

iam vide titulos. hi pauci admodum neque optimae aetatis sunt et homines indicant humillimo loco natos. atque *Romae* VI 1056 est Manilius Barbatus vigil a. 205, VI 2565 Barbatus centurio eiusdem fere aetatis. num hoc nomen etiam in vasculo *Pompeiano* X 8055, 10 intellegendum sit, incertum est. *Babatum,* omissa R consona, habes in titulo *Carthaginiensi* christiano VIII † 14170. Ulp. Barbatus fuit in titulo *Dacico* mutilato III 923, Barbatum servom praebet inscriptio *Baetica* II 2332. Barbati nomen equo est in titulo urbano VI 10053 (fortasse ita dictus est, quia crines in ore habuit).

audi quae Cicero dicit p. Sest. 8: 'quam taeter incedebat! quam truculentus! quam terribilis aspectu! unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen rei publicae diceres intueri.' et glossam 'barbatus: operarius, intimidus, incorruptus' (cf. Loewii Prodrom. p. 61).

Beatus

rarum servorum humillimorumque hominum nomen, obvium in *Italia, Dalmatia, Africa. urbana* exempla optimae sunt aetatis; quorum antiquissimum est in titulo VI 28336 ineunte fortasse saeculo primo scripto. Beatae duae inveniuntur in columbariis VI 5596. 6415. saeculo primo vel altero videtur scriptus esse titulus *Praenestinus* XIV 3328, in quo legitur C. Billienus C. l. Beatus. exemplum christianum prodiit *Salonis* III † 9556. *Africani* tituli duo, alter Macomadibus inventus (VIII 10773), alter Auziae (VIII 9153), saeculi tertii ni fallor sunt. incerta autem lectio est tituli *Carthaginiensis* christiani VIII † 14127.

Benedictus

'et ipsos (pisciculos) benedixit' legimus in evangelio Marci VIII 7. atque hoc modo iam saeculo primo volgus locutum esse docet magister in Petroni sat. 58 cum dicit: 'cave maiorem maledicas'. cui benedicitur, benedictus vocatur, ut, qui laudatur, laudatus est (conf. Brugmanni verba in quaest. indog. V p. 102). quo verbo libertini ornantur in titulis, ut exemplis utar, VI 15406. 24634. 14199. 16932. contrarium est maledictus, qua voce Iulia increpuit filium (Spart. Geta III 3).

nomen ab hoc participio ortum esse videtur saeculo primo. atque initio servi humilesque eo utebantur, posteriore autem aetate ne a nobilioribus quidem spretum est, in quibus est Fl. Vivius Benedictus v. p. praeses prov. Tripolitanae medio saeculo quarto: VIII 11024.

christianis hoc nomen valde placuit, et duravit in ea saecula, quae nos media vocamus. invenitur autem maxime *Romae*, deinde in *Latio*, in *Campania*, in *Etruria*, in *Gallia Cispadana;* singuli tituli prodierunt *Salonis* et *Dyrrhachii;* singuli *Carthagine* et *Siccae*, duo in *Mauretania Caesariensi.*

exempla accipe haec:

Romae: XV 1376: officinator, saec. II med.

Ostiae: XIV 246 qq. collegii alicuius, a. 140.

Ravennae XI † 312 Benedictus christianus, a. 551.

Centum Cellis XI † 3566 Benedicta christiana, a. 516.

Carthagine VIII 12611 libertina, ut videtur, saec. I exeuntis vel II ineuntis.

Benegestus

pueros sine offensa in matris utero gestos et auspicate genitos adpellabant nonnumquam Benegestos, sicut Benenatos a felici natali. (eandem Varro putavit Gracchi nominis originem, cf. Charis. I p. 82 K.).

Q. Vennonius Benegestus est *Romae* VI 20692; Venegestus previter (sic) *Velitris* X 6635/36.

Benenatus

Romani, ut parientes nascentesque propriis commendabant numinibus, ita nomen quoque a felici partu finxerunt, quod est Benenatus. hoc nomen humillimis solis inditum, vix ante saeculum secundum videtur ortum esse, neque invenitur nisi in *Gallia Cisalpina,* in *Gallia Narbonensi,* in *Africa;* qua in terra duo antiquissima quae novi prodierunt exempla eaque ethnica (VIII 12666. 18378), cum cetera omnia christianis debeantur titulis. atque horum longe maior pars paucis annis abhinc *Carthagine* effossa est, quibus titulis bene accedunt episcopi Africani saeculorum quarti et quinti in libris traditi.

Benenati aut Benenatae nomen est in titulo *Mediolaniensi* christiano V 6278, qui a. 425 scriptus est. praeterea *Cremonae, Arelate, Massiliae* hoc nomen inveni. placuit igitur maxime christianis, et praecipue in Africa in·usu fuit; casu autem accidisse, ut praeter Carthaginienses duo tantum tituli Africani (VIII 18378. † 16396) hoc nomen praebeant, episcoporum quorum supra mentionem inieci demonstratur nominibus.

Blaesatus

hoc nomen a blaeso ortum est, ut bonatus a bono. legitur in titulo *Virunensi* III 11517 (= 4926): Ti. Iul. Blaesati l. Hospes.

Bonata

a bono Romani nomina finxerunt, quae sunt Bonus, Bonatus, Bonitus, Bonica, Bonicianus, Bonio, Bonosus; quorum partem video viros doctos linguae Celticae peritos pro Celticis habere. sed errant; licet enim haec lingua verba habuerit similia, tamen neque in Celticis tantum regionibus inveniuntur illa nomina, et multis analogiis lingua latina ea sibi vindicat. quid quod participium bonatus iam in Petroni sat. 74 legimus? sed qui nomina quae sunt Bonia et Boniatus Romanis abiudicabit, recte opinor faciet. nam non solum Boniae nomen, cum gentilicium non sit, a Romana nominum fingendorum ratione abhorret, sed haec duo nomina aperte Norica sunt et in barbarorum hominum titulis adparent.

Septimia Bonata, uxor veterani leg. II Ad. est in titulo *Pannoniae inferioris* III 3314 saeculo III, ut opinor, scripto. Tul. Bonatam habes in titulo *Mauretano* VIII 8742. Βοννᾶτος ἱερεὺς Τιβερίου Καίσαρος legitur in titulo Graeco apud Boeckh. n. 3461.

Bonitus

a bono non modo bonatus ortum est, sed etiam Bonitus; confer verba artare—artire, impetrare—impetrire, dolitus, fulgurare—fulgurire al. hoc nomen legitur in latere *urbano* XV 1680, quem Dresselius Diocletiano posteriorem putat; Bonita Iul. Vitalis filia est

in titulo *Moesiae inferioris* III 7482, Bonita Clodiae Crescentinae alumna in titulo *Salonitano* III 2248.

Bonitum habes in carmine apud Rossium inscr. Chr. u. R. II 118, 101; Bonitam apud Le Blantium inscr. de la Gaule n. 609, 8.

bona aetate hoc nomen ortum esse demonstratur gentilicio quod est Boniteius.

Bracciatus

a braccio libera etiamtum republica ductum est gentilicium Braccius (X 6233). in titulo *Casinati* christiano X 5830 est Rubenius Bracciatus. vix casu accidit, ut Braccium Fundis, Bracciatum Casini habeamus.

Bucatus

Bucati officinatoris nomen legitur in vasculo *Carnuntino* III 12014, 167.

confer bucconem et bucculentum (Plaut. Merc. 639).

iam bona aetate a bucca orta sunt gentilicia Buc(c)ii (X), Bucanii, Buccerii (VI), Buccionii (X), Bucconii (XII), Bucculii (XII), Buccinii (III), Bucleiae (IX; Buculeius est apud Cic. de or. I 39), cognomina Bucconis (Val. Max. VIII 3, 2), Buccionis (IX), Buccae, Bucculae,-i (XII, V), Bucani (XII), Buciliani (Cic. ad Att. 15, 17, 2).

Buturata

buturum Afris nominum fingendorum causam dedit; quae sunt Butura, Buturus, Buturaria, Buturarius, Buturicus. lapis VIII 2163 in vicinia *Thevestes* inventus nomen praebet Iuliae Buturatae, cuius maritum qui Masum adpellatum viderit, vix risum continebit.

buturum Plinius dicit barbararum gentium lautissimum cibum, et Aethiopes eo vesci solitos fuisse Strabo testis est (cf. Hehnii Culturpfl.[6] pag. 155).

mediam butiri syllabam volgus corripuisse Romanensibus docemur linguis (cf. Groeb. in Arch. I p. 254); quod probatur nominibus Butronii (X) et Butrionis (II). Buturro (II, VII) similis est vox butirro, qua hodie Itali utuntur.

Caligatus

a caliga signum accepit L. Cornelius Cato qui et Caligatus, centurio leg. III Aug., quem exhibet titulus *Lambaesitanus* VIII 2848.

Captus

Captum a Corinthis habet titulus *urbanus* VI 5847; Titus Valerius Kapti filius Gal. Valeriensis est in titulo *Hispano* II 3124 reperto in conventu *Carthaginiensi.*

Karitus

in *Sardinia* X 7876: Torbenius Karitus.

hoc nomen, si revera latinum est, ab adiectivo **carus** originem habet, ut a bono Bonitus.

Cartus

hoc nomen aliaque pauca, quae eodem prognata videntur genere, praetermittenda non esse censui, quamvis dubia sit eorum interpretatio ex Italicarum linguarum naufragio conlecta, et Celticae insuper linguae reliquiis turbari videatur. Celtae enim ex eodem vocabulo, a quo carus et caritas in latino sermone orta sunt, nomina finxerunt Carantii, Carati, Carantini aliaque similia. quae vel eam ob causam Romanis abiudicanda sunt, quia inter Celtas fere solos inveniuntur.

sed locorum grammaticesque ratione habita linguae Italicae pro suis vindicanda mihi videntur nomina quae sunt Cartus, Cartullus, Cartius, Cartilius, Cartorius; fortasse ex eodem genere sunt Carsius, Carsicius, Carsidius.

Cartus enim etymon habet ab eo verbo, a quo in Umbrorum lingua est kartu (II A 23, i. e. distribuito); cognata est vox carnis (umbr. karu, osc. carneis i. e. partis; cf. Buech. lex. It. XII). vide etiam Carseolos coloniam (Liv. X 3), et Carsulas oppidum Umbriae.

nomen *Carti* semel inveni in titulo *Samnitico; Cartullum* unum in *Africa; Cartios* tres *Ostiae; Cartilii* adparent in *urbanis* titulis undecim, in quinque *Ostiensibus*, in *Cumano* uno, in *Galliae Cisalpinae* titulis tribus, in uno *Africano. Cartorii* nomen semel *Romae* invenitur, semel *Ostiae,* semel *Puteolis,* ter *Patavii,* bis *Viceliae. Carsii* singuli reperiuntur *Arelate, Glani, Albae Pompeiae; Carsicius* unus *Cumis, Carsidia* una *Romae; Carsedia* una in *Piceno.*

M. Ulpius M. f. Cartus est in titulo Samnitico IX 6311.

(Casatus)

eiusdem originis atque Caso, casnar, Casinum (forum vetus, Varr. l. l. VII 29), Casilinum videntur esse nomina Italica Casidius, Casidarius, Casiennus, Casinius, Casineius, Casorius, alia; verum in Celtarum lingua videtur vocabulum fuisse casae non tantum forma, sed etiam significatione simile, a quo ductum est 'casamo' i. e. adsectator (Quintil. inst. I 5, 8) et, ut opinor, Casius deus (CIRh. 1458, confer deos domesticos). eandem originem habet nomen Casati Celticum, quippe quod in regionibus Celticis inveniatur; gentilicium Casatii est in titulo urbano VI 14471. quibus de causis haec nomina iure a nostra disputatione excluduntur.

Castata

Castae mulieres adpellabantur haud paucae. Castatam libertini hominis uxorem habemus in titulo *urbano* VI 1637, qui bonae aeta-

tis est. sane quae secuntur litterae nondum intellectae et spatium post CASTA relictum dubitationem adferunt, sitne revera ita legendum. neque vero grammatice refragatur; nota enim sunt participia bonatus, impuratus, vivatus al.

Catus

nomen satis antiquom. Catus miles Romanus est apud Sil. IV 139. notus est Sex. Aelius Paetus Catus iuris peritissimus, qui consul fuit a. u. 556. Aelium Catum consulem a. u. 757 habes apud Vell. II 103. Cati fontem dictum esse, quod in agro fuerit cuiusdam Cati, ex Festo tradit Paulus p. 45 M. Firmi Cati senatoris exilium Tiberius deprecatus est teste Tacito ann. IV 31. de Cato Deciano procuratore Aug. prov. Britanniae idem loquitur ann. XIV 32. nomen Cati legitur etiam in titulis sane paucis, qui prodierunt *Romae*, in *Galliis* Cisalpina et Narbonensi, in *Britannia*, maxime autem in *Africa*. scripti sunt saeculis primo, secundo, tertio, et excepto uno humillimos ostendunt homines.

Romae in monumento familiae liberorum Neronis Drusi VI 4372 Catus Germanici l.

in *Africa* VIII 10116 (et 10119) Q. Egnatius Catus leg. Aug. pr. pr., a. 76.

VIII 2564, 1, 23 Rutilius Catus mar(sus).

conf. Plin. n. h. VII 118: reliquis animi bonis praestitere ceteros mortales, sapientia, ob id Cati, Corculi apud Romanos cognominati.

Cautus

Cautus homo humillimo loco natus nominatur in fastis collegii alicuius, qui Antiatinis simillimi sunt, a. p. C. 50: X 6637. praeterea hoc nomen legitur in vasculo *Galliae Narbonensis* XII 5686, 211.

Celatus

a celando dicti sunt Celati. huius nominis exempla reperta sunt *Placentiae* et *Brixiae* saeculo primo scripta vel secundo; atque Placentiae eo praedita fuit mulier libertina (XI 1228), Brixiae vir ingenuus ingenui filius (V 4653). *Narbone* a Celato quodam manumissus est L. Aponius Eros, pistor candidarius (XII 4502). adde titulum XII 2565. in *Noricis* titulis duo occurrunt Celati (III 5417. 5700), unus invenitur in *Dalmatia* (III 3164 add. = 9816). 'Celatus aerarius fecit' legitur in inscriptione *Britannica* VII 180.

propter loca aliaque nomina in eisdem titulis scripta non abest suspicio, quin Celticum sit nomen.

Celsus

a cellendo, quod verbum praepositionibus obtectum in nonnullis verbis pernotis latet, ortum est participium celsus; hoc fausti

ominis causa inter nomina propria receptum ornavit viros, rarius mulieres. quin autem servis inditum sit primis vix est quod dubitemus; libera republica hoc nomine usos eos esse solos credam. sed certum est iam cum Christus nasceretur ingenuos nominatos esse Celsos, et quamquam non ante posteriora saecula servis nomen Celsi plane ademptum est, tamen iam primo saeculo, ni fallor, apud ingenuos magis, quam apud libertinos locum habuit. et cum anno p. C. 62 viro nomine Celso fasces dati essent, sequentibus annis multi Celsi consulatum adepti sunt.

plurima exempla inveniuntur in *Italia;* secundum locum tenent provinciae *Africanae.* atque *Romae* saeculis p. C. primo et secundo multi humiles, liberis patribus maximam partem nati, Celsi vocati sunt, saeculo autem quarto vir clarissimus hoc nomen gessit. in oppidis *media in Italia* sitis Celsi haud pauci magistratus obtinuerunt; vir clarissimus occurrit in titulo Canusino a. 223. rariora exempla, ex parte christiana, dedit *Gallia Cisalpina,* plura bonae utique aetatis *Gallia Narbonensis.* etiam ad *Rhenum* et in *Britanniam* milites hoc nomen adportaverunt. non frequens eius usus fuit in *Pannoniis,* in *Dacia,* in *Moesia,* in *Dalmatia,* nec plures inveniuntur Celsi in *Hispania;* nonnulli adparent in titulis *Atticis* aetate Romana scriptis. in *Africa* provincia proconsularis et Numidia, ut par est, ceteras regiones exemplorum frequentia antecedunt.

iam vide hos titulos, quos e magna copia eligendos putavi:

Romae I 1052 mulier libertina aetatis Accianae.
VI 5913 in columbario, quod maxime Augusto imperante in usu fuit.
VI 3178 P. Aelius Celsus, veteranus ex numero equitum singularium.
VI 1057,5,119 vigil, a. 205.
VI 1759 Ragonius Vincentius Celsus v. c., a. 389.

Pompeiis in parietibus saepe hoc nomen legitur. IV 416 P. Paquius Celsus aedilis ut fiat rogatur. IV 2467 ΚΕΛϹΑ libertina. X 902 L. Albucius Celsus, II vir, a. 34.

Herculanei X 1401 Celsus, a. 56.

in *agro Amiternino* IX 4436: libertinus. (scriptum est 'poseit').

Canusii IX 338 Celsus inter patronos c. c. v. v., et alter Celsus inter pedanos ordinis Canusini, a. 223.

Salerni X 526 T. Aelius Aug. lib. Celsus.

Sutrii XI 3254 Celsus pontifex, priore fere saeculi II parte.

Lanuvii XIV 2097 aedilis, a. 42/43.

in *Gallia Cisalp.* V 7153 Celsus, omnibus honoribus functus, imperante Traiano.
V † 1658 filius viri clarissimi.

CIRhen. 1558: Celsus, a. 169.

in *Hispania Baet.* II 1371 Celsus, qui postea legatus Aug. pr. pr. fuit, a. 128.

Norbae II 693: duovir, a. 194.
Tarracone II 4118 Celsus, imperante Caracalla, ut videtur.
Salonis III 2028 'Ti. Claudio Celso Ti. Aug. combio.'
Aquinci III 3432 Celsus consul, a. 164.
Carnunti III 4497 T. Flavius Celsus imperatoris lecticarius.
Troesmis III 6168 T. Cl. Celsus, p. p. leg. V Mac., imperante Pio.
CIL III D XXI Celsus, ex ala I Pannoniorum, quae est in Britannia; a. 103.
in *Africa:*
III D XIII Celsus, inter testes in diplomate militari Thebis in Aegypto invento, a. 86.
in *prov. Tripol.* VIII 24: II vir quinq., flam. perp., a. 163.
in *prov. proc.* VIII 1320 Celsus, imperante Hadriano.
in *prov. Num.* VIII 3050 Aurelius Celsus eq. ex singularibus.
VIII 7001 Celsus a militiis, imperante Caracalla.
Narbone XII 5088 C. Cornelius C. f. Celsus; hic titulus litteris saec. I incipientis scriptus est.

Census

P. Servius Census est in titulo *Venusino* IX 570. Voluntiliam C. f. Censam exhibet titulus *Galliae Narbonensis* XII 2473 litteris saeculi primi scriptus. ad ius civitatis hoc nomen referendum est.

Censitus

M. Naevium Censitum, coniugem Seiae M. f. Gaetulae, socerum Fulvi Faustini viri praetorii, avum Sabiniae Celsinae c. f. inveni in titulo *Cirtensi* VIII 7054/6. idem nomen videtur intellegendum esse in fragmento tituli *Thamugadensis* VIII 17903 e 12. confer nomen praecedens.

Ceratus

a cera est Ceratus, sicut a faba Fabatus.

Ceratum lib. habes in pariete *Pompeiano* IV 910; N. Edium Ceratum in IV 2638—40. ibidem tabula cerata IV 3340,40 exhibet L. Vedium Ceratum, a. 57.

Cessus

cessus est, qui cedit; vide glossas nominum (corp. gloss. II p. 572), in quibus haec est: 'cessiosus crebro dans locum'; et glossas Scalig. (corp. gloss. V p. 595), in quibus est 'cessiosus qui saepe cedit'. propter formam lege glossam Philox. (corp. gloss. II p. 21): 'antecessus ἔμπροσθεν βαδίζων.' cessus pro interpretamento est in libro glossarum (corp. gloss. V p. 177): 'cessare cessus esse'. 'recessior scaena' est apud Vitruv. 5,7.

in titulis exemplum plane certum non inveni; sed videtur nomen Cessae legendum esse in titulo *Lusitano* II 816.
confer nomina quae sunt Concessus, Recessus.

Cincinnatus

hoc notissimum antiquissimumque Quinctiorum cognomen legitur in titulo *Auximate* IX 5883: Statia Cincinnata. una N scriptum est in inscriptione *Baetica* II 988 corrupte tradita.

Cirratus

a cirro, qui et ipse nonnumquam nominis locum obtinet, fictum est nomen Cirrati inter servos haud rarum, quo usi esse videntur inde ab aetate Ciceroniana usque ad saeculum tertium. invenitur autem *Romae*, in *Gallia Cisalpina*, in *Gallia Narbonensi*, in *Pannonia superiore*. atque Romae tabella in monumento Statiliorum inventa Cirratum Germanum exhibet (VI 6231). 'Olus Hirtius Bubalus locu dedet donavit H[i]rtiae Ciratae (sic)' legitur in tabella VI 7093; Marcia Q. Ↄ. l. Cirrata est in titulo VI 22128; M. Aurelius Cirratus inter vigiles adparet a. 210 (VI 1058). equis quoque hoc nomen inditum est: vide VI 10053. 10056.

Montonensis titulus V 404 dedit Postumiam P. l. Cirratam. antiquissimum quod novi exemplum est in titulo *Tolosano* XII 5388 a. u. 707; cuius cum pars perierit, discerni nequit, utrum Cirratus ille ingenuus fuerit, an libertinus; sed satis est scire servos cum eo magistratum gessisse. incipiente saeculo primo *Narbone* mortuus est L. Cornelius Cirratus Ↄ. l. (XII 4724); ibidem invenitur G. Ogulnius G. l. Ciratus (sic): XII 4700 add. adde his titulum XII 2770. Iulia Annai filia natione Nerva, quam habes in titulo *Rhenano* n. 937 (Br.), hoc nomen (una R scriptum) praenominis loco gessit. semel nomen Cirratae invenitur in *Baetica* II 2151. Cantiae L. l. Cirratae positus est titulus *Emonensis* III 3857.

Citus (Cittus)

hoc nomen cur latinum esse negem causam video nullam, licet nomina quaedam barbarica, quae Holderus in thesauro linguae Celticae recenset, persimilia sint. excludenda ne ea quidem nomina puto, quae duabus T scripta sunt: Cittus, Cittius, Citto, Cittinus; nam etiam VIII 11594 citto adverbium legitur. Pompeiis huius nominis exemplum inventum est, et in titulo Africano Flaviorum alter Citus vocatur, alter Citior. Pompeianus ille titulus, in quo mulier cognomine caret servom exhibet Citum (X 910, conf. IV 1936). reliqua exempla omnia, excepta amphorae Gallicae (XII 5863,64) inscriptione CITI, quam alio modo fortasse intellegi oportet, in Africa inveniuntur. atque Flavii Citior, Felix, Citus sunt in titulo *Capsensi* VIII 136. *Ammaedarae* VIII 422 occurrit C. Titius Citus,

Lambaesi VIII 3618 Fla. Cit., *Thubursici Numid.* VIII 4938 Q. Cerellius Citus, *Auziae* VIII 9094 Clodius Citus, *Thignicae* VIII 15028 Sentius Citus sacerdos, saec. III, ut videtur. *Cittus* Terti f. in titulo *Galliae Cisalp.* V 6928. num in titulis urbis Romae, Aemiliae, Etruriae exempla reperiantur nescio; primo enim hoc nomen praetermiseram.

Citatus

hoc nomen inveni in nonnullis humillimorum hominum titulis saeculo tertio potius quam secundo scriptis, qui prodierunt in *Hispania* et in *Norico.* numeros adferre satis habeo: II 6301. III 4958. 4917=11516. 5054. 5263.

Cogitatus

cogitatus dictus est is, qui cogitat, sicut consideratus, qui considerat. conf. Plaut. Bacch. 612: 'animo indomito incogitato'; Lamprid. Alex. Sev. 16,2: 'ne incogitati dicere cogerentur.'

Cogitati Cogitataeque *Romae* et in oppidis *Italicis* saeculis primo, secundo, tertio non pauci homines nominabantur, humili loco orti fere omnes, sed ingenui potius, quam servi libertinive. idem docent tituli extra Italiae fines inventi saue rariores.

occurrit autem hoc nomen *Romae, in Campania,* in *Etruria,* in *Paelignis,* in *Samnio,* in *Venetia,* in *Gallia Cispadana,* ad *Rhenum,* in *Norico,* in *Pannonia inferiore,* in *Hispania,* in *Africa.*

graviores tituli sunt hi:

Romae XV 2487 Cogitatus servos, saec. I.
VI 2379a C. Arisius Cogitatus Faventia
b Cn. Terentius Cogitatus Luna
praetoriani, a. 144.
VI 2381b L. Fusidius L. f. Vel. Cogitatus, praetorianus, a. 155.
VI 1056. 7. 8. tres vigiles, a. 205 et 210.
Pompeiis IV 3340,37: M. Ubonius Cogitatus, a. 57.
in *Ligurum Baeb.* oppido IX 1455,3,82 Afinius Cogitatus, a. 101.
Veiis XI 3808 Vergilius Cogitatus, II vir, saec. III fere med.
Aquinci III 3457 Sept. Cogitatus custos armorum leg. II Ad., a. 231.
Attaleae in Pamphylia repertum est sigillum III 6740, in quo videtur legendum esse 'P. Quinti Cogitati.'

Cognatus

nomen rarissimum, cuius exempla novi haec:

Romae VI 9865 Caecilia Cosmiae l. Cognata.
Ostiae XIV 1132 C. Iulius Cognatus.
Pompeiis IV 215 Cognatus (qui rogat, ut M. Casellius aedilis fiat).
prope Naronam III 1847 P. Atilius Cognatus.

Cognitus

nomen admodum rarum, quod invenitur
Romae VI 13803: Caecilia Ↄ. l. Cognita.
VI 14155: C. Calpurnius Cognitus, Calpurniae Chrysidis filius.
Puteolis X 2316 Cognitus, Coeliae Symferusae filius.
Tarquiniis XI 3379 L. Papirius L. f. Stel. Cognitus, praef. fabr., IIII vir iur. dic.
his accedunt tituli Graeci:
Atticus: CIA III 1192: Ζώcιμοc Κογνίτου (saec. III).
Megaricus IGS I 105: ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμοc Μάγνον Κογνίτου ἀρετῆc ἕνεκεν ἀνέθηκαν.
Boeoticus IGS I 1777 Κρεπερήιοc Κόγνιτοc (saec. p. C. I).
idem nomen habuit Valaeria (sic) Conita (VI 13195); littera g ante N extrita est, sicut in nomine Paelinus (IX).

Collatus

M. Aufidius Collatus fuit miles leg. III. Aug. (VIII 3045).
hoc nomen a collo ductum est. an verius olim cum nomine Conferundus, cuius unum exemplum Caeliae inventum est (IX 277) coniungendum putavi?

Comatus

hoc nomen et quae ab eo pendent nomina vereor ne latina non sint. ut enim pro Gallicis habeamus et loca suadent, quibus inveniuntur, *Galliam* dico Cisalpinam, *Raetiam, Noricum, Daciam, Hispaniam, Numidiam,* et deminutio, quae est in nomine Comatulli, et nomen compositum Comatumari, cuius altera pars Celticam originem luculentissime testatur. atque de Celticae linguae nominibus ab eodem etymo principali fortasse ortis consulas Holderi thesaurum; mihi vero, dum nomina latina percenseo, ne hoc quidem praetermittendum est, quippe quod a linguae latinae regula non discedat (cf. praeterea Cincinnatus, Cirratus, Crinitus al.). quae conlegi exempla ante tertium saeculum fere medium scripta sunt omnia; atque videmus homines ingenuos quidem, sed tenui certe loco ortos. C. Iulius Comatus cornicul. cos. est in titulo *Tarraconensi* II 4155. eiusdem cognominis pars legitur in fragmento tituli *Lusitani* II 5141. barbarorum hominum inscriptiones in *Norico* inventae III 5417. 11711 praebent Comatum Boi filium, et Tertiam Comati filiam. L. Pullio P. f. Quir. Comato positus est titulus *Siguitanus* VIII 5840. adde vasorum lucernaeque inscriptiones II 4970,139, III 12012,33.
(vide glossam hanc: 'Comatus cura fit, comosus natura' corp. gloss. V p. 566).

Comesus

Comesum, M. Antoni Extricati filium, habes *Romae* VI 11989. hoc nomine eadem edendi indoles significatur atque nomine Masi (Masonis).

Commendata

Flaviae Commendatae titulus positus est a. Cn. Voluntilio Successo et M. Avieno Aedile (X 470=591).

Concessus

hoc nomen saeculo primo ineunte fortasse in usum receptum per tria fere saecula viguit et ne quarto quidem prorsus exolevit. atque servis raro inditum est; nam inferioris condicionis ingenuos plerique tituli exhibent praeter Nemausensem saeculi primi, praefecto vigilum positum, et Numidicum saeculi quarti, in quo flamen perpetuus est. nusquam hoc nomen tam frequens fuit quam in *Africa*; *Romae* usitatum non fuit, *Ostiae* pauca prodierunt exempla. praeterea *Narbone, Nemausi,* ad *Rhenum,* in *Raetia,* in *Hispania Baetica* aliquotiens invenitur. atque mulieribus melius convenire putabatur, quam viris; in sola enim Africa Concessorum numerus maior est, cum in Gallia Narbonensi omnino nulli reperiantur.

loca, ubi hoc nomen inveniatur, indicavi, restat, ut graviores titulos, paucissimos sane, eligam; sunt autem hi:

Romae VI 21032 D. Laelius Concessus et Laelia Concessa, filia eius.
VI 3430 Iul. Concessus veteranus ex evocato natione Retus.

Nemausi XII 3166 Iulia D. f. Concessa, uxor C. Fulvi C. f. Volt. Lupi adlecti inter praetorios ab imp. Caes. Aug. Vespasiano, praefecti alae Longinianae, IIII viri ad aerarium, pontificis, praefecti vigilum.

Narbone XII 4602 Antonia L. l. Concessa.
XII 5243 add. Vinicia Co(n)cessa.

in *castris Lambaesitanis*
VIII 2568,64 Q. Octavius Concessus, miles; saec. II ineunte.
VIII 2586,55 L. Clodius Concessus Karthagine, beneficiarius tribuni sexmenstris. ('saec. III, Elagabali fere imperio, Severive Alexandri primis annis.').

inter *Macomades et Sigus*
VIII 4767 (= 18701) Popilius Concessus, flamen perpetuus; imperantibus Valentiniano et Valente.

vide nomen Cessi.

Concupitus

Romae VI 20875 M. Iunius Concupitus, Iuniae Euposiae filius.

Conditus

hoc nomen haud scio an falso Holderus in thesauro pro Celtico habeat; nam et in antiquissimo titulo Romano gentilicium est Condetios et Conditus Conditiique complures Romae occurrunt, neque quidquam impedit, quominus a condiendo nomen ductum putemus, ut is significetur, qui condit. A. Cornelius A. l. Conditus est in titulo *urbano* VI 760. Emelii Condite Marcus Iuliu Euteces titulum posuit pessime scriptum XII 746. aliud adde exemplum, quod in Holderi thesauro fertur. sed vinum, non hominem significare voluit is, qui vasculo III 6009,1 inscripsit 'amo te condite.'

Conducta

in titulo *Narbonensi* male tradito XII 4717 legitur nomen CONDVCIA (sic).

Confirmata

Aeserniae IX 2677: M. Afinius Servatus sexvir Aug., et Agria Confirmata eius.

Coniunctus

in pariete *Pompeiano* IV 712 rogatur, ut Coniunctus *quidam* duovir i. d. fiat.
in tabula cerata *Pompeiana* IV 3340 XV est Coniunctus, a. *55*.
Puteolis X 1793 (= I 577 a) est M. Avianus M. f. Coniunctus II vir.

Conservata

Modiam C. f. Conservatam habet titulus *Lambaesitanus* VIII 3921. quam sit frivola animalium superbissimi origo, is quoque expertus est, qui filiae hoc nomen imposuit.

Constitutus

hoc est humillimorum hominum, vel adeo servorum nomen. tituli, in quibus legitur, paene omnes ita comparati sunt, ut aetatem auguranti late vagari liceat; tamen nil obstat, quo minus iam primo p. C. saeculo in usum receptum esse statuamus, et saeculo *tertio* etiamtum viguit. invenitur autem *Romae, Clusii, Mediolanii,* ad *Rhenum,* in *Norico,* in *Hispania Tarraconensi.*

graviores tituli sunt hi:

Romae VI 215 L. Locer. L. f. Constitutus Volaterra (sic) optio.
VI 23194 Obelius Costitutus (sic).

Mediolanii V 6037 Q. Oppius Constutus (sic, quemadmodum saepe Restutus legitur; confer Vasiensem titulum XII 1339, in quo scriptum est: 'Dea Victoria constuta.')

ad *Rhenum* CIRh. 693: Fortionius Constitutus imaginifer, a. 239.
in *Norico* III 5601 Q. Salinius Costitutus (sic).

Consummatus

C. Iulium Consummatum habes in titulo *Tiburtino* XIV 3783.

Contentus

Cirtae VIII 7742 P. Sitius Contentus.
VIII 7676 Publicia C. f. Contenta.
Milev VIII 19987 C. Iulius Contentus.
in *Mauret. Caes.* VIII 9943 Ulpia Contenta.

Conventa

Conventa libertina est in titulo *Aeclanensi* IX 1160 imperante Pio scripto. cf. Sall. Iug. 112,2: pacem conventam frustra fuisse. subagrestem hanc nominis formam aspernatus est pater Clodi Convenientis, quem habes in titulo IX 1455,2,65 a. 101. (Coventus CIRh. 1851 Celticum nomen est, de quo vide Holderi thesaurum).

Cornutus

Cornutus, quod vetus nobilissimorum hominum fuisse cognomen litterarum memoria docemur (vide Q. Sulpicium Camerinum Cornutum, cos. a. u. 264), in titulis quoque, paucis sane, adparet, ex quibus hoc addiscimus etiam tenuiores et fortasse servos eo esse usos, idque iam ante Christum natum. post saeculum secundum magis magisque exolevisse putaverim neque Christianis acceptum fuisse, licet de Cornuto presbytero Augustinus verba faciat (epist. 197).

exempla inveni *Romae, Puteolis, Florentiae, Cemeneli*, in *Alpibus Poeninis, Nemausi*, in *Hispania Tarraconensi*, in *Hispania Baetica*.

sine dubio hoc nomen ad capitis tumorem spectat cornui similem (cf. Hor. sat. I 5,58); quibus cornibus robur dignitasque putabatur significari, ut discimus ex Val. Max. V 6,3: 'Genucio Cipo praetori in capite veluti cornua erepserunt, responsumque est regem eum fore'. (conf. Kleinpaulii Menschen- und Voelkernamen p. 147 sq.). hinc facile intellegitur, cur mulieres paene omnes hoc nomen spreverint.

exempla eligenda putavi haec:

Romae VI 3513 C. Cornelius C. f. Gal. Cornutus, trib. mil.
VI 10834 Aelius Cornutus et Aelia Concordia, uxor eius.
Puteolis X 2832 Pavillia C. f. Cornuta (ceteri homines, et viri et mulier, cognominibus carent.)
Florentiae XI 1597 L. Fadius Cornutus Titus Messianus, praef. coh. V eq. Spanor., trib. mil. leg. V Maced.
Cemeneli V 7904 L. Bla . . . Iunius Cornutus, magister collegii dendrophororum.

in *Alpibus Poeninis* XII 151 M. Pansius Cornuti filius Severus, II vir, flamen.
Nemausi XII 3463 Baebius Cornutus, Titiae Restitutae maritus.
in *Hisp. Tarrac.* II 3132 Iulia Quinta, C. Iuli Cornuti filia.
„ *Baetica* II 1063 L. Licinius C. f. L. n. L. pron. Cornutus, a. p. C. 2.
in *Attica* CIA III 1169. Κλ. Κορνοῦτος; incipiente fere saec. III.

Coronatus

prope *Thevesten* VIII 2021: Coronatus adiut. tabul.
vide Coronatum v. c. poetam saeculi quinti.

Cossutus

hoc nomen, de quo conferas quae dicam ad nomen Cossutii, non inveni nisi in uno titulo *Rhenano* CIRh. 662 (cf. 680), qui habet M. Iul. Cossutum Ↄ. leg. VI vic. p. f. (casus est genetivos).

Crinitus

Baebiam C. f. Crinitam, Turobrigensem sacerdotem habet titulus *Baeticus* II 964. Crinitus secutor natione Afer est in titulo *Salonitano* III 8825.
notus est Ulpius Crinitus v. c. (Vopisc. Aurel.).

Crunnitus vide Grunnitus

Cupitus

hoc nomen, rarum in *Italia* media, frequentissimum fuit in *Norico;* nec parvus exemplorum numerus invenitur in *Gallia Cisalpina* et in *Gallia Narbonensi*, urbs *Roma* autem medium fere locum tenet. rarus eius usus fuit in *Hispania, ad Rhenum, in Pannonia sup., in Dacia, in Dalmatia, in Africa.* ortum est ante Augusti obitum in servorum contuberniis et tenuissimis acceptum fuit neque umquam in nobiliorum familias venit; nam ne milites quidem aut municipiorum magistratus saepius eo utebantur. viguisse autem videtur usque ad saeculum tertium fere medium, et quamquam ultra duravisse verisimile est, tamen rarissimum fuisse vel inde adparet, quod in christianorum titulis fere numquam legitur.
Romae VI 2404 Cupitus, Emona, mil. coh. urb., a. 120.
VI 1056,2,37 Valerius Cupitus, vigil, a. 205.
Canusii IX 338,3,37 C. Pomponius Cupitus, inter pedanos ordinis Canusini, a. 223.
Capenae XI 3974 Cupitus Aug. lib. (qui Flaviae Chariti, sororis filiae, titulum ponit).
Aquileiae V † 1627 Cupitus christianus.
Salonis III D XVI Q. Orfius Cupitus (testis) a. 93.

Lauriaci III 11826 Dubitata Cupiti f.; circa a. 158.
Genavae XII 2598 [C]upitus. titulus ante Augusti obitum scriptus est.
ad *Rhenum* CIRh. 1558 Cupitus Celsi, a. 169.
1318 Serotinius Cupitus, a. 226.
Carthagine VIII 12939 Aelia Cupita libertina, saec. II fere med.
in *castris Lambaesitanis* VIII 18068 C. Vitalis C[u]pitus Had(rumeto), miles; exeunte saec. II.

Cursus

Puteolis X 2141 Aurelius Cursus. confer nomen Cursoris.

Datus

hoc nomen iure *Africum* adpellari potest. cum enim in *Italia* et in *Illyrico* perrarum sit, ingentem exemplorum numerum praebuerunt tituli Africani, neque falletur, ut opinor, qui in hac terra ortum esse nomen putabit. quamquam humilis loci homines eo usos esse certum est, tamen servis rarius videtur inditum esse: in castris audiebatur frequentissime, nec placuit mulieribus. antiquioribus nominibus adnumerandum non est; neque enim ullum novi Datum, qui ante Atellanarum illum histrionem aetatis Neronianae (Suet. Ner. 39) vixerit. duravit autem ad eam fere aetatem, qua christianorum religio superior facta est; hi enim Dativi nominabantur, Dati vero nomen spreverunt paene omnes.

Romae VI 1058,5,58 P. Sulpicius Datus vigil, a. 210.
VI 2388,20 Datus miles praetorianus, aetate Antonini Severi f.
Ostiae XIV 251 M. Aemilius Datus et M. Turranius Datus plebeii ordinis corporatorum lenunculariorum tabulariorum auxiliariorum Ostiensium, a. 192.
inter *Meskiana et Timgad*
VIII 2339 T. Aelius Aug. l. Datus, a. 147.
in *castris Lambaesitanis*
VIII 2569,24 C. Aemilius Datus castris miles, saec. II. ineunte.
VIII 2527 T. Arranius Datus, signifer, a. 198.
VIII 2557 b,15 Sextilius Datus cornicularius, imperantibus Severo, Antonino, Geta.
Thignicae VIII 14918 Q. Caecilius Datus sacerdos, aetate fortasse Septimiana.

Decoratus

hoc nomine satis multi homines utebantur in *Pannonia* inferiore, pauciores in *Dacia*, in *Raetia*, in *Italia*. servile non fuit,

sed militum et magistratuum municipalium. ortum autem vix ante saeculum secundum putem, maxime viguisse videtur tertio, quamquam vel sexti saeculi exemplum nobis traditum est.

Romae VI 2386a Aur. Decoratus domo Mursa, miles praetorianus, aetate fere Septimi Severi.

Allifis IX † 2437 Decoratus christianus, a. 553.

Tergeste V 563 Decoratus retiarius et Decoratus secutor, posteriore aetate.

in tabella *Lugduni* reperta III D LII C. Iulius C. f. Decoratus veteranus ex coh. II praet. Gordiana pia vindice a. 243.

in *Dacia* III 1596 M. Aurelius Decoratus decurio coloniae Aequi, flamen, aedilis, a. 237.

Delecta vide Dilectus.

Delicatus

servorum utriusque sexus nomen, quod *Romae, Ostiae, Volsiniis, Puteolis*, in *Sicilia, Cordubae, Lambaesi* bona aetate in usu fuit. cum certioris aetatis notis omnes tituli careant, urbana exempla et Volsiniense indicabo sola: VI 20874. 21419. 26662. XI 2759.

Dentatus

quosdam et cum dentibus nasci dicit Plinius n. h. VII 68, sicut M.' Curium (cos. a. u. 464), qui ob id Dentatus cognominatus sit. in titulis hoc nomen non inveni; sed vide Dentatios.

Deodatus

Hadrumeti VIII † 63 Deodatus christianus.

notum est nomen Adeodati. Deodatus fortasse ad Θεοδότου analogiam novatum est.

Desideratus

CIRh. 1065: L. Speratio Desiderato, adulescenti spei et pietatis incomparabilis, Sperati Hermodorus et Iuliana patres titulum ponunt.

Designatus

Theveste VIII 16572 Designata, mater Aemiliae Donatae.

in *Britannia* VII 823 Pompo[ni]us Designatus (sic videtur nominatus esse), tribunus.

Destinatus

Romae VI 11067 Destinata, uxor Cn. Aemili Erasmi.

Veronae V 3697 Q. Plotius P. f. Pub. Destinatus.

Dilectus

Veronae V 3594 ... lius Dilectus (lapis sinistra fractus est).
Cirtae VIII 7550 Licinia L. f. Dilecta.
VIII 7695 C. Sabellius Dilectus.
Itlia Delecta scriptum est in titulo *Siccensi* VIII 15997.

Doctus

servorum tenuiorumque nomen haud ita frequens.
Romae VI 11540 Q. Fulvius Doctus.
VI 16907 Doctus Nirei Caesaris Aug. Hieracian.
VI 15415 Claudia Docta, Claudiae Eutychiae filia.
Aquileiae V 8973 L. Petronius Doctus.
in *Dalmatia* III 3190 M. Servenius Doctus.

Dominatus

in tabula *Carthaginiensi* VIII 12511 equom, qui cum auriga devovetur, semel Δομινάτορα, bis Δομ(ι)νᾶτον adpellatum videmus. quam varietatem errori tribuendam esse non credo; sed unum fuit nomen, quod minutissima in exitu conmutatione modo sic modo sic pronuntiare licebat.

hoc participium ex Irenaei versione latina (gr. κύριος) protraxit Roenschius in It. et Vulg.[2] p. 146.

Domitus

Domitiorum nomen in rerum gestarum memoria celeberrimum declinatum est a Domito; nec deleta sunt omnia huius nominis vestigia temporum iniuriis, sed adparent in lapidibus sane paucissimis. potest autem, ut et hoc et illud a deo antiquissimo originem duxerit; nam Domitium deum Varro docuerat (Aug. d. civ. d. 6, 9) curare, ut nova nupta domi maneret; qua in re vereor ne deceptus sit vocabuli specie vir doctissimus; nam inter ea quidem numerandus fuit numina, quae coniugiis praesunt, sed cum mea opinione a domando nomen acceperit, cum Perfica magis coniunctum eum fuisse putem, quam cum Manturna, et curavisse, ne ἀδμής esset nova nupta. quae coniectura haud scio an confirmetur ea fabula, quae in auctioribus exemplaribus Servii commentario libri I Aeneid. v. 720 addita est; ibi enim inter varias de Veneris Calvae dedicatione narratiunculas ea quoque est, qua memoriae traditur Gallis Capitolium obsidentibus cum Romanis funes defuissent ad tormenta facienda, primam Domitiam crinem suum, post ceteras matronas imitatas eam exsecuisse, unde facta tormenta, et post bellum statuam Veneri hoc nomine esse conlocatam. adiecit auctor aliorum sententiam, qui Calvam Venerem quasi puram traderent, recte mea quidem opinione, si ex Umbrorum lingua buf kaleřuf comparas et verba latina (cf.

Buech. lex. Ital. et Arch. Woelfflin. I p. 106 sq.). illas autem fabulas propter nomen Calvae commenti sunt homines curiosi, ex quibus hoc fortasse coniectare licet, Domitiam adpellatam esse Venerem, et par olim cultum esse deorum, Domitium et Domitiam, sicut cum Domiduco culta est Domiduca. nec refragabor, si quis respecto Domiti nomine Domitum et Domitam initio nominatos esse dixerit.

Αἰλ. Δομίτη, Π. Αἰλίου Εὐτύχους uxor est in titulo *urbano* IGSI. 1334. Sex. Pompeios Domitos, patrem et filium, habes *Cardii* IX 2188 add., T. Flavium Domitum in inscriptione *Herculanensi* oppidi excidio posteriore X 1477. 'Domitus Domestica dom. meo Supero' lectum est in anulo aureo III 6019, 4. adde vascula III *12014*, 257. 258 et titulum *Carnuntinum* III 11111 litteris saeculi tertii scriptum. *Ucetiae* Domitia Domiti filia Bulla L. Babio L. f. Volt. Cassiano coniugi titulum posuit XII 2934; Scoto Domiti f. legitur in titulo inter *Nemausum et Sextantionem* invento XII 4150. Domitus fecit vascula XII 5686, 317 a. b. *Lambaesi* C. Iulio Domito titulus positus est VIII 3712. in patellis *Britannicis* et Domiti leguntur (VII 1336, 428) et Dometos (VII 1336, 427), sicut Δομέτιος in antiquioribus titulis Graecis adparet (conf. Eckingeri dissertationem Turicensem de verborum latinorum in graecis inscriptionibus orthographia scriptam p. 33).

vide etiam Graeca nomina Δάμασος, Δαμασίας al. (cf. Fickii de nominibus graecis librum[2] p. 89 et 385).

Donatus

hoc nomine servi humillimique loci ingenui adpellari coeperunt ineunte saeculo primo et cum frequentissimum esset per ducentos quinquaginta annos, exeunte fere saeculo secundo ad nobiliores pervenit. multis impositum est Christianis et imperio Romano superstes fuit.

Africa ceteras terras exemplorum multitudine longe superat; permulti enim milites Donati in *castris Lambaesitanis* et in *civitate Lambaesitana* inveniuntur, nec parvam copiam dederunt tituli *Thevestini;* in *Mauretania* vel sexti saeculi titulis Donati nomen inscriptum est, ceteri tituli videntur magis tertio quam secundo saeculo esse tribuendi. secundum locum tenet urbs *Roma,* in qua dici nequit quam frequens fuerit hoc nomen. in *Latio* maxime viguit *Ostiae,* cum in ceteris partibus rarius inveniatur. pauca admodum exempla prodierunt in *Etruria*, in *Piceno,* in *Sabinis*, in *Vestinis,* in *Marrucinis,* in *Samnio,* in *Apulia,* in *Sardinia,* in *Sicilia,* multa in *Campania* et in *Gallia Cisalpina*, maxime in *Venetia*. in *Gallia Narbonensi*, si *Nemausum* excipis, usitatum non fuit, raroque usurpabatur ad *Rhenum* et in *Britannia.* non pauca exempla sparsa sunt per *Raetiam, Noricum, Pannoniam*, *Dalmatiam, Daciam, Moesiam;* rarissima autem praebet *Hispania.*

quibus expositis ipse vide graviores titulos:

(*Romae* I 866 = VI 8257: Mommsenus suo iure legendum esse dicit 'C. Pomponati(us)'.)

Romae VI 4359 Donatus Ti. Germanici tonsor.
VI 6221 Donatus Tauri (consulis a. p. C. 44).
VI 8476 P. Aelius Aug. lib. Donatus.
VI 1919 L. Faennius L. fil. Donatus eq. R.
VI 3884 Donatus miles coh. XIIII urb., a. 197.
VI 1056—8 sedecim vigiles, a. 205 et 210.
VI 218 L. Aelius Donatus mil. coh. XII urb., a. 202.
VI 2107 M. Saenius Donatus frater Arvalis, a. 224.
VI 2385 miles praetorianus natione Afer, a. 209.

Tibure XIV 3647 Valeria Donata, Ti. Claudi Aug. lib. Lysimachi uxor.

Ostiae XIV 251 tres plebeii ordinis corporatorum lenunculariorum tabulariorum auxiliariorum Ostiensium, a. 192.
XIV 125 Valerius Donatus, a. 224.
XIV † 1937 Donatus episcopus (saec. IV vergenti vel ineunti quinto adtribuit Rossius).

Pompeiis IV 616 Donatus rogat, ut M. Cerrinius aedilis fiat.
IV 3340 VII A. Vettius Donatus, a. 54.

Teate Marruc. IX 3025 C. Publicius Donatus eq. R. aedilis IIII vir quinq. et curator muneris publici.

Panhormi X 7275 P. Satur. Donatus II vir, a. 199.

CIRh. 1582 L. Amicius Donatus, a. 217.

Salonis III 1968^{c} Aur. Donatus, a. 320.

Potaissae III 875 Donatus praef. leg. V Mac. III piae fidelis, imperantibus Valeriano et Gallieno.

Segisamone II 5812 Publicius Martialis libertus gen(tilis), Valeria Donata (uxor eius, ut videtur), a. 239.

Siccae VIII 1636 (= 15831) Aemilius Iul. Cassius Donatus pont. cur. reip., imperante Valentiniano I.

Thamugadi VIII 2403, 2, 37 Vaterius Donatus, II viralicius (ante a. 367, extremis fortasse Constantii annis vel imperante Iuliano).

in *saltu Aurasio* VIII 2464 iVL DONATus miles, a. 198.

Gemellis VIII 2482 Donatus, a. 253.

in *castris Lambaes.* VIII 2565—2569 decem milites, saec. II ineunte.
VIII 2564 tres milites, imperante Elagabalo.
VIII 2556 sq. tres milites, imperantibus Severo, Caracalla, Geta.

Lambaesi VIII 2733 P. Valerius Donatus quaestor, imperantibus Severo et Caracalla.
VIII 2626 duo veterani, imperante Aureliano.

Lamasbae VIII 4440 Octavia Donata, imperante Elagabalo.

Macomadibus VIII 4764 Pompeus (sic) Donatus fl. perp., a. 303.

in *monte Taya* VIII 5514 Cornelius Donatus, a. 268.
Msad (*in Mauret. Sitif.*) VIII 8795 Q. Granius Donatus, imperante Severo Alexandro.
Auziae VIII 9016 L. Tannonius Donatus, a. 235.
VIII 9020 Iulia Donata, uxor Q. Clodi Clodiani coloniae patroni dispunctoris omnibus honoribus functi, a. 320.
Zuccabar VIII 9636 Herennius Donatus, a. 259.
Altavae VIII 9869 Iulius Donatus, a. 536.
Pomarii VIII 9948 Valerius Donatus, a. 555.
ad numerum Syrorum VIII 9966 Flavius Donatus sacerdos, a. 402.

Dubitatus

dubitandi vis proxime nonnumquam accedit ad cogitandum deliberandumque (conf. Verg. Aen. IX 190 sq. 'percipe porro, quid dubitem et quae nunc animo sententia surgat', aliosque locos similes). Dubitati nomen idem fere valet atque nomen Cogitati, quod iam exhibui. ex eodem genere sunt nomina Dubius (XII) et Dubidius, quorum illud nescio quo iure Holderus in thesauro inter Celtica ponat.

nomen Dubitati haud ita antiquom esse existimo; ortum, ut opinor, exeunte saeculo p. C. primo imponebatur tenuioribus vel adeo servis, quamquam etiam eques Romanus et vir clarissimus occurrunt, uterque praenomine praeditus. in Africa etiam saeculi quarti exemplum inventum est, sed ulterius hoc nomen duravisse vix crediderim. christianum exemplum quod plane certum sit novi nullum. Dubitatos non paucos dederunt *Roma, Gallia Narbonensis, Illyricum, Africa,* raro inveniuntur in *Gallia Cisalpina,* ad *Rhenum,* in *Britannia;* mulierem nomine Dubitatam habemus etiam *Venusiae.*

Romae VI 2477 L. Tacitius L. f. Lem. Dubitatus [eq.] R. e. p.
VI 2456 M. Aur. Dubitatus, mil. chor. II pr. p. v. Severianae.

Venusiae IX 507 Dubitata, Q. Publici Hermetis contubernalis.
ad *lacum Benacum* V 4870 M. Aur. Dubitatus v. c.
in *Volcarum agro septemtrion.* XII 2858 Q. Marius Dubitatus libertinus.
ad *Rhenum* CIRh. 453 T. Fl. Dubitatus strator.
in *Britannia* VII 229 Campania Dub[i]tata, Aeliae Matronae mater.
Viruni III 4784 Dubitata, imperante Antonino incerto.
Celeiae III 5168 T. Flavius Dubitatus benef. Lisini Sabini proc. Aug. (ante Marcum: conf. Mommseni praefat. p. 588).
Lauriaci III 11826 Dubitata Cupiti filia, Verini bf. uxor, saec. II med.
in *vicinia Thevestae* VIII 2151 Flavia P. f. Dube[t]ata (sic).

Lambaesi VIII 2586, 13 Fadius Dubitatus Hadrumeto speculator (Elagabali fere imperio Severive Alexandri primis annis).
Thamugadi VIII 17903e Dubitatus decurio, saec. IV medio.
Carthagine VIII † 13631 Dubi[tata?].

Ductus

a ducendo ortum est nomen Ducti iam primo p. C. saeculo homini libertino inditum. possis conferre Ducatricem, quae est in titulo *Salonitano* III 2252.

Ductos novi duos, alterum Ti. Claudium Aug. lib. Ductum (VI 8811), alterum P. Aemilium...Ductum (II 5841; titulus litteris saeculi II scriptus est).

Electa

servae nomen in titulo *urbano* apud Murat. p. 1555,8.

Emeritus

aliquam rem emerere antiquiore aetate dicebant (conf. Gell. VII 7,5: Acca Larentia — pecuniam emeruerat); postea etiam is, qui hominem sibi conciliaverat, emeruisse eum dictus est (vide Tibull. I 9,60: 'plures emeruisse viros'; et libr. Gloss.: 'Emereor conplaceo'; emeritione cod. Ottobonianus in Exod. 25,17 sqq. τὸ ἱλαστήριον interpretatur, conf. Roensch. Collect. philol. pag. 214). illa significatione explicari mihi videtur militum Emeritorum nomen, qui sane tum cum nomen eis imponeretur, stipendia non emeriti erant, sed patribus emeritis nati hoc nomine videntur decorati esse; haec ad ceterorum Emeritorum Emeritarumque nomina pertinet.

huius nominis quae novimus exempla saeculo post Chr. altero priora non sunt; sed hoc ipso saeculo tertioque frequentissimum fuit apud milites, aliquanto rarius in ceterorum hominum humili loco natorum titulis invenitur. atque *Romae* maxime viguit saeculo tertio; sed pauca admodum prodierunt exempla in *Sardinia,* in *Gallia Cisalpina,* in *Gallia Narb.,* in *Hispania,* ad *Rhenum,* in *Illyrico,* in *Britannia* saeculo tertio nec non secundo scripta. frequentissimum autem usum demonstrant tituli *Africani* maximam partem in ipso oppido et in castris *Lambaesitanis* inventi; quibus paucae accedunt *Thevestinae* aliaeque earundem regionum inscriptiones; rariores etiam in *Mauretania* occurrunt Emeriti Emeritaeque. atque Lambaesitani tituli, qui Emeritos exhibent, saeculi secundi maxime sunt, quamquam ne tertii quidem exempla desunt; aliquanto recentiores sunt ceteri tituli in Numidia inventi; qui autem in Mauretania prodierunt lapides spectant ad saecula tertium quartum quintum sextum. christiani Emeriti Emeritaeque inveniuntur pauci.

iuvat fortasse subicere laterculum quam brevissimum eorum exemplorum, quae certae sunt aetatis aut aliis de causis memorabilia.
Romae VI 1056 et 1058 vigiles anni 205.
VI 13080 Aurelius Emeretus (sic).
VI 8207 Sallustia Q. l. Imerita (sic) opstetrix.
Caralibus X †7777 Emeritam mulierem in carmine christiano laudari veri simillimum est. conf. Buecheleri anthol. epigr. n. 784.
Carnunti III 4407 Servilius Emeritus miles, a. 195.
Aquinci III 10429 M. Ulp. Em[e]ritus bf. leg. II ad., a. 210.
Mogontiaci CIRh. 996 Iulius Emeritus miles leg. VIII Aug. Severianae Alexandrianae, a. 223.
in *castris Lambaes.*
VIII 2564,1,27 Iulius Emeritus dup., imperante Elagabalo. vide sequentes titulos.
Carthagine VIII 13633. 13634. 14150: tituli christiani.
Auziae VIII 9024 C. Iul. L. f. Q. Emeritus q. aedilicius, imperant. Sept. Sev. et Anton. Caracalla.
Altavae VIII 9849 Aurelia Emerita, a. 399.
Pomarii VIII 9911 Aelia Emerita, a. 469.
9949 Valerius Emeritus, a. 634.
ab emeritis militibus Augustus nomen dedit Emeritae urbi Lusitanae. colonia Emerita etiam Aventicum nominatum est. Emerentianae nomen Christianis videtur placuisse (XI 281). possis conferre nomina, quae Graeci ab adiectivo ἄξιος declinaverunt. rarissimum est nomen Meriti, de quo infra dicendum erit.
cf. Emeritius, Emeritianus.

Emissus

'C. Emissus Caesaris n(ostri) ser(vus)' legitur in inscriptione *urbana* ap. Gruterum p. 611,9. quod nomen, si recte traditum est, ad partum pertinere putaverim; sed sane mira est nominum ratio.

Emptus

Brixiae V 4571 P. Coelius P. l. Emptus.
Romae VI 19597 M. Ulpius Emtus (sic).
hoc nomine tam servorum significari potest condicio emptorum, quam emendi studium, ut nomine Adquisiti; vix enim Emptacium episcopum (quem suo loco exhibebo) servom audivisse putaverim.

Aereptus

M. Licinius Aereptus est in inscriptione *Galliae Narbonensis* XII 981. bene cognomen traditum esse docet *Rhenanus* titulus CIRh. 1088 cuius lectio et ipsa sana esse non videbatur; positus enim

est L. Sextio Perovinco (sic), dec. civitatis Auderiensium causidico ab Aceptia (sic) Aerepta coniuge. tamen utrum revera latinum sit nomen necne, dubitare possis, quia et hic et illic diphthongo scriptum est. illud si credimus, Aereptos activo sensu ab erependo quasi editos dictos putaverim.

Eventus

Eventus est qui evenit (parentibus), ut Adventus qui advenit. hoc nomine saeculis primo et fortasse secundo pauci homines infimo vel adeo servili loco nati utebantur. subiciam quae quidem novi exempla omnia.

Romae VI 19973 Ti. Iulius Eventus (dativo casu Ti. Iulio Evento), filius Ti. Iuli Ti. f. Palatina Eventi et Iuliae Agapomene.

Variae in Latio
XIV 3474 Ti. Cl. Eventus (genetivo casu Eventi), alumnus Ti. Cl. Aug. lib. Salvii.

Iuvani IX 2970 Eventus servos.

Beneventi IX 1977 Eventus.

Sigus in Numid. VIII 5807 L. Licinius Eventus. (sic videtur legendum esse).

vide nomina Eventii et Eventiani.

Exactus

Exactus equos Maurus nominatur in titulo *urbano* VI 10053 d 5.

Exceptus

Exceptum Aureliae Ianuariae patrem, Q. Creperei Germani socerum habes in titulo *Thevestino* VIII 16556.

Excitata

Dertosae in Hispania
II 4063 Gellia Excitata [uxor] L. Numisi Liberalis militis classis praet. Ravenn. natione Cursicani. titulus litteris saeculi secundi fere medii scriptus est.

vide Escitatianum.

Exillaratus

Exillaratus presbyter, qui videtur vixisse saeculo sexto, est in titulo apud Rossium IChr. I p. 533 n. 1178. dictus est ab exhilarando.

Exoptatus

hoc nomen (IIXOPT) exhibet vas rubrum *Tarraconense* II 4970,181.

Exoratus

hoc nomen in *Galliis* Cisalpina et Narbonensi ab ineunte saeculo p. C. I usque ad III in maximo usu fuit; multo minus floruit in *Norico,* in *Pannonia* sup., in *Dalmatia,* in *Africa.* sed minime acceptum fuit *Italicis,* id quod vel inde adparet, quod pauca illa exempla urbana magnam partem originem testantur Gallicam. gentilicium Exoratii nisi *Comi* non invenitur. Exorati Exorataeque fere omnes humili vel etiam servili loco nati sunt.

subiciam graviores titulos.

Romae VI 2375a duo milites praetoriani, quorum alter Eporediensis, imperante Hadriano.

VI 2382b, 5 miles praet. domo Luca, a. 176.

VI 1063 Aurelius Exxoratus (sic) vigil, a. 212.

Veleiae VI 1147,6,98 Aurelia *Exorata,* imperante Traiano.

Narbone XII 4448 C. Cassius Exoratus (litterae sunt saeculi I incipientis).

vide gentilicium Exoratii.

Exortus

Exortus Secundinus est in titulo III 5131 inter Emonam et Celeiam *Norici* invento. conferas nomen Exorientis.

Expectatus

hoc nomen cum ortum esset inter servos Augusti fere aetate et paulo post apud homines de plebe non infrequens esset, saeculo p. C. tertio in usu esse magis magisque desiit; rarissimum certe fuit eo tempore, quo vixit Expectatus (si revera ita vocatus est) is, qui nominatur in *Cemenelensi* titulo christiano V†*7978 anni 474. multa huius nominis exempla prodierunt in *Italia* (maxime in parte media et septemtrionali), in *Gallia Cisalpina,* in *Pannonia* superiore, in *Norico,* in *Dalmatia,* singula in *Hispania* et in *Africa.* S rarissime cum consona X coniungitur, aliquotiens vicem eius obtinet.

Romae VI 2381b 16 C. Ofilius C. f. Pom. Expectatus miles praetorianus, a. 155.

Tibure XIV 3643 M. Helvius Expectatus, a. 172. (idem bis nominatur, altero loco litterae X adiecta est S).

Veleiae XI 1147, 3, 17 Atilius Expectatus, imp. Traiano.

Salonis III D XVI A. Volumnius Expectatus, testis in diplomate militari a. 93.

Lamasbae VIII 4440,4,4 Cornelius Expectatus, imperante Elagabalo.

Expeditus

nomen servile inventum fortasse ineunte saeculo p. C. primo et servis nec non ingenuis tenui loco ortis inditum saeculis primo, se-

cundo, tertio *Romae,* in paucis aliis *Italiae Galliae*que Cisalpinae oppidis, in *Africa.* inveni exempla *Romae, Surrenti, Veronae,* in *Macedonia,* in vicinia *Thevestes, Lambaesi.*

Romae VI 975 a, 2, 12 L. Sevius L. l. Expeditus, a. 136.
VI 1060 C. Iulius C. f. Expeditus, inter annos 198 et 210.
Surrenti X 698 Ti. Claudius Aug. l. Expeditus.
cf. nomen Extricati.

Experitus

Valerius Experitus nominatur in laterculo vigilum VI 1056,1,10 anni p. C. 205.

experiti, qui apud Festum Pauli p. 56 Th. imperitis exaequantur, significatione longe distant ab hoc nomine, quocum comparandum est nomen Experti. peritus plane activam vim induit.

Expertus

nomen servile rarissimum.
Aeserniae IX 2676 Expertus publicus, filius M. Aesernini Ampliati.
Carnunti III 4507 Aurelius Expertus.
cf. nomen Experiti.

Expetitus

nomen rarissimum, cuius duo habeo exempla, alterum *urbanum* (VI 10885 Ae[l]ia E[x]petita), alterum *Delmaticum* (III 1960 suppl. C. Popillius [E]xpetitus).

Expletus

huius nominis unum novi exemplum inventum in titulo *Africano* VIII 16336.

Exquisita

Detelia Exquisita Sex. Pompei Antigoni uxor est in titulo *urbano* VI 16818.

simplicius est nomen gentilicium Exquisii, quod habes in titulo Rhenano n. 25 Br.

Extricatus

nomen in *Africa* frequentissimum, maxime in provincia Numidia; multo rarius fuit *Romae,* ceterorum autem exemplorum repertorum in *agro Albano*, *Puteolis, Baeterris, Salonis, Barcinone* numerus perexiguus est. servi iam Caesaris Augusti aetate eo utebantur, postea ingenuis quoque humili loco natis placuit; anno p. C. 217 T. Messio Extricato iterum fasces dati sunt. in Africa volgus saepe grammatices regulas neglegens et pronuntiavit et scripsit hoc nomen. atque taceo de S consona X consonae adiecta; saepe autem X vicariam accepit S, rarius T prior extrita, vocali E adspirationis nota addita est. Extericatus legitur in VIII 19928.

sequetur paucorum inscriptionum graviorum laterculus:
Romae VI 9037 Extricata Octaviae Aug. f. sarcinatrix.
VI 3884 C. Vatinius C. f. Cam. Extricatus Rav. miles coh. XIIII urb., a. 197.
1056,4,130 Extricatus Felix (sic) vigil, a. 205.
in *Castris Lamb.* VIII 18067 C. Atinius Extricatus miles, a. 166
Carthagine VIII 12715 Extricata serva, exeunte saec. p. C. primo vel ineunte altero.
Auziae VIII 9014 Extricatus, a. 224.
9121 Iulia Extricata, a. 264.
simile est nomen Expediti; vide Extricatulos.

Exuperatus

Exuperatos Exuperatasque ex titulis saeculi tertii nec non secundi satis multos novimus; atque si in titulo Foroiuliensi XII 291 revera olim M. [Iulius Exu]peratus fuit, hoc nomen iam saeculo primo ortum est, quamquam tum certe paucissimi eo utebantur. maior exemplorum pars ad *Galliam Cisalpinam* et ad *Pannoniam* pertinet, pauca prodierunt *Romae*, in *Dalmatia*, in *Dacia*, in *Britannia*, in *Hispania*. honestioribus viris feminisque non placuit, tamen servis nisi rarissime impositum esse non videtur. X consonae paene nunquam S adiecta est, semel addita est altera X (VI 3631).

Carnunti III 11149 Aur. Exuperatu (sic), saec. III.
Aquinci III 10429 Tib. Cl. Exuperatus bf. cos. leg. II ad., a. 210.
Savariae III 4168 Ael. Exuperatus, a. 228.
Iscae in Britannia VII 126 Tadia Exuperata, secundo fere saeculo.

cognata sunt nomina Exuper (hoc, non Exuperatus, est in titulo Comensi V 5328, conf. VIII 9188), Ex(s)uperius, Exuperans, Ex(s)uperantius, Exsuperantianus, Exsuperator.

Exuperatus idem est, qui secundum recentiorem grammatices regulam Exuperans adpellandus erat.

Fabatus

de L. Roscio Fabato, Caesaris in Gallia legato, qui cecidit pugna Mutinensi, vide Mommseni hist. numm. p. 644. Φάβατος τοῦ Καίσαρος (Caesaris Augusti) διοικητὴς in Arabia est apud Ios. bell. Iud. I 29, 3. notissimus est L. Calpurnius L. f. Ouf. Fabatus eques Romanus, Plini minoris prosocer (vide CIL. V 5267; Plin. ep. 5,11; Tac. ann. XVI 8). paucos Fabatos humillimo vel adeo servili loco ortos dederunt tituli urbis *Romae*, *Italiae septemtrionalis*, *Galliae Cisalpinae*, *Pannoniae superioris* scripti prioribus p. C. saeculis. eodem genere prognata sunt nomina Fabarii et Fabacii.

Romae VI 10472 Fabatus maritus Accavoniae C. l. Feliculae.
VI 11580 Ampia Ͻ. l. Fabata.
Capenae XI 3963 C. Clodius Fabatus.

in tegula *Urbisalviensi* IX 5530 (= 6078,1) M. Attius Fabatus.
Comi V 5342 Sp. Fabatus.
Carnunti III 4474 A. Laebus C. f. Fabat.
similia sunt nomina Buturati, Cerati al. confer nomen Fabatii.

Facetus

Venusiae IX 46 Sex. Peduceus Facetus.

Fastiditus

Fastiditum intellego fastidiosum (cf. Petron. 48); tamen in homine christiano etiam passive dictum esse potest nomen.

Simpliciam Fastiditam ostendit titulus *urbanus* editus a Fiorellio in not. degli scavi a. 1880 p. 478; Fastiditum diaconum titulus *Africanus* VIII †10542 (= 11122). confer nomina Fastidii et Fastidiosi.

Fellatus

θηλάζων, confer Lactantium.
Deae Augustae XII 1612 Cl. Fellatus.

Finitus

finitus est τέλειος, perfectus; de huius participii in romanensibus linguis propaginibus vide Diezii lex. etym.[4] pag. 140. Finiti nomen ortum puto saeculo secundo; atque in *Norico* permulti eo utebantur humili loco nati fere omnes; rarissimum autem fuit in *Pannonia* superiore, in *Dacia,* in *Dalmatia,* ad *Rhenum.*

Solvae III 5344 L. Gautius Finitus aedilis Solv.
Celeiae III 5143q. P. Albinius Finitus q. Cl. Celeiae.
Argentorati CIRh. 1883 C. Amandius Finitus optio principis, a. 201.
Miseni X 3475 G. Valerius Finitus, optio liburn. Nept. ex clas. pr. Misen. natio. Dalmat.
vide nomina Finitius, Finitianus.

Focatus

in *Numidia* VIII 6752 Iulius Focatus.

num recte traditum est nomen? Focatus esse potest qui focum habet i. e. vel locum ignis vel ignem (conf. Igniosam VIII 9226).

Fortuitus

cognomen valde rarum sed optimae aetatis.
Romae VI 18534 Fortuitus C. Villi Epaphroditi et Munatiae Sabinae filius.
Capuae X 3913 G. Lart..... Gabinius P. f. Pal. Fortuitus dictator Lanuvii, II vir Capuae.
Anconae IX 5902 A. Fabius A. f. Fortuitus.
Ateste V 2541 Q. Clodius Q. lib. Fortuitus.

Fortunatus

a fortuna multa nomina dicta sunt, atque ipsa fortunae adpellatio nominis proprii locum habuit; suffixis aucta est in nominibus Fortunalis, Fortune(n)sis, Fortunii, Fortunillae, Fortunionis, Fortunulae, Fortununae.

multo autem frequentissimum fuit nomen Fortunati; quo fere ubicumque latina lingua viguit permulti homines utebantur. atque paene innumerabilia exempla dederunt tituli *urbani* et *Lambaesitani*, permagnam multitudinem inscriptiones *Ostiae*, *Puteolorum*, *Salonarum*, *Ammaedarae*, *Thevestes*.

ortum videtur esse altera saeculi a. Chr. primi parte apud servos. Fortunatum servom enim praebet tessera consularis I 763 anni 15 p. C., et M. Livius Fortunatus, qui a Livia ante Augusti obitum manumissus est, nominatur in titulo VI 8656. atque saeculo p. C. primo saepissime servis impositum est, ita ut qui tum Fortunatae Petronianae nomen legit, ex eo ipso libertinam eius condicionem cognoscere potuerit. in honestiorum domos pervenit saeculo secundo, et saeculo tertio ne a nobilissimis quidem spretum est (vide L. Fabium Fortunatum fratrem Arvalem in VI 2107 a. 224), tamen servis nunquam videtur ademptum esse. duravit autem apud ethnicos nec non apud christianos usque ad posteriora saecula.

quae antiquissima puto exempla iam vidisti, priorum p. C. saeculorum exempla servato aetatum ordine enumerare operae pretium non est, nunc accipe recentiora quaedam i. e. saeculo quarto posteriora.

Romae VI † 9157 Fortunatus pp., a. 544.
Laude V † 6397 [For]tunatus, a. 423.
Aeclani IX † 1376 Fortunata, a. 491.
depravatas nominis formas adfero has:
Furtunatus: *Mediol.* V † 6230.
Romae VI 18536. ('furtunadi' apud Roensch It. et Vulg. p. 465.)
Fortinatus: Romae VI 9278.
Fortunta: Salonis III 2534.
in *agro Albensi* IX 3967.
Fortunts: Puteolis X 2546.
Fortnatus: Romae VI 21135.
(num etiam *Fornati* nomen huc pertinet?)
Fotunata: Salonis III 2427.
Fortunatanem casu quarto legitur in titulo *Sirmiensi* christiano III † 10233.
vide nomina Fortunatii et Fortunatiani.

Fructus

servile nomen. fruendi verbum antiquiore tempore fecit fructus sum; hoc participium potuit et activam et passivam vim habere ('fruitur' passive dixit Greg. Tur. vit. patr. 12. p. 712 ed. Arndt.), sicut

fructus substantivum cum ipsam fruendi significationem praebeat, tum de eis usurpatur quibus fruimur. atque hoc modo nomen Fructi accipiendum est; fruitur enim dominus servo; qui si bonus reperitur, frugi esse dicitur. similem vim habet nomen Fruendi, eandem nomen Fruniti. participium fructus inter nomina servilia exeunte primo a. Chr. saeculo videtur receptum esse, et frequentissimum fuit saeculis p. C. primo et secundo, paucioribus autem iam saeculo tertio impositum est. maxime viguit in *Italia* (praecipue *Romae*) et in *Africa*, rarum fuit in *Gallia Narb.*, in *Dalmatia*, in *Norico*, in *Pannonia*, in *Hispania*. mulieres paucae eo utebantur. exempla selegi haec:

Romae I 764 Fructus Sexti, in tessera consulari a. u. c. 772.
VI 8943 Ti. Claudius Fructus coniux Valeriae Hilariae nutricis Octaviae Caesaris Augusti (i. e. filiae imperatoris Claudi et Valeriae Messalinae).
VI a III 2,975 A. Marcius A. l. Fructus, a. 136.
VI 1056,1,117 Septimius Fructus vigil, a. 205,
Ostiae XIV 250,2,12 A. Herennuleius Fructus, a. 152.
inter *Asculum et Cupram*
IX †5284 Fructa christiana, a. 376.

conferenda sunt nomina Frugi Frugius Frugio Frugianus Fruginus Fruginius Frugifer, et quae eodem genere prognata sunt atque Fructus: Fructianus Fructinus Fructio Fructula Fructilla Fructilius Fruct(u)osus.

Frunitus

frunitus est qui frugi est, sicut infrunitus qui frugi non est. 'fruniscor et frunitum dixit Cato; nosque cum adhuc dicimus infrunitum, certum est antiquos dixisse frunitum' ex Festo tradit Paulus; et dixisse eos frunitum luculentissime demonstratur nomine Fruniti. quo saeculis p. C. secundo tertioque pauci usi sunt homines tenui loco orti in *Latio*, *Brundisii*, in *Dalmatia*.

in *agro Albano*
XIV 2285 Aur. [F]runitus veteranus leg. II Parthicae Severianae.
Brundisii IX 94 Frunita uxor Chrysogoni Claudi Bassi liberti.
in *Dalmatia* III 2984 L. Septumius Frunitus,
III 6358 Statia Frunita uxor Stat. Vindemiatoris.

Futus

φυτός, quasi genitus; 'Fuutreí' (deae creatrici) est in tabula Agnonensi; futare Catonem posuisse pro saepius fuisse tradit Pauli Festus in voce futare. 'futavit fuit' Placidus. vide nomen gentile Fu(u)tii. Futus quidam nominatur *Pompeiis* IV 1175 d.

Gaesatus

hoc nomen et quae ab eadem stirpe orta sunt, recte pro celticis habentur (vide Holderi thesaurum linguae celticae).

Gallinatus

gallinatus is esse potest, qui gallina abundat; fortasse autem rectius gallinae similitudinem significari putabimus, siquidem gallinae adpellatio blandimentum est Plauto in Asin. 666, et hominem bestiis similem pari modo antiqui dixerunt beluatum (vide Pauli Festum p. 25 Thewr., quocum conferendae sunt glossae nominum corp. gl. II p. 569).

Puteolis X 1551 P. P. Avi Gallinat. et Celer Augustales.

confer Gallinam Thraecem ap. Horat. sat. II 6, 44.

Gematus

nuper inventum est fragmentum tituli *Rhenani* (Limesblatt 1898 pag. 762), in quo legitur: in h(onorem) d(omus) d(ivinae) de(ae) Epon(ae) Bilic[ati]us Gematus... intellege Gemmatum. (cf. nomen christianum Gemmuli in XIV 3898, a. 613). incertissima est lectio inscriptionis *Britannicae* VII 1336, 478, ubi sub G·IMMT·F latere 'G[e]mmat(us) f(ecit)' suspicatus est editor.

Geminatus

geminatum in sermone volgari idem fere valuisse atque geminum docent participia bonatus, impuratus, vivatus al.; pauxillo tamen acutior fuit participii significatio (conf. lib. gloss.: inpuratus inpurus semper). eundem sensum significat nomen Geminantis (CIL. XII 2375) ortum et ipsum a gemino (conf. participia caerulans, punicans, unanimans al.).

Venusiae IX 582 Geminatus, Thelesinae cliens.

vide nomina Geminus, Geminius, Geminianus, Gemellus, Gemellius, Gemellianus, Gemellinus al. et graecum Δίδυμος.

Genetus

CIRh. 333 Iulia Geneti f. Lella.

Holderus hoc nomen pro celtico habet. sed vide glossam 'Geneto genito' (corp. gloss. IV p. 346).

Geniatus

titulus *Interamnas* ap. Murat. 417, 3 Geniatum christianum exhibet depositum a. 511.

Gnatus

nomen celticum, de quo vide Holderi thesaurum.

Grunnitus

Grunnitum diaconum Theodosio XIII et Valentiniano III coss. (a. 430) ab Aetio interemptum esse Prosper Aquit. tradit in chronico. idem nomen intellegendum videtur in titulo *Africano* VIII † 11897, qui Crunnitum exhibet, hominem christianum.

hoc nomen ex eis est, quae christianis contumeliae causa a paganis imposita non reiciebantur ab eis; grunnitus enim est qui grundit (grunnit).

Habitus

habitus dicitur, qui bene habitus, bene nutritus est (Masurius Sabinus apud Gell. IV 20, 11: equum nimis strigosum et male habitum, sed equitem eius uberrimum et habitissimum); quo fit ut hoc verbum pinguem significet; ita Terentius Eun. 315 loquitur de puella paulo habitiore, cui eam ob causam cibus deducatur; conf. Festum Pauli 'habitior pinguior'.

nomine Habiti usi sunt A. A. Cluentii pater et filius, noti ex Ciceronis oratione habita pro filio a. 66 a. Chr. idem cognomen habuit A. Vibius, consul suffectus anni p. C. 8. quos ex titulis novimus Habitos libertinos vel certe humillimos homines fuisse adparet; vixerunt autem aetate optima.

eodem genere prognatum est nomen Habendi, quod eum significat, qui bene habendus vel nutriendus est.

Romae VI 311 Ti. Claudius Habitus

Sulmone IX 3097 L. Annaus L. l. Habitus sev. Aug.

Pompeiis IV 1465 'Speratus Habito'. lectio non satis expedita est.

in *Britannia* VII 1336, 525 'Q. Iul. Habi(ti).' deest H in patellis VII 1336, 502. 503. plene scriptum est nomen figuli Habiti apud Schuermanns, Sigles figul. p. 132, 2483 (ex Veteribus castris).

Hederatus

hederae similis vel colore (Plin. n. h. XVI, 146) vel forma (gracilitate: Vergil. ecl. VII 38: candidior cycnis, hedera formonsior alba).

nomen equi in titulo *urbano* VI 10056,12.

Hirrutus

adiectivum hirsus, a quo declinatum est participium hirsutus, libri non videntur servavisse, exceptis glossariis; legimus enim 'hirsi hirsuti' in corp. gloss. V p. 300 et IV p. 86 (hoc loco t, in quam prius verbum desinit, errore scripta est pro adspiratione sequentis verbi). hirsus abiit in hirrus, unde nomina orta sunt Hirrus (Cic.), Hirrius (Varr. r. r.), Hirredius (C. I. L. IX). iam novum cognoscimus participium hirrutus, ab hirro declinatum, sicut hirsutus ab hirso.

Interpromii IX 3044 [S]ex. Pedius Sex. f. An. Lusianus Hirrutus, prim. pil. leg. XXI, pra[ef.] Raetis Vindolic. valli[s] [P]oeninae et levis armatur., IIII vir i. d., praefectus Germanic[i] Caesaris quinquennalici [i]uris ex s. c., quinquen. iterum.

huius viri filius et nepos videntur esse Sex. Pedius Sex. f. Arn. Hirrutus praetor (VI 1485) et Sex. Pedius Sex. f. Arn. Hirrutus Lucilius Pollio consul, praefectus aerari militaris, legatus Augusti iuridi[cus Asturiae] et Gallaeciae, praetor (VI 1486).

Honoratus

ab honore multa orta sunt nomina. atque Honorati nomen ortum fere saeculo p. C. I incipiente, quamquam servis humillimisque numquam ademptum est, tamen vel honestissimis iam saeculo primo placuit et sequenti tempore saepissime ab eis usurpatum est. frequentissimum autem fuit saeculis primo, secundo, tertio; sed ne postea quidem exolevit, immo magna christianorum multitudo ostendit quantopere posterioribus quoque saeculis floruerit. exempla satis multa inveniuntur in *Italia,* maxime *Romae,* in *Sardinia,* in *Galliis Cisalpina* et *Narbonensi,* maxime *Nemausi,* ad *Rhenum,* in provinciis *Raetia, Norico, Pannonia, Moesia, Dalmatia, Dacia,* in *Hispania*, in *Britannia.*

multo autem maior est multitudo Honoratorum *Africanorum,* qui maximam partem saeculis secundo et tertio vixerunt.

sed praeter Honoratos etiam Honeratos et Oneratos invenimus. atque antiquos non solum honosem dixisse, sed etiam ab hones declinasse casus demonstratur honesto et honestate (conf. funestus, intempestus conlato temperi), unde hoc verbum plane oneri exaequatum est, cuius primae litterae inspirasse antiquos testis est Gellius II, 3 (Varro l. l. VI 77 dicit honera; conf. 'honera: pondera' corp. gloss. IV 88; 'honus: saburra; honustus: grabatus vel gloriosus' corp. gloss. IV 349; 'omnib(us) honorib(us) et honeribus pe[r]functo', quod legitur in titulo Casinati X 5200).

iam sequentur exempla pauca.

Romae VI 15114 Ti. Claudius Honoratus, filius Claudiae Theophilae et Anthi Caesaris.

VI 2379a 4,35 M. Vibius Honoratus Ostia praetorianus, a. 143.

VI 1625a et b M. Petronius M. f. Quir. Honoratus, qui videtur imperante Marco praefectus Aegypti fuisse.

VI 1056. 1057. 1058 multi vigiles ineuntis saec. III.

VI 1686 C. Camellius Africanus Fabianus Honoratus vir egregius fl. Aug. perpetuus pontifex (coloniae Zamae), a. 322.

Ostiae XIV †1875 Turrenia Honorata clarissima femina (uxor fortasse Anici Aucheni Bassi eius, qui proconsul Campaniae fuit inter annos 379 et 382).

Canusii IX 338,1,6 L. Domitius Honoratus clarissimus vir, a. 223.

Patavii V 2817 Paetus Honoratus vir clarissimus corrector Italiae, imperante Diocletiano.

Albingauni V†7793 Honorata clarissima femina, a. 568.

Nemausi XII 3637 L. Baebius Honoratus, collega M. Arrecini Clementis II consulis, cui primum anno p. C. 73 fasces dati erant.

XII 3164 L. Aemilius M. f. Vol. Honoratus, III vir capitalis, procos. provinc. Cretae et Cyrenarum. (titulus litteras saec. II incipientis exhibet).

in *Pannonia super*. III D XII C. Cisso C. f. Ste. Honoratus, praefectus coh. I Lusitanorum, a. 85.

III 4567 P. Claudius Pallas Honoratus Repentinus, leg. pr. pr. provinciae Africae, e. q. s.

in *Moesia inf.* III 6154 L. Annius L. f. Quir. Italicus Honoratus, cos. e. q. s. (imperante Severo Alexandro).

in *Dalmatia* III 1995 G. Iulius Honoratu[s], filius Phrygii A[u]gg. nn. ab instrumentis.

in *castris Lambaesitanis* VIII 2565 a 16 L. Licinius Honoratus miles, saec. II incip.

VIII 2564,1,37.39; 2,31.92 quattuor milites, imper. Elagabalo.

VIII 2572 Clodius Honoratus vir egregius, praef. leg. III Aug., imperantibus Diocletiano et Maximiano.

Lambaesi VIII 2586,18 M. Caesius Honoratus Thamugadi bf. cos., priore saeculi III parte.

Mactari VIII 11808 L. Popilius Honoratus fl. perpetuus, curator reipubl., a. 367—383.

Tiddi VIII 6705 M. Lollius Honoratus et Grania Honorata, Q. Lolli Urbici praef. urbis frater et mater ('extremis annis Hadriani aut in ipso principio imperii Pii').

Tupusuctu VIII 8835 C. Iulius Q. fil. Quir. [H]onoratus flamen, a. 195.

Auziae VIII 9049 C. Octavius Pudens Caesius Honoratus proc. Auggg. praeses (prov. Maur. Caes.).

Portu Magno VIII 9760 Sex. Cornelius Sex. fil. Quir. Honoratus Portumagnensis, militiis equestribus exornatus, procurator sexagenarius provinciae Meso-

potamiae, egregiae memoriae vir. (obiit imperante Septimio Severo, confer n. 9757).
adicio indicem nominum *Honeratus, Oneratus, Onoratus:*

1) HONERATVS
in *agro Compsino* IX 1071 C. Betitius Honeratus.
in *Mauretania Caesar.* VIII 9099 Clodia Marsia, Caecilia Honorata; Clodius Messor, Cecilia Honerata.
VIII 9462 Domitia Honerata filia P. Honerati et Iuliae Primosae.
VIII 9645 Fl. Hone[ra]ta.

2) ONERATVS
in *Mauretania Caesar.* VIII 9768 Magnius Iulius sacerdos vixit anis LXXX ic situs ets, pio patri fecerunt Pudens et Oneratus (sic).
VIII 9887 Sulpicia Onerata, a. 420.

3) ONORATVS
Salonis III 2611 Vivia Onorata.
in *prov. Numidia* VIII 6873 Cilius Onoratus.
VIII 7749 P. Sittius Onoratus.
in *agro Tunetano* VIII 10478, 17 Onorati (inscriptio lucernae).
in *Mauretania Caesar.* VIII 9853 Caelius Onoratus
VIII 9864 ...]ntius Onoratus.

Ianata

nomen declinatum a Iano vel a Iana, ut Cacatii nomen a Caco, sim.

Aureliam Ianatam habet titulus VIII 9802 in *Mauretania Caes.* repertus.

Imperatus

imperandi principalis significatio est arcessitus. imperari enim dicebatur exercitus, cum convocabatur (vide Varron. l. l. VI 88. Gell. XV 27, 5). itaque nomen Imperati significat arcessitum.

Plotium Imperatum habemus in titulo *Ostiensi* XIV 1476.

Impetratus

hoc nomine humiliores pauci utebantur *Romae, Ostiae,* in *Campania,* in *Lucania,* in *Sardinia,* in *Raetia,* in *Pannonia,* ad *Rhenum,* satis multi in *Africa,* maxime in provincia *Numidia.* tituli maximam partem saeculis p. C. secundo et tertio scripti sunt. praepositio primae verbi consonae plerumque adsimulata est.

Romae VI 1064, 3, 5 Aemilius Inpetratus sc(enicus), ineunte saec. III.
in *Sardinia* X 7514 M. Porcius Impetratus IIII v(ir) a(edilicia) p(otestate) de[s(ignatus)].

in *Pannonia sup.* III 3906 C. Iul. Im[p]etratus b. cos. leg. X g., a. 257.
in *castris Lambaesitanis* VIII 18068, 2, 10 C. Iulius Impetratus Kart(hagine) miles, exeunte saec. II.
vide nomen Impetratiani.

Implicitus

Ostiae XIV 256, 356 Geminius Implicitus plebeius corporis fabrum navalium.
intellege infantem, qui complexu tenetur.

Incitatus

hoc nomine utebantur duo gladiatores, quos novimus ex titulis *urbano* VI 10189: T. Flavius Incitatus secutor palo primo; et *Venafrano* X 4920 Incitatus Cas(sianus). equo illo, quem in magno honore habuit Caligula, Incitato nomen fuisse refert Sueton. Cal. 55.

Inclutus, Inclitus, Inclytus

nomen rarissimum.
Romae VI 26356 Sertoria C. f. Inclyta.
VI 10056, 24 Inclytus r(usseus) (ecus).
Venusiae IX 466, 22 Inclutus Arr. Sam(nis). (hic gladiatoris titulus Augusto posterior non est.)
Beneventi IX 1730 ..]Aelius Inclutus.
in *prov. procons. Africae* VIII 14731 P. Aus. Inclitus Tubero Sextilianus nepos P. Sextili P. f. Arn. Felicis flaminis Aug. p. p., sacerdotis provinciae Africae.

Institutus

Aquileiae V 1334 L. Petronius Institutus.

Inventus

nomine Inventi non eum significari puto, qui invenitur, sed qui invenit parentes, ut proxime absit adveniendi vel visendi significatio. legitur enim apud Plaut. in Poen. 107: (pater filias raptas quaerens) 'omnes meretrices, ubi quisque habitant, invenit'; et Seneca nat. quaest. II 41, 2 de fulminibus dicit: (tertia manubia) 'vastat, in quae incidit, et utique mutat statum privatum et publicum, quem invenit.' simillimum igitur est nomen Adventi.

Inventi multi servi nominati sunt saeculis p. C. primo et secundo; posteriores paucissimi reperiuntur. atque maxime hoc nomen viguit *Romae,* non paucis placuit *Pompeiis,* rarius usurpabatur in ceteris *Italiae* et *Galliae Cisalpinae* oppidis. praeterea occurrunt

exempla in *Gallia Narbonensi*, in *Norico*, in *Dalmatia*, in *Hispania*, in *Britannia*, in *Africa*.

Romae VI 6604 Inventus Tauri Statili servos (consulis a. p. C. 44).
VI 1063,3,13 Volussius Inventus vigil, a. 212.
Ostiae XIV 892 Cosidia Inbenta.
Pompeiis IV 327 'Pompeium o(ro) v(os) f(aciatis), Inventus rog(at).
X 895 Inventus Dentat(i) Daph(ni) min(ister) Aug(usti) a. 23 p. C.
Ferentini X 5871 Aemilius Inbentus.
Abellae X 1211 L. Egnatius Inventus, pater L. Egnati Polli Rufi honorati equo p. ab imperatoribus Antonino et Vero Aug., a. 170.
Nepet XI 3206 Flavia Inventa, uxor M. Ulpi Aug. lib. Thalli

Invictus

nomen rarissimum.
Romae VI 1057,2,119 T. Apuleius Invictus vigil, a. 205.
Casini X 5229 Staedius Invictus. certe idem cognomen habuit Q. Calvius Inuctus [sic traditur] aedil(icia) pot(estate) flam(en), quem exhibet titulus *Locrensis* X 19.

Iubatus

Tarracone II 4403 C. Caecil. Iubatus Semp(ronius) Maternus.
Thabracae VIII 17359 C. Marius Iubatus Octavia[nus].
vide nomen Iubatiani.

Laetitus

in *prov. Byzacena* VIII 10501 C. Iulius Laetitus Fla....
(vixit imperantibus Marco et Vero).

Laetitus ortum est a laeto, ut Bonitus a bono. C. Iulium Laetum habes in titulo Africano VIII 3723. praeter hoc nomen multa alia eodem genere prognata novimus.

Lanatus

Menenii Lanati, patriciae gentis viri, haud pauci prioribus urbis conditae saeculis summos in republica honores adepti sunt. antiquissimus eorum, quos novimus, est Agrippa Menenius Lanatus cos. a. u. c. 251, qui plebem a monte sacro, quo secesserat, in urbem reduxit. post L. Menenium Lanatum autem eum, qui a. u. c. 378 quartum tribunus militum consulari potestate creatus est, neque Menenium, qui Lanatus cognominatus sit, novi ullum, neque aliud huius nominis vestigium aut in libris aut in titulis invenire potui.

Lanati nomen quamquam a lana ductum esse adparet, tamen

quid significaverit explicatu difficile est; possis enim et ad lanae abundantiam et ad vestem e lana factam et ad hominis mollitiam vel candorem referre.

Laudatus

laudatus est quem omnes laudant; sic Naevianus Hector 'laetus sum' inquit 'laudari me abs te, pater, a laudato viro' (Ribb. trag.[2] p. 9).

Romae (in monumento, quod Tiberio et Claudio imperantibus in usu fuit) VI 5014 T. Apidius Laudatus.

Laudata cognomen videtur fuisse Herenniae, quam habes in titulo *Hispano* II 3779, lapide post LAVD fracto.

cognata sunt nomina Laudius (VI, VIII) et Laudandus (VI).

Lauratus

Laurati nomen scriptum est in patella *Treverica* (Correspondenzbl. d. Westd. Zeitschr. I p. 45).

cognata sunt nomina Laurus Laurinus Laurilla Laurianus Lauris Lauro Laurea Lauricius.

Lausus

graece Κλύμενος. participium lausus, unde hoc nomen ortum est, libri nobis non servaverunt, sed locum eius ubique tenet laudatus. non idem factum est de frauso, quo participio Plautus utitur in Asin. 286, et ex quo Umbri dixerunt *frosetom* (in tab. VIa 28 et alibi).

Lausus nomen fuit filio Mezentii, de quo Vergil. Aen. VII 649 sqq.:

Filius hunc (Mezentium) iuxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit excepto Laurentis corpore Turni,
Lausus equum domitor debellatorque ferarum, e. q. s.

item audit apud Ovid. in fast. IV 54 Numitoris filius, quem alii Αἴγεστον nominant. Lausum quendam Martialis saepius adloquitur (VII 81. 87. 88).

etiam tituli hoc nomen servaverunt sane paucissimi; libertinorum sunt humillimorumque hominum et pertinent, ut videtur, ad saecula primum secundumque.

Romae VI 26808 M. Statius M. l. Lausus.
Tibure XIV 3795 Licinius Lausus.
Beneventi IX 1880 C. Calpurnius Lausus.
Bononiae in duabus fistulis XI 734 Lauso vil(ico)
in titulo *Cabelliensi* XII 1052[add.] potest vel Lausus vel Iausus legi teste Hirschfeldio.
in *Lusitania* II 114 L. Laberius Lausus (homo libertinus).
adde his Lausum christianum, ad quem Palladius episcopus

Helenopolitanus historiam scripsit vitas sanctorum patrum continentem.

vide Lausium et Lauselium et quae a laudando ficta sunt nomina.

Lautus

nomen rarum, quo optima aetate ingenui humili loco nati utebantur. exempla habeo haec:

Romae VI 3588 L. Cuspius L. f. Cla(udio) Iuvav(o) Lautus Norico, mil. coh. I Asturum (centuria) Macriniana

VI 11206 Sex. Afranius Lautus Sp. f. (parentes eius sunt Afrania Prote et Herma).

Puteolis X 2930 C. Satrius C. f. Lautus.

Aquileiae V 1028 L. Cornelius Lautus rhetor.

V †1595 Lautus actoarius scae eccl. Aquil.

Verecundae VIII 4281 Maria Lauta Iuliae Tevestinae filia.

cognata sunt nomina Lotus (quod seorsum exhibebo), Loturus, Lautius, Lautinus, Lautinius; a lavendo etiam Lautulae (cf. Festum Pauli et Liv. VII 39, 7) dictae sunt.

Lectus

nomen Lecti iam Augusto imperante in servorum usu fuit; paulo post ingenuis quoque placuit. exempla reperiuntur *Romae* et in *Galliis Cisalpina* et *Narbonensi*.

Romae VI 5353 Lectus opsonator L(ucii) Caes(aris).

VI 23242 Q. Octavius Q. Q. Ɔ. Ɔ. l. Acathancelus et Octavia Lecta

Veronae V 3500 Mollonia Ɔ. l. Lecta.

Bergomi V 5131 Munatia Lecta noverca Q. Atili Q. f. Ouf. Crispi VI viri, IIII viri i. d.

Viennae XII 1867 M. Coeli[us] [C]n. f. Vol. Lectus praef. fab. IIII, tr. m[il. le]g. III Gallic. e. q. s.

vide nomen Lectinii.

Liberatus

hoc nomen legitur in paucis titulis *Africanis Italicisque*. ortum videtur esse saeculo p. C. secundo vel tertio et ne quinto quidem exolevit; Africanos autem christianos praecipue eo usos esse demonstrant et tituli et libri.

Uriae IX 232 Liberatus.

in *Ligurum Baebian. oppido* IX 1489 Tu[rse]lia Libe[r]a[t]a.

inter *Vercellas* et *Eporediam* V 6772 Liberata.

Carthagine in titulorum frustulis VIII †13762, †13763 nomen Liberati intellegendum videtur.

Aubuzzae VIII †16396 Liber(a)tus.

Theveste VIII †10640 Liberatus clericus.

ex chartis praetermissis ceteris adfero Liberatum abbatem, qui anno VII regis Hunerici (a. p. C. 484) confessionis certamine impleto inmarcescibilem pervenit ad coronam (vide Vict. Vit. hist. persec. III 41; pass. VII mart.).

cognata sunt nomina Liber, Liberius, Liberianus, Liberina, Liberantius, Liberatius, Libertus, Libertius, Libertio, Libertinus, Liberalis, Liberalinius, Liberitas (X 2151), Libertas.

Libertus

nomen servorum rarissimum, sed bonae aetatis, quippe quod iam ante Christum natum in gentilicium adiecto suffixo -io- transisse videatur.

in *provincia Numidia* VIII 10801 Caerellia Liberta.

Libertus officinator est in patellis *Britannicis* VII 1336, 555. 556 et *Gallicis* XII 5686, 482

vide nomina Libertii et Libertionis.

Ligatus

Ligatus est, qui amoris vinculo cum parentibus ligatur, confer nomen Coniuncti. 'Antiocus Ligati cinaedus' legitur in pariete *Pompeiano* IV 1802.

cognatum est nomen Ligarii.

Locata

'Locata innoca in pace' legitur in titulo *Carthaginiensi* christiano VIII 1086. fortasse idem nomen intellegendum est in vasculo XII 5686, 427.

Lotus

humillimorum nomen rarissimum, cuius exempla novi haec: *Pompeianum* X 1050: C. Cornelius Lotus; *Formianum* X 6185: C. Terentio Loto. si in titulis *urbanis* VI 23117 et 23132 revera, ut Henzenus putat, idem vir nominatur, in n. 23117 dativus Loto a *Lotos* nomine Graeco declinatus est.

vide nomen Lauti.

Lupatus

a lupo multa dicta sunt nomina. ut primum de oppidis loquar, a lupo Martio vel a lupa Martia adpellatae sunt Lupiae, oppidum Calabriae (vide Momms. in CIL. IX p. 5) et sub Lupatia, statio viae Appiae in Apulia (de qua vide Momms. ibd. p. 27), ut a pico Martio nomina habent Piquentum Picentes Picentia. ab ipso vocabulo declinata sunt hominum nomina Lupus Lupius Lupianus Lupulus Lupulius Lupulinius Lupulanus Lupo Lupio Lupinus Lupinula Lupillus Lupensia Lupicinus Lupidius; binis P scripta inveni nomina

Luppus Luppa (VII, VIII, XII), Luppianus (V), Luppula (VI, VIII), Luppo (III), Luppio (V) (confer vocabulum Romanense 'luppa' apud Diezium[4] pag. 629). ex eodem vocabulo Gallos quoque nomina finxisse praeter alia docent Lupavius (V 4090 b) et Loupus (vide Zeussii Gramm. Celticam[2] p. 34). participiorum praesentis analogiam secuntur nomina christiana Lupantia (de meretricibus dicitur verbum lupandi) et Lupentius, quibuscum conferas participia buxans, pratens, al. his bene accedit nomen Lupati, quo significatur homo lupo similis.

cuius nominis figulos inveni in *Gallia Cisalpina* (V 8114, 84), in *Illyrico* (III 6008, 37. 8076, 23. 10184, 31), in *Hispania* (II 4969, 32), ad *Rhenum* (vide Schuerm., Sigles figul. p. 156 n. 3082).

vide nomen Lupatii.

Macatus

hoc nomine hominem significari puto macci similem; ad eandem cognationem pertinent Maccus (Titus Maccus Plautus; IX, VIII) Macus (XIV, VIII), Maccius Macius (osce Makkiis). a Macatio aliquo nomen accepit fundus Macatianus Ennianus *Veleiae*.

M. Livium Macatum M. Livi Salinatoris propinquom habes apud Liv. 27, 34.

Maceratus

nomen Macerati scriptum est in patellis *Britannicis* VII 1336, 597.

cognata sunt nomina Macer Macero Macerio Macro Macrio Macrius Macrianus Macerinus Macrinus Macrinula Macrinilla Macrinius Macrinianus Macellio.

Mammatus

a mamma declinata sunt nomina haec: Mamus Mama Mam(m)ius Mammianus Mamilius Mamilianus Mamidius Mammedia Mam(m)ulus Mammuleius Mammeus Mammeianus Mamulla Mamillius Mam(m)aea (Mamaia) Mammarius †Maminius (Mamnius).

Mammatus is esse potest qui (magnis) mammis praeditus est, confer amicam mammeatam Plauti (Poen. 393); veri autem similius est significari mammantem i. e. θηλάζοντα filium, de quo verbo vide Pauckeri spicileg. addendor. p. 98. simillimum igitur est nomen Fellati.

M. Gemini[us] Mamma[tus] exhibetur titulo *Hispano* II 3079.

vide etiam Mammatiam.

Mandatus

nomen servile optimae aetatis, quo etiam ingenui humili loco orti usi sunt. sed frequens non fuit, neque inveni exempla nisi in *Italia*, in *Gallia Cisalpina*, ad *Rhenum*, in *Illyrico*.

Romae VI 11867 Mandatus servos.

Venusiae IX 465 Mandatus servos, gladiator ex familia C. Salvi Capitonis.

Lucae XI 1528 L. Papirius L. l. Mandatus.
Veronae V 3373 Sex. Salaniu[s] P. f. Mandat[us] miles leg. XV.
V 3422 [S]ex. Salanius Sex. f. Pob. Mandatus Virianus IIIIIIvir.
in *pago Arnusnatium* V 3904 P. Calpurnius Mandatus.
ad *Rhenum* CIRh. 713 T. Flavius Mandatus vet.
adde figulum Mandatum III 12014,357.

Mansuetus

Mansuetus nomen servile factum esse extrema fere liberae reipublicae aetate videtur. inter ingenuorum nomina cum brevi receptum sit, ad nobiliores ante quartum vel quintum p. C. saeculum non pervenit. frequentissimum fuit saeculis primo secundo tertio; quarti autem quintique exempla rarissima sunt. *Romanis Italisque* Mansueti nomen valde acceptum fuit; multi eo usi sunt in *Galliis* Cisalpina, Narbonensi, Lugudunensi, nec raro Mansueti inveniuntur in *Illyrico* et ad *Rhenum*; pauca autem exempla prodierunt in insulis *Sicilia Liparaque*, in *Britannia*, in *Hispania*, in *Africa*.

N consona cum in ceterarum terrarum titulis haud raro omissa sit, in Africa ubique adest.

Romae VI 6621 Iulia Masueta, Martialis Abascanti C. Nymphidi Sabini praef. pr. servi vicarii uxor (vixit igitur imperante Nerone).
VI 20579 P. Aelius Aug. lib. Mansuetus.
VI 228 Val. Mansuetus eq. sing., a. 205.
in insula *Lipara* X 7489 Cornelius Masu[e]tus procurat(or) Ti. Caes. Aug. et Iuliae August.
Cemeneli V 7907 Matu[cius Ma]nsuet(us), a. 181.
Veronae V 8863 [S]ecundinus Uxxo.alli fis, Masuueta Modesti fis (sic).
Concordiae V †8755 Fl. Masuetus biarcus qui militabit in numero Leonum seniorum (aevo Arcadii et Honorii).
inter *Durias duas* V 6938 Masuetus (repertus est inter titulos, qui videntur aetatis liberae reipublicae esse).
Poetovione III 4050 [Ma]nsuetus [d]ec. c(olonia) U(lpia) T(raiana) P(oetovione).
Tomis III 6155 Ulp. Valerius Aurelianus v. e. centenarius et Titinia Mansueta stolata femina.

ex hoc nomine orta sunt Mansuetius Mansuetianus Mansuetinus Mansuetinius.

Maratus

'Aur. Marati' legitur in *Salonitano* titulo christiano III 9569. Maratius gentilicium est in VI 1056,2,87.

haec nomina utrum Italicae originis sint an Celticae possis dubitare; nam aut cum Mario coniungenda sunt (cf. osc. Maras, Marus ap. Sil. It., Maruleia X), aut cum Marone; vide Buecheleri lex. It. in voce maron-. hoc ut credamus suadere videtur *Marato* villae nomen, quod adfert Holderus in thesauro linguae Celticae.

Maritus

nomen valde rarum.
Romae VI 22176 Μαρείτα Ἀσία Κυίντου Μαρείτου Λόγγου uxor.
Mantuae V 4083 M. Vettius M. f. Marcellus, Fulvia P. l. Marita.
Nicomediae III 330 Aelia Marita (Graece Αἰλία Μαρίτα).
Philippis Mac. III 682 Varinia Marita, M. Varini M. l. Celeris uxor.
Tragurii III 2687 Maritus, P. Coe. Probi et Mariae Marcel. filius.
Carnunti III 4520 Quinctia P. l. Marita.
confer Maritium.

Massus Masus

massus est qui mandit, quasi manducus; masucium edacem dictum esse a mandendo docet Pauli Festus p. 113 Thewr., quae glossa conlato Placido rectius fortasse 'massucium e. q. s.' scribetur. Masus aliqui Masiam incohavit gentem. multo autem antiquius est cognomen Massonis nobile factum in Papiriorum gente patricia, a quo posteriore tempore declinatum est Masonius. sed de ceterorum nominum eandem prae se ferentium speciem quaestio oritur implicatissima, quoniam partem certe Gallica lingua sibi vindicat, qua de re consulendus est Holderi thesaurus, partem alio prognatam esse genere adparet. atque ipsum Masucius (VI, XII), unde est Masuconius (XIII), valde dubito an latinum non sit, Masurius autem (et fortasse etiam Masu(v)ius) propter correptam A excluditur. perpensa autem re latinae linguae adserendum puto nomen Masinii.
Casini X 5195 M. Larcius Massus.
Baiis X 2599 Iulia Masa.
in *Africa* VIII 2163 Gurtius Masus.
VIII 9845 Aur. Masus.
Masa nomen virile Gallicum est (Schuerm. Sigl. figul. 3974).

Mellitus

vox mellis et vocabula cum melle cognata in blanditiis erant: Plaut. Poen. 367 'meum mel', Cic. ad Att. I 18, 1 'cum mellito Cicerone', Plaut. Cas. 372 'mea mulsa', quo factum est, ut nomina inde haud pauca orerentur, quae hoc loco percensebo, postea suis quodque locis exhibebo. sunt autem Mellius (IX, XII), Mellarius (VIII), Mellonius (VIII, CIRh.), Mellosus (duo episcopi Africani saec. VII, vide Morcellii Afr. christ.), Mellinius (XII), Melligerus (Murat. 1329, 1); participiorum analogiam secuntur Mellitus (confer melligi-

nem), Mellutius (VI), Melminius (V), Mulsulus (VI, III), Mulso(?); propius ad ipsam mellis vocem accedit id participium, a quo nomen Melsonii (IX, X) ortum est, mulso simillimum. mulsi antiquior forma fuit multus (Plaut. Trin. 820 'multipotenti', vide Buechel. mus. Rhen. vol. 45 p. 160), unde ducta sunt nomina Multius (? II), Multasius (VI, IX, X), Multillius (X), Multilius (XII), Multelius (V, XII); confer nomen Saltii.

Mellitus, humillimorum hominum cognomen, rarum fuit in *Italia*, satis frequens in *Africa;* pauca exempla in *Illyrico* prodierunt, in *Gallia*, in *Asia*. in usum videtur receptum esse saeculo secundo, floruisse tertio; christiani quoque nonnulli eo ornati sunt. mulieribus, ut par est, saepius imponebatur, quam viris.

prope *Aquileiam* V †1583 Haelia et Mellita.

Aquinci III 3538 M. Aurelius Mellitus librarius leg. leg. II adi.

in *Mysia* III 7095 (= 401) C. Silius Mellitus, graece: Γ. Σίλιος Μελλεῖτος.

Thuggae VIII 1523 L. Iulius Felix Cupitianus Mellitus, saec. III.

Sigus VIII 5812 P. Marcellus P. f. Q. Quietus Mellitus.

adde his Mellitum figulum, cuius nomen inventum est in *Aquitania* (Schuerm., Sigl. figul. p. 174 n. 3507). de Mellito Isidori vide Teuffelii hist. litt. rom.[5] p. 1293.

Menatus

hoc nomen fortasse intellegendum est in aequipondio *Viennensi* XII 5688,5.

confer Menatios.

Mercatus

Mercati nomen servom significat; mercatum cultum dicit Propertius I 2, 5.

in prov. *Byzacena* VIII 12076 Q. Clodius Mercatus.

hinc orta sunt Mercatius, Mercatilla, Mercatilia, quae vide. cognata sunt nomina Mercatoris (V, XII, VII) et Mercatorii (CIRh.).

Meritus

Lambaesi VIII 3851 Licinius Meritus.

memento laudis in titulis tritissimae, qua bene merentes dicuntur mortui; cognatum est nomen Emeriti.

Μίνατος Minaz

Minatus, vetus Samnitium praenomen, a mino (minae oves, mina mamma) originem habere recte putatur; simillimum igitur est Minuto, quod cognomen ab ampliore etymo principali minu- (minuo, osce menvum) declinaverunt Romani, id quod etiam in Minusio (VI) factum est. a mino autem dicta sunt Minius (passim), Mineius (V), Minuleius (VI), Minasius (XIV), Minisius (VI), Minucius (correpta u;

passim), Minicius (passim), Minuconius (V), Mincilius (IX), Mincaleius (X), Mincullius (X), Minidius (XIV), Mindius (passim), quibus accedunt cognomina a gentiliciis oriunda. ipsum minus nominis locum habuisse docet titulus Aquinas X 5437, in quo legimus L. Annium C. f. Minum. N geminata est in nomine Minnae (VI, VII, VIII), sicut scriptum videmus Minnius (V, XII) et Minnatius (VIII) (gen. Minnieís in inscriptione Campana). Mininnum (XIV, VIII) cum pisinno comparo; notum est mino(s), qua adpellatione distinguntur mulieres Praenestinae (XIV). eidem cognationi a quibusdam recte fortasse adnumerantur Minturnae (sive Menturnae, vide CIL. X p. 595, confer osc. menvum); Minio quoque Etruriae fluviolus (Verg. Aen. X 183), huc videtur referendus esse. Galli videntur ab eodem vocabulo declinavisse nomen Mincii fluvii.

in titulo *Deliaco* III 7218 legitur Min(atus) Staius Ov(i) f., graece Μίνατος Στάιος Οὐίου; saeculo septimo medio posterior non est. Μίνατος Μινάτου (Σ)τήιος Ῥωμαῖος ἐκ Κύμης ἀνέθηκεν est in inventario donorum factorum aedi Apollinis Delii scripto circ. a. u. c. 574 (bull. de corr. hell. 6 p. 45). de Minato Magio Vellei rerum scriptoris atavo ipse Velleius loquitur 2, 16; cuius filium nominat titulus *Aeclanensis* IX 1140 aetate Sullana vel Ciceroniana scriptus. L. Vettio Min(ati) f. Vol. Ursulo Veri[no] positus est titulus *Aufidenas* IX 2809. de his omnibus vide Mommseni adnot. ad III 7218.

Minaz habetur in tabella *Cumana* (vide Plautae gramm. dial. osc. et umbr. II p. 511), genetivom Minateís in inscriptone *Campana* (ibd. p. 522), Mina(teis) in titulo *Campano* (ibd. p. 525).

confer nomen Menatii.

Minutus

nomen rarum.

Vasione XII 1435 Namuta Minutae fil.

Thabracae VIII 5199 L. Marcellus Minuti fil.

nomen Minuti vasi inscriptum est *Agrippinensi*, cf. Schuerm., Sigl. figul. p. 178 n. 3610.

ab hoc cognomine gentilicium ortum est Minutius. vide nomen Minati.

Moderatus

a modo declinatum est vetustissimum nomen Modii (Umbrorum commonet nomen M. Mersiei aedilis Praenestini XIV 2975), similior autem Moderato est Modestus. Moderati servi, libertini, ingenui humili loco maximam partem nati vocati sunt inde a primo a. Chr. n. saeculo fere medio usque ad quartum Christi; atque satis multos dederunt tituli *Italici, Norici, Pannonici, Dalmatici, Hispani, Africani,* pauciores *Gallici, Rhenani, Britannici.*

Moderatum declamatorem novimus ex Senecae controv. 10 praef. 13; celeberrimus est L. Iunius Moderatus Columella rei rusti-

cae scriptor (IX 235); Moderatum uxoris imperatoris M. Aureli Antonini adulterum adfert Capitolinus 29. ex titulis eligendos putavi hos:

Romae XV 2474 . . . Numer[ius M]oderat(us), saec. I.
VI 2725 C. Vedennius C. f. Qui. Moderatus Antio miles leg. XVI Gal. e. q. s., donis militarib. donat. bis ab divo Vesp. et imp. Domitiano Aug. Germ.
VI 975a 1, 39 Q. Umbricius Q. l. Moderatus, a. 136.
VI 2379a 4, 11 C. Pontius Moderatus Emona praetorianus, a. 143.

Salonis III D VII P. Lurius Moderatus Risinitan(us).

Celeiae III 5202 C. Rufius Moderatus Iunianus Iuncinus praef. coh. VI Raet., trib. mil. leg. VII C. p. f., imperante Traiano.

in castris Lambaes. VIII 18065 Antonius Moderatus miles, a. 162.

Mactari VIII 11806 Q. Iul. Moderatus fl. pp., cur. reip., a. 364—375.

Modorati traditur ex titulo *Africano* VIII 10830; confer T. Fufium Modostum tituli Arausiensis XII 1250.

vide nomina Moderatius, Moderatianus, Moderatilla.

Monnata

hoc nomen declinatum est a vocabulo, si unius tituli nominumque excipis testimonia, adhuc plane ignoto. est enim in titulo *urbano* VI 27009: 'Sulpicia Parthenopae Fructosae alumne suae b. m., que vixit annos VIIII m. II d. XV, quae supra monnulam suam supra vixit dies XXII'. adparet blanda voce significari puellam, et recte videtur comparari Italorum *monella*. ab eodem vocabulo tracta sunt Monnus (X), Monna (VIII), Monnius (X 3778, 1, 6, a. u. c. 648; IX), Monnica (VIII), Monninus (V, VIII), Monnosus (VIII), Monnula (VIII).

Caesareae VIII 9392 Celia Monnata uxor Val. Silvani trerarchi (sic).

Moratus

Mediolanii V 5988 Moratus C. Cassi Cinnami libertus.

Munitus

Romae VI 22694 Munitus Palpelli.
VI 26089 Munitus Secundae maritus.

Muscatus

Musca vetus praenomen est (T. Sempronium Muscam habes apud Liv. 45, 13); Muscatus a musca declinatum est sicut a belua beluatus; significatur igitur muscae similitudo.

Dumnanam Muscati filiam ostendit titulus *Barinus* IX 306.

Mussatus

Mussatus est qui mussat; Varr. sat. 102 B: 'discumbimus mussati'.
Arrabonae in Pannon. sup. III 4369 Aur(elius) Mussati fil(ius).
vide nomen Mussi.

Mussus

mussus participium perfecti esse puto verbi muttiendi; inde Naevius dicit summussos (inc. nom. trag. X R.[3]). ab hoc vocabulo orta sunt nomina Mussus, Mussulus, Mussosa, Mussiosa, Mussiolus.
Interamniae IX 5067 L. Agusius Cn. f. L. n. Mussus octovir iterum.
Cirtae VIII 7333 Domitia Mussa Domiti Marcellini filia.

Mutatus

Romae VI 5197 Mutatus a manu (Ti. Caesaris Augusti).
VI 29053 Mutata Vistilia.
ad Mutatum quendam rescriptum extat imperatoris Alexandri a. 229 in cod. Iustin. II 41, 1.
mutatum servom intellege mutando comparatum.

Nacta

participium verbi nanciscendi passive a nonnullis usurpatum est (vide Neuii librum de formis III[3] p. 68). Dentriam Nactam ostendit titulus *Italicus* IX 5140; rectene autem traditum sit nomen iure dubitaveris.

Natus

hoc nomen rarissime in *Italia* et in *Gallia Narbonensi*, saepius in *Africa* invenitur. ortum esse puto incipiente aetate imperatoria, abolitum saeculo tertio. hinc declinata sunt Natulus et Natilla; nomina Natalis (et quae ab hoc ducta sunt) et Nativi ex hoc indice excludo.
Romae VI 28235 Valeria Ɔ. l. Nata.
X 8059,112 in signacula: Ti. Claudius Natus.
Vasione XII 1417 M. Iulius Natus.
Ammaedarae VIII 11563 C. Natus.
Madaurae VIII 16894 C. Iulius Natus.
Cirtae VIII 7656 [P]ompeia Nata.
Mastar VIII 6621 C. Sossius Natus.

Neglicta Neclicta

Vasione XII † 1503 'Neglic[t]a pax tecum'.
Arelate XII † 955 Neclicta.
Neglicta (Neclicta) est Neglecta; *neclegens* est apud Festum p. 162 Thewr.; vide Placidum in voce neglegens. multa huiusmodi nomina christianis placuerunt.

Neratus

hoc nomen et quod ab eo declinatum est Neratius facile adparet divelli non posse a vocabulo italico eo, quo fortitudo significatur; nosti enim oscum *nerum*, umbricum *nerf* (cf. Buechel. lex. it. XVII seq.), et divinitatis nomina quae sunt Neria Nerio Nerienes (Gell. XIII 23), quibuscum cognatum esse puto Nerulum Lucaniae oppidum (Liv. IX 20). hinc humana quoque nomina originem traxerunt, quorum notissimum est Nero gentis Claudiae cognomen, quo significari Sabina lingua fortem ac strenuum Suetonius docet in vita Tiberi 1 (Gell. XIII 23, 8). cum hoc coniuncta sunt Nerius Nerasius Neronius Nerusius Nerula Nerullus Nerulinus Nerullinus; Nerianus et Neranius ad oppida pertinere adhuc ignota Huebnerus docuit in quaest. onomat. I p. 41 et 68 (ephem. epigr. a. 1874). iam considerandae sunt eae huius stirpis propagines, quae participiis sunt similes. atque Neratus, unde ductum est Neratius, non male explicatur conlato participio viratus (Ecclesiastic. 28, 19), a cuius significatione tantulum differt adiectivom viraceus (Varr. sat. 300 B.). tamen et huius et aliorum nominum explicatio turbatur eo, quod in Gallorum lingua eandem vocabulorum stirpem viguisse scimus (vide Fickii lex. indog.[4] II p. 193), quam ob rem Neratum eum, qui in titulo Pannonico III 10604 nominatur, ex sermone italico nomen accepisse pro certo adfirmari nequit. sed magis etiam hoc cadit in nomen Neriti, cuius exempla ex parte certe Gallica esse demonstratur titulo Pannonico III 3558, in quo legitur Bato Neritani. attamen alteram partem ex Italorum lingua natam esse vincunt aliae inscriptiones et vocabulorum viritim, viritanus (Pauli Festus p. 567 Thewr.) similitudo. consimilem nominis fingendi rationem ostendit titulus III 6855 inventus Antiochiae in Pisidia, qui L. Nerutium Q. [f.] Ser. exhibet. ab ampliore vocabulo dictum est nomen Neriatii, quod si cui ad Neriam deam referendum videtur, nihil refragatur. de Neratiorum patria dicendum erit in hoc ipso nomine.

P. Fulvium Neratum lectissimum hominem habes apud Cicer. pro L. Flacco 46. Neratum Ursi filium ostendit titulus *Pannonicus* III 10604.

Neritus

Romae VI 15063 Ti. Claudius Neriti l. Felix, maritus Fanniae Primae.

Veronae V 3393 Cn. Cornelius Curvini l. Neritus VI vir Aug., Clodiae Tonnianae l. Chrestae contubernalis.

Segusione V 7264 Neritus Satri st(ationis) l(iberti) [v]ilicus summ(arum) Segusione.

Caesareae VIII 9505 Neritus Trophimi vicarius.

Neritanus (III 3558) Gallicum puto esse. vide nomen Nerati.

Nominatus

nominatus est homo boni vel clari nominis. cognomen est satis rarum, ortum fortasse primo p. C. saeculo et usurpatum usque ad quartum. placuit hominibus plebeii generis *Romae, Ostiae, Ricinae, Neapoli.*

Romae VI 868 Aur(elius) Nominatus patronus corporatorum, et alter eiusdem nominis vir quinquennalis, a. 256.
Ostiae XIV 246,5,7 A. Lucceius Nominatus, a. 140.
Ricinae IX 5746 'divos Traianus Augustus concessa Tuscili Nominati hereditate rei publ. Ricinensium balneum et platias reparanda mandavit'. Tuscilium Nominatum causarum patronum habes apud Plin. ep. 5, 4; 13.

Nonnita Nunnita

a nonno vel potius a nonna, posterioris latinitatis vocabulo, de cuius in romanensibus linguis propaginibus consulas Diezii lex. etym.[4] p. 254, ductum est Nonnita, sicut a bono Bonitus al. quocum cognata sunt nomina Nonnus Nonnius Nonneus Nonnica Nonnosa. non separanda ab his puto nomina quae sunt Nun(n)ius Nunnuleius Nunniena Nun(n)idius, quibuscum cohaeret Nunnita.

Aquileiae V †1691 'ego Babbius Nonnite coiugi pos.'.
Mediolanii V †6252 'Nonnita qui vixit in sec. an. XL pl. min., qui vix. cum virginium suum an. XVIIII et men. III dies X, Saturus exsorcista maritus se vivum cont. vot. pos.'.
Ravennae XI 170 'Claudius Asterius sibi et Nunnitae coniu. kariss. vibi posuer.'

Notatus

Notatus b(adius) (equos) est in titulo *urbano* VI 10056,19; eiusdem originis est titulus christianus mihi notus ex Angeli Mai script. vet. nov. coll. V p. 395 n. 1, in quo legitur 'Notatus servus fidelissimus'. Aniciam Notatam ostendit inscriptio *Galliae Narbonensis* XII 2822 (= 3113).

Notatos homines puto a notis genetivis nomen invenisse; equos quod Notatus adpellatur, id intellegendum est de nota inusta.

Notus

servile nomen optimae aetatis, quod invenitur *Romae, Pompeiis, Capuae, Arpini, Aquileiae, Ateste, Veronae, Taurinis, Narbone, ad Rhenum.* Statiam Notam, quam exhibet titulus Campanus X 4028, a novendo adpellatam esse demonstrat apex vocali o impositus; in ceteris quaeritur sintne ex graeco nomen mutuati; nam et νόθος nominis locum habere potest et νότος venti adpellatio (cf. Ael. Spart.

Hel. 5 '(Verus cursores suos) ventorum nominibus saepe vocitavit, **Boream** alium, alium Notum et item Aquilonem aut Circium ceterisque nominibus appellans.'

Romae VI 21776 C. Maecenas C. l. Notus.

Aquileiae V 1289 'Magia P. f., P. Magius Ɔ. l. Notus, P. Minius P. l. Statius seibi et suis l. l.'

Pompeiis IV 2405 Notus.

Arpini X 5685 P. Fufidius Notus, Fufidiae P. l. Notae frater.

Narbone XII 4467 Nota L. Cervi L. l. Zethi liberta.

Novatus

a novando quasi νεόφυτος. adiectivom novos antiqua iam aetate in nomina transiit tam hominum, quam locorum; inde dicta sunt Nv. praen. oscum (lat. Novius), Novla, Nouceria oppidorum nomina al. (vide Buecheleri lex. it. XVIII, Huebneri quaest. onomatol. I p. 43 (in ephem. epigr. a. 1874)). ex titulis maxime novimus humana nomina quae sunt Novius Nucius Novieius Novicius Novellus Novellius Novelledius Novernius Novasius. Noventiae nomen (VIII 2154) a novendo ortum puto ut noventium nuntium; eandem originem habere potest nomen Novetii, quod infra proponam, si tamen latinum est; nam in Gallorum quoque lingua hanc vocabulorum familiam viguisse scimus (cf. Fickii lex. indog. II[4] p. 193). Novantia et Novantius, cum idem significent atque Novatus, ad participiorum praesentis similitudinem conformata sunt.

nomen Novati, quod gessisse scimus unum ex filiis Senecae rhetoris origine *Baetici*, in hac ipsa terra praecipuam habuit sedem, ubi certe incipiente aetate imperatoria in usu fuisse hoc Annaeae gentis exemplo docemur. rarum autem fuit in *Lusitania* et in Hispania *Tarraconensi*; paucis placuit in *Africa*, paucissimis in *Illyrico*, in *Gallia Narbonensi*, in *Italia*. duravit in saeculum sextum et ne a christianis quidem spretum est. libertini rarissime eo usi sunt. derivata nomina sunt Novatianus Novatilianus Novatilla Novatillianus.

Foro novo IX 4855 a L. Flavius Novatus Victor Iunianus trib. leg. III Cyrenaicae, ...

in *Baetica* II 1614 M. Cornelius A. f. Nova[t]us Baebius Balbus praefectus fabr., trib. mil. leg. VI victricis piae felicis, flamen provinciae Baeticae.

II 1945 L. Munius Quir. Novatus IIvir, imperante Domitiano.

II 999 L. Helvius M. f. Novatus. (meministi Helviae Senecae patris uxoris.)

II 2115 M. . . . . . vius M. f. Gal. [N]ovatus IIv[ir] . . . . . pont. divi Aug.

Sitifi VIII †8634 antistes s(an)c(tu)sque Novatus, a. 440 (episcopus fuit Sitifensis; memoriam eius libri quoque servaverunt, vide CIL.).

Novatum adpellatum esse Terentiani Mauri generum ab ipso Terentiano docemur. Novatus presbyter ecclesiae Carthaginiensis anno 251 Romam venit et Novatiano haeresiarchae se coniunxit (Hieron. chron.). de Martio Novato Renato v. c. et sp. Boethii emendatore cf. Schepss, Bl. f. d. Bayer. Gymn. 24 p. 24 sqq. num huc etiam *Novadus* tituli Lucerini IX 881 spectat?

Obitus

Romae VI 1055 M. Aurelius Obitus (centurio vigilum), a. 205.

obitus est qui obit vel obiit parentes. 'obitu dicebant pro aditu' Paulus p. 215 Thewr.; 'set quis est qui interrumpit sermonem meum obitu suo' Turpilius v. 66 Ribb.[3] obitus saepissime mortuum significat. conferas Aditum Adventum al.

Oculatus Oclatus

varias ob causas ob oculo humana tracta sunt nomina. Ocellas Plinius n. h. XI 150 ab oculorum parvitate dicit esse adpellatos; praeter hoc novimus nomina Ocilii, Ocelli, Ocellii, Ocellionis. eiusdem autem generis nisi fallor sunt Occius (praen., vide Momms. quaest. Rom. p. 29) Ocius, Ocanius, Occusius; lucanum est Ὀκύλος (conf. Deeckii Falisc. p. 283); ὄκκον· ὀφθαλμόν Hesychius. ad participiorum similitudinem conformatum est Oculatus Oclatus (conf. oculatam piscem ap. Plin. n. h. 32, 149; oclum in app. Probi p. 198, 18 K.; Bonam Deam Oclatam in CIL. VI 75 (conf. n. 68)). ab Oculato derivata sunt Oc(u)latius Oculatianus Oclatinus Oclatinius.

in *Hispania* II 2498 'Bandue Cornelius Oculatus v. s. l. m.'.

Iulii Carnici V 1840 M. Iuventius M. f. Cla. Oclatus vet. coh. VIII praet.

Oclati nomen ostendunt etiam vasa inventa in *Hispania* et in *Gallia Narbonensi*.

Ocupata

Romae VI 16113 C. Cornelius . . ., Cornelia . . ., Ocupata . . . . (cetera perierunt).

confer graecum nomen Ἄσχολος.

Opita

Caecilia Opita est in titulo *Byzaceno* VIII 476.

si hoc nomen recte scriptum est, neque (H)o(s)pitam intellegendam esse censes, ab eo verbo potest mulier nomen accepisse, unde tracta sunt optio optumus optare, servato in Umbrorum dialecto (cf. Buech. Umbr. p. 30 et 37). nomen Electae supra posui.

Optatus

nomen perquam frequens fere ubicumque latina lingua viguit, frequentissimum autem *Romae* et in *Africa*. Caesaris Augusti aetate

posterius non est; quo tempore cum servis aptius fuisset quam ingenuis, brevi inter horum quoque nomina receptum est. exeunte autem saeculo p. Chr. primo vel nobilissimos eo uti potuisse certum est; tamen et tum et sequentibus saeculis humillimis et servis acceptissimum fuit. maxime in usu fuisse crediderim saeculis primo secundo tertio, sed ne quinti quidem exempla desunt. christianos, si titulos consuleris, tantum non sprevisse dices nomen Optati; tamen libri satis multos Optatos episcopos, presbyteros al. ostenderunt. eundem sensum significat Optantius, eiusdem generis sunt Optandus et Optabilis. ab Optato declinatum est Optatius, hinc ductum Optatianus; a simplici cognomine tracta sunt Optatio, Optatinus, Optatilla, Optatulus.

Romae VI 4683 C. Iulius Optatus (hic videtur manumissus esse ab ipso Caesare Augusto).
VI 7479 D. Caecilius Optatus, natus a. p. C. 13, mortuus a. 16.
VI 13 M. Aurelius Optatus, a. 228.
VI 2137 Aurelius Optatus sacerdos sacrae urbis (fuit Vestalium minister), a. 286.

Bovillis XIV †2425 Optata christiana.

Minturnis X 6006 L. Burbuleius L. f. Quir. Optatus Ligarianus cos., sodal. Aug., leg. imperat. Antonini Aug. Pii pro pr. prov. Syriae, in quo honore decessit, leg. eiusdem et divi Hadriani pro pr. prov. Cappad. e. q. s.

Stabiis X 769 Ti. Iulius Aug. lib. Optatus praefectus classis Misenensis, a. 52.

Gauli X 7501 M. Livius M. f. Qui. Optatus flamen G[a]ul(itanorum) Iuliae Augusti imp. perpet. (pater huius viri videtur manumissus esse a Livia antequam Augustus mortuus esset.)

Lunae XI 1356 Optatus (servos) decurio collegii ut videtur lapicidarum, a. p. C. 19.

Concordiae V †8764 Flavia Optata (aevi videtur esse Arcadii et Honorii).

Thamugadi VIII 2403,1,29 Aufidius Optatus fl. p. ('ante a. 367, extremis fortasse Constantii annis vel imperante Iuliano').

Lambaesi VIII 2736 P. Caelius Optatus leg. Aug. pr. pr. leg. III Aug. (amicus fuit Frontonis, cf. ad am. I 9; idem nominatur in VIII 18067 a. 166).

Cirtae VIII 7062 P. Porcius Optat[us] c. p. fil. [P.] Porci Optati Flamma[e] c. v. praetoris, inter tribuni[cios] adlecti, quaestoris pro[vin]ciae Baeticae, sacerdot[io] Flaviali Titiali iudicio dom[ini] n. sanctis-

simi et fortissi[mi] imp. Caes. L. Septimi Sever[i
Per]tinacis Aug. Pii exor[nati], e. q. s.
Carthagine VIII 12789 M. Optatus Amillus (Optatus hic nominis gentilis locum obtinet).
VIII †13816—†13819 homines christiani.
Optatus cos. est anni 334. ad Optatum episcopum Milevitanum Augustinus a. 418 epistulam scripsit n. 190. ceteros, ne multus sim, hic praetermitto.

Oratus

Romae VI 1057,2,81 T. Nymfi(us) Oratus vigil, a. 205.
VI 2337 Oratus pub(licus) Fabianus ab opera publica.
huc referendum esse censeo Horatum Pompeiae Nices contubernalem (VI 24554), cui re vera Honorato fuisse nomen putavit Christianus Huelsen. Oratae nomen ductum est ab orata pisce (cf. Fest. p. 202 Thewr., Varr. r. r. III 3, 10). Oratius est Horatius.

Ordinatus

hoc nomen videtur esse in titulo *urbano* VI 207, qui praebet haec: 'A. Pontius L. f. Scap. Pris[cus ....] ORDINATVS missus hon[esta missione ex praeto]rio ab optimo maximo im[p. Hadriano Aug.]'. idem nomen intellegere licet in tegula *Astigitana* II 6326 '[M.?] Pos(tumi) Ord(inati?)'.

Ornata

in *provincia Byzacena* VIII 612 Laria Ornata.
Mediolanii V 5964 Ettnia Hornata (sic) T. Avilli Onesiphori Horesi uxor.

Orsatus

'Ορσᾶτος equos nominatur in tabula execrationis edita a Wuenschio, Sethian. Verfluchungstaf. 21. ursi similitudinem hoc nomine significari persuasit mihi Solmsenus; ursatus enim est ab urso, ut beluatus a belua. in iisdem tabulis saepius scriptum est Κοπίδων.

Ortatus

M. Terentium Q. f. Ortatum ostendit titulus *Africanus* VIII 15768.
hunc neque ab hortando dictum esse neque ab horto nomen invenisse putaverim; veri fortasse simillimum est a participio quod est ortus novum declinatum esse verbum, cuius participium fuerit ortatus. quod si datur, ortatum intellegas ἀνατέλλοντα.

Ortus

'Orte vene est' legitur in vase *Galliae Narbonensis* XII 5687,28. conferas nomina Orientis et Oriendi.

Pacatus

nomen Pacati, ortum ut opinor sub imperio Caesaris Augusti, initio maxime a servis videtur usurpatum esse. brevi autem non ab honestioribus solum, sed etiam a nobilibus dignum habitum est, quod imponerent filiis. duravit per tria fere saecula. acceptissimum autem fuit *Afris*, multis placuit *Italis*, maxime *Romanis*, et *Galliarum Germaniarumque* incolis, rarius gerebatur in *Illyrico* et in *Hispania*. hinc nomen quoque gentile tractum est certe iam altero saeculo; quod suffixo auctum novom dedit cognomen *Pacatiani*, cuius exempla spectant ad saecula secundum tertiumque; eisdem fere temporibus in usu sane raro fuerunt *Pacatinus* et *Pacatilla*, quorum illi in *Germania inferiore* nominis gentilicii et forma et munus datum est.

Romae VI 4992 Turrania Pacata (aetatis est Tiberi vel Claudi).
VI 8807 Paetinus Ti. Claud. Caisar. Aug. corp. cust. dec. Pacati.
VI 2379b,29 Sex. Rummius Pacatus Carsul(is) miles praetorianus, a. 144.
VI 414 D. Iun. Pacatus, a. 191.

adde C. Prastinam Pacatum Messallinum cos. a. 147.

Beneventi IX 1575 Claudius Iulius Pacatus v. c. cons. Camp.

Pompeiis IV 1486 bis legitur Pacati nomen altero loco G consona scriptum.

Viennae XII 1872 C. Passerio P. f. Vol. Afro trib. milit. leg. XXII, IIIIviro, flam. divi Augusti, flam. Germ. Caes., praef. fabr. III amici, inter quos est P. Tincius Pacatus, titulum ponunt. (litterae sunt saeculi I.)

de Latino Drepanio Pacato oratore saeculi IV ex *Gallia* oriundo vide Teuff. hist. litt. rom.[5] p. 1086 sq.

Thebis in Aeg. III D XIII [Se]x. Cornelius [P]acatus testis in diplom. mil. a. 86.

in *provincia Byzacena* VIII 211 Aemilia Sex. fil. Pacata flaminica perp. (vixisse videtur ineunte saeculo secundo).

Carthagine VIII 12860 Ulpia Pacata, saeculo II ineunte.

Thamugadi VIII 17898 Prastinia C. f. Pacata (filia est C. Prastinae Pacati Messallini, qui leg. Aug. pr. pr. leg. III Aug. fuit a. 144—146, cos. a. 147).

Auziae VIII 9109 Gargilia Pacata Q. Gargilio Campano mausoleum extruxit a. 233.

Palmatus

equorum nomen.

Romae VI 10053e,7 Palmatus Af(er).

VI 10056,24 Palmatus cin(ereus).

confer nomen Victoris equo impositum in VI 10056,12. simile est nomen christianum Palmantii. — de equis Palmatiis vide cod. Theod. X 6 (a. 395).

Pansa

Pansae a pedibus pansis cognomen invenerunt, quam rem tangunt Plinius n. h. XI 254, Quintil. inst. I 4, 25 ('pansam aliquantulum' Plaut. Merc. 640). hoc nomen nobilibus honestioribusque fere solis imponebatur, atque in usu fuit iam quinto urbis saeculo; nam Q. Appuleium Pansam cos. a. u. 454, L. Titinium L. f. M'. n. Pansam trib. mil. cos. pot. a. u. c. 354, II a. 358, C. Vibium C. f. C. n. Pansam Caproniauum cos. a. u. c. 711, Corellium Pansam cos. a. p. C. 122, P. Licinium Pansam cos. suff. a. p. C. 134 fasti ostendunt. praeter hos novimus incertorum annorum consules M. Hirrium Fr[ont]onem Neratium Pansam (cf. prosopographiam imperii rom. II p. 144 sq.) et M. Iuventium M. f. Fab. Secundum Rixam Postumium Pansam Valerianum (CIL. V 4334). aeque incertum est quo tempore vixerint C. Servilius Pansa, quem repente mortuum esse, cum staret in foro ad tabernam hora diei secunda in P. fratrem innixus, Plinius tradit n. h. VII 182, et Pansa grammaticus, de quo dixit Leo in Hermae vol. 24 p. 294 n. 2. quos ex titulis novimus Pansae satis pauci saeculorum sunt urbis octavi, Christi primi secundi tertii, oriundi ex *Italia,* ex *Gallia,* ex *Dalmatia;* ex quibus hic eligam paucissimos:

Tibure XIV 3666 L. Nonius L. f. Pansa, Tul. Tullius Tul. f., C. Manius C. f., L. Magilius L. f. iterum: IIII viri.

Lavernis IX 3138 L. Pettius C. f. Pansa magister Laverneis.

Pompeiis X 790. 791. 858. 859 (cf. CIL. IV) Cuspii Pansae (de quibus dixit Mommsenus ad X 858 et 859).

Miseni X 3615 Titius Aquilinus, Epidius Pansa triere Iside.

multas novimus tegulas Pansianas (cf. CIL. V p. 957).

tantulum deflectendo L. Crassicius grammaticus genere Tarentinus ordinis libertini cognomen ex Pasicle fecit Pansam (vide Suet. de gramm. 18). Πάccαν Plutarchus de fort. Rom. 7 Hirti conlegam nominat, cum in vitis parall. Πάνcαν eundem adpellet. adfinitate videtur coniunctum esse etruscum *pansa* (cf. Deeckii Falisc. p. 284), et fortasse ex eadem familia sunt Pas(s)ius Pasianus Passinianus Passennus (Passenus) Pas(s)enius Pas(s)ienus Pas(s)ienius Pasidius Passidienus Passidenius Passonius. a Pansa descendunt Pansius et Pansinus.

Papitus

Papitum christianum habes in titulo *Vasiensi* XII †1504.

adpellatus est a pappo, papa, confer patratum (patritum) al.

ex eodem genere sunt nomina Pa(a)pus Papa Papo Paapii Pap(p)ius Papilus Papinius Papisius Papirius Paperius Pappedius.

Paratus

Parati nomen, quod satis frequens fuit *Romae*, rarum in *Italia*, in *Galliis Cisalpina* et *Narbonensi*, in *Africa*, in *Illyrico*, in *Hispania*, in *Germania inf.*, ortum est primo p. Chr. n. saeculo in servorum contuberniis et duravit per tria fere saecula. semper humillimis inditum est solis.

Romae VI 8957 Claudia Aug. lib. Parata.
VI 1057,3,43 C. Extri(us) Paratus vigil, a. 205.
VI 10048 et 10053 sq. equi.
Ostiae XIV 252,17 L. Veius Paratus, a. 200.
Pompeiis IV 251 'Pansam aed. Paratus rog.'.
Beneventi IX 1617 Ofillia Parata C. Lucci C. fil. Stell. Sabini Beneventi decurionis uxor, a. 134.
Nemausi XII 3380 Paratus Sex. Aemili Veri libertus. (litterae sunt saeculi I vel II incipientis.)
in *Britannia* VII 1195 Paratus testis in diplom. milit., a. 124.
in *Pannonia super.* III D XXVI C. Iulius Paratus testis in diplom. mil., a. 113 aut 114.
Segisamone II 5812 Pub. Paratus, a. 239.
in *Africa* VIII 14372 T. Aprarius Felix Q. fil. Papiria Paratus aedilicius, fl. perp.
vide nomen Paratiani.

Parcatus

Romae in supellectile domestica (Notiz. d. scavi a. 1880 p. 387) P. Terenti Parcati.

parcatum intellegere licet parcum, sicut bonatum bonum al. sed potest etiam etymon habere a Parca, ut Μοιροκλῆς a Μοίρᾳ; confer oscum Pukalatúí (dat.); cognatum videtur esse nomen Parciliae (V 3003).

Partus

Ferrariae V 2382 Cn. Arrius Cn. f. Partus.

Partus a pariendo dictus est, sed Partuleii (VI 23838) a Partula nomen acceperunt. *Parens* invenitur Pompeiis.

Passaratus

in pariete *Pompeiano* IV 995 legitur: L. Ceium Secundum IIvir. Passaratus nec sine Maeniano rog(at).

passaratum adparet passeri similem esse. passarem ex nonnullis interpretationis italae codicibus Roenschius protraxit in mus.

rhen. 34 p. 502 (= Collect. phil. p. 21). 'passer non passar' et in Probi append. p. 198 K. vocabula romanensia a passare oriunda collegit Ullmannus in Vollmoell. quaest. roman. VII p. 182. in titulo Nicopolitano III 7437 (= 6150) nominantur Aur(elius) Seneca, fil(ius) Passar (a. 227). Pasarinum praebet titulus urbanus VI 23840, Pasarinum n(igrum) (equom) VI 10056,2. praeter haec novi nomina humana quae sunt Passer Passeru(s) Passerius Passerianus Passerinus Passerilla.

Pastus

Romae VI 14843 Iulia Pasti Augusti et Augustae l. l. Rhodine. (hic Pastus manumissus est mortuo Augusto, vivente Livia.)

pastus est qui pascitur. 'quot pascit servos' Iuvenalis. potest etiam graecum esse. vide christianum nomen Pascentii.

Patrata

Polae V 90 Patrata coniux Fortunati Iuli Frontonis actoris. (Iulium Frontonem tribunum vigilum vinctum ab Othonianis habes ap. Tacit. hist. 1, 20; 2, 26.)

confer nomen Impetrati.

Peditus

in *Dacia* III 8013 (= 1578 cf. p. 1017) [Aur. P]editus pater [Au]r. Peditiani.

Peditus a pedibus dictus est participio ad analogiam coniugationis in i formato, cf. pedatus et verbum impediendi. 'Pedo πλατύπους' Philoxenus. cognata sunt Peda Pedo Pedius Pedianus Pedienus Pedusius Peducaeus Pedullius.

Pensata

Romae VI 9030 Pensata mater Phoebi Actes Aug. l. l.
VI 15410 Pensata soror Claudiae Actes l. Eurydices.

pensatus eundem sensum significat atque consideratus, cogitatus al. de hac pensandi vi consulas Bonnetum, *le latin de Grégoire de Tours* pag. 280. nota sunt verba romanensia *pensare, penser.* confer nomen Cogitati al.

Perpessus

in *Gallia Narbonensi* XII 2473 n T. Cannutius Atticus Perpessus.

confer perpessicium (Seneca, lib. gloss.).

Petita

in *provincia Numidia* VIII 20132 Em. Petita.

Pexsus

Nepet XI 3205 Q. Veturius P. f. Pom. Pexsus lupercus Fabianus ex collegio Virtutis, trib. mil. II, praefectus fabrum, Fidustiae L. f. filius. (litterae sunt saeculi primi.)
Superaequi IX 3318 Iucunda Pexsa vestiplica Iucundi et Phyllidis filia.

Pictus

Comi V 5279 Lutulla Picti f. contubernalis L. Caecili L. f. Cilonis patris naturalis Plini minoris (cf. Momms. in Hermae vol. 3 p. 60).
incertum est exemplum V 7918.
vereor ne celticum sit (cf. VII 1336, 831 *Pictilli* (genet.)).

Pilatus

Syracusis in amphitheatro X 7130, 18 'Alfiani et Pilati'.
Pontius Pilatus procurator provinciae Iudaeae.
pilatus est pilo armatus.

Pilutus

Pilutum ex hac nominum familia non eximo, quamquam L. Voltacilium rhetorem et rerum scriptorem, quem solum ita adpellatum inveni, Martinus Hertz in mus. rhen. 43 p. 312 sqq. Pitholaum vocare maluit. cognominatur enim a Suetonio de rhet. 3 Pilutus (corrupta puto esse Pillutus, Plut', Pilatus), et quod idem Hieronymo (ad Euseb. chron. 1936) Plotus est, id Hieronymi scribaeve alicuius neglegentiae vel imperitiae facile tribuetur, praesertim cum idem falso Pompei libertum dicat Voltacilium. Piluti enim nomen rarissimum certe fuit, Plautus et Plotus ultro se obtulerunt. cognata cum Piluto putaverim nomina Pili et Pilii (Cic.); pilutum intellego pilosum, cf. nasutum. 'L. Voltacilius Pilutus servisse dicitur atque etiam ostiarius vetere more in catena fuisse, donec ob ingenium ac studium litterarum manumissus accusanti patrono subscripsit. deinde rhetoricam professus Cn. Pompeium Magnum docuit patrisque eius res gestas nec minus ipsius compluribus libris exposuit, primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus nonnisi ab honestissimo quoque scribi solitam ad id tempus' Suet. de rhet. 3.

Pinitus

Piniti nomen latinum videtur esse, quippe quod nisi *Romae* fere non inveniatur; dictum putaverim a pinu, ut sit pinu similis; L. Mussius L. f. Pinus est in titulo urbano VI 22763; confer vernaculum nomen *Fichte* et graeca nomina a πίτυι declinata. Πῖνον autem Pinariosque his admiscere non audeo, quamquam quin latina sint nomina nullus dubito. sed *Pinnes* Illyriorum rex et *Pinnes* Pannoniorum dux non ex latino nomen acceperunt.

Romae in tessera consul. I 772 Pinitus Allei, a. p. C. 42.
VI 18168 T. Flavius Aug. lib. Pinitus.
VI 11642 C. Anicius Pinitus Aniciae Athenaidis maritus.
VI 10529 Acilia Pinite. (potest etiam graecum esse, cf. XIV 1399.)
in *Norico* III 5131 Pinit(us) Coudoma[ri], Acceptus Pin[i]t....

Placitus

Sextus Placitus Papyriensis quarto ut videtur saeculo librum scripsit de medicina ex animalibus (cf. Teuffelii hist. litt. rom.[5] p. 1148 sq.). placitus est ἀρεστός (vide de hoc participio Neuii librum de formis III[3] p. 116 sq.).

Politus

Augustae Vindelicum III 6010, 166 Politus.
in *Africa* VIII 17010 Politus Saturni f.
haec exempla alterum altero confirmantur. plura autem eiusdem generis nomina non repperi; nam Aurelius Capito Politianus, quem nominat titulus urbanus VI 13287 vereor ne a Pollitio aliquo alterum acceperit nomen; a Pollitto enim recte ducitur Pollitius.

Possessa

nomen rarissimum, quod inveni in titulo *urbano* VI 24841 a Possessa Eufronio posito.

Potitus

cognomen Potiti ex antiquissimis est. *Valerium Potitum* Plut. Cam. 4 tradit cum Veii obsiderentur missum esse cum aliis ad Apollinem Delphicum. neque vero hunc solum novimus, sed nobilissimum hoc cognomen factum est in *Valeriorum* gente patricia. qua de re si consuleris fastos, multos invenies Valerios Potitos consules tribunosque militum cos. pot. inde ab anno urbis 271 usque ad annum 758, quos enumerare supersedeo delegans lectores ad CIL. I[2] p. 353 sq. sed ab hoc patriciorum cognomine omnino segregandum est id, quod in titulis haud raro legitur. cum enim illud aetate imperatorum fere nusquam adparuerit, hoc tum demum in usum receptum est et servis libertinisque imprimis *Romae* aptum fuit, quamquam ceteris locis, maxime in *Africa,* ingenui plures inveniuntur, quam libertini. satis multa exempla prodierunt in *Italia,* in *Galliis* Cisalpina, Narbonensi, Lugudunensi, in *Illyrico,* in *Hispania.* viguit autem hoc nomen maxime saeculis p. C. primo secundoque, rarum fuit iam tertio. hinc in *Gallia* et in *Africa* ortum est gentilicium Potitii; Potitianum praeter ceteros virum clarissimum videmus adpellatum esse.

erunt fortasse qui etiam Potitios illos cum Pinariis coniunctos (cf. Liv. 1, 7 al.) huc pertinere credant; quae autem de his narrantur, longe remota sunt a forma veritatis, neque aliud Potitiae gentis

vestigium invenitur in rerum Romanarum memoria. mea sententia Potitii in deorum numero referendi sunt et comparandi cum Domitio deo, cuius nomen et origine et vi simile explicare conatus sum in nomine Domiti.

Romae VI 26515 Sextilia Potita Genesiaci imp. Nervae Traiani Aug. Germ. Dacici contubernalis.

VI 10752 P. Aelius Aug. lib. Onesimus et M. Ulpius Potitus.

Porcius Potitus procurator (aquarum) sub Antonino Pio (Prosopogr. III p. 88), Vet(urius) Publilius Potitus c. v. (ibd. p. 417).

Ulubris X 6493 M. Perperna M. f. Sca. Potitus. (litterae sunt aetatis imperatoriae incipientis.)

Pompeiis IV 593 'Suettium aed(ilem) o(ro) v(os) f(aciatis) Potitus cliens r[og(at)]'.

Narbone XII 4483 L. Nerfinius Potiti l. Primus. (litterae sunt saeculi I incipientis.)

Hispali II 1172 D. Cutius Balbinus M. Cornelius Potitus L. Attius Iunianus Romulus IIIIvir viar. curandar.

in *provincia Numidia* VIII 6987 b . . . ria Potita flaminica di[vae Augustae]. (videtur intellegenda esse Iulia Augusta Caesaris Augusti uxor.)

VIII 18065 Thoranius Potitus miles, a. 162.

Putitus est in fastis feriarum CIL. I² p. 56 et apud Livium 6, 18; iidem viri ceteris locis Potiti adpellantur.

Praeditus

Romae VI 12542 C. Asinius C. l. Praeditus.
significatione simillimum est nomen Praefecti.

Praefecta

in *provincia Numidia* VIII 5497 Copronia Praefecta, T. Copronius. (sed vide additamenta vol. VIII.)

Praeiectus

'ad aquas Thibilitanas episcopo adferente Praeiecto martyris gloriosissimi Stephani memoria veniebat magnae multitudinis concursu et occursu' August. de civ. d. XXII 8 p. 574 D. ex titulo *Nolano* X †1363 traditur: deps. Praeiec....

Prepostus

Tarracone II 4118 Piducius (sic traditur; scribendum videtur Peduceus) Prepostus; hic cum multis aliis nominatur in titulo T. Fl. Titiani leg. Augg. nn. pr. pr. c. v. proconsulis prov. Africae, praesidis prov. Hisp. citerioris, qui videtur imperante Caracallo praefectus Aegypti fuisse.

'praeposta' Lucret. VI 997.

Praeteritus

Noviomagi Batavorum Schuermans, Sigles figulins n. 4406: Praeteritus (figulus).
Tarracone (in vase rubro) II 4970, 7 Adras(tus) Preter(iti?) (sic).
praeteritum intellege eum qui alios praeterit i. e. superat: conferas nomen Exuperati.

Praetextatus

cognomen virorum mulierumque nobilium in usum receptum iam tertio urbis saeculo; nam ex *Sulpiciorum* gente patricia Q. Praetextatus trib. mil. cos. pot. fuit a. u. 320, Ser. Praetextatus a. 377, II a. 378, III a. 384, IV a. 386. *Papirium* puerum M. Cato docuerat Praetextati cognomentum accepisse ob tacendi loquendique in aetate praetextae prudentiam (Gell. I 23). libertinum Praetextatum novi unum eumque celeberrimum L. Ateium Philologum, qui C. Sallustium et Asinium Pollionem historiam componere aggressos alterum breviario rerum omnium Romanarum instruxit, alterum praeceptis de ratione scribendi (Suet. de gramm. 10). sed etiam aetate imperatorum non pauci Praetextati adpellati sunt, duravitque hoc nomen in saecula posteriora. C. Asinius Praetextatus cos. fuit a. p. C. 242. clarissimus est Vettius Agorius Praetextatus praefectus urbi a. 367—368 (de quo praeter alia cf. CIL. VI 1777—1780). Rufio Praetextato Postumiano fasces dati sunt a. 448. quae in titulis reperiuntur exempla ad nobiles maximam partem pertinent et saeculorum sunt secundi, tertii, quarti; christiana novi paucissima. — contractione fit *Praextatus* ut Constutus, Restutus.

Romae VI 2076,15 C. Statius Capito Arria[nus Pr]aetextati puer patrimus matrimus (in tab. Arval.), a. 117.
VI 2158 Vitrasius Praetextatus v. c. pontifex Vestae, promagister. (post a. 382.)
VI 2146 Calpurnia Praetextat(a) v(irgo) V(estalis) maxim[a] immun[is].
Salerni X † 671 Praetextata.
Puteolis X 2743 Minucius Iulianus et Eassidia Praextata (sic) parentes Minuciae Praetextatae.
Capuae X 3846 Brittius Praetextatus v. cl. curator Capuae, quindecemvir, consularis Byzacii, comes ordinis primi.
Thignicae VIII 1398 Fabius Caecilius Praetextatus fl. p., cur. reip. (saec. III.)
Thamugadi VIII 2403 Plotius Pretextatus fl. p., Agrius Pretextatus fl. p. ('ante a. 367, extremis fortasse Constantii annis vel imperante Iuliano').
Carthagine VIII † 14187 Praete[xtatus].

Pressus

Segisamone II 5812 C. Severius Pressus, a. 239.
Labitolosae II 5838 Mummius Pressus. (litterae sunt saeculi II.)
a colore presso hos puto adpellatos esse (cf. Pallad. agric. IV 13, 3 al.).

Privatus

hoc nomen ortum esse videtur aetate Augusti et servis aptissimum fuit; a quibus quamquam etiam ad ingenuos pervenit, tamen semper humillimis magis placuit quam honestioribus. maxime viguit *Romae* et in *Africa*, sed etiam in ceteris *Italiae* oppidis, in *Galliis* Cisalpina Narbonensi Lugudunensi, ad *Rhenum*, in *Britannia*, in *Illyrico*, in *Hispania* in usu fuit. usurpatum est per complura saecula, nec spretum a christianis (vide Cyprianum al.).

Romae VI 15228 Ti. Claudius Aug. l. Privatus.
VI 1056 et 1058 vigiles a. 205 et 210.
VI 354 L. Ceius L. f. Privatus princeps castr. peregrinorum (imperante Septimio Severo).
VI 816 C. Gemellius Privatus v(iator) qu(aestorius), a. 238.
Ostiae XIV 128 (cf. 374) M. Licinius Privatus magister quinquennalis collegi fabrum tignuariorum Ostiensium, a. 285.
Pompeiis IV 3340,141 Privatus coloniae servos, a. 58.
Patavii V 2956 Fortunatus et Priata (sic).
Narbone XII 4364 Numisia m(ulieris) l. [P]rivata. (litterae sunt saec. I.)
Veteribus CIRh. 209 M. Caelius M. l. Privatus (libertus M. Caeli T. f. Lem. Bon. Ↄ. leg. XIIX, qui cecidit bello Variano).
Savariae III 4150 Cl. Privatus (libertinus), a. 188.
Salonis III 2030 T. Fuficius T. l. Privatus. (hic titulus non multo post Augustum scriptus est.)
Calamae VIII 5297 L. Fl. Anicius Privatus sacerdos Neptuni, aed., IIvir et IIvir qq.
Tunete VIII † 1138 [Pr]ibata.
hinc declinata sunt Privatius, Privatianus, Privatio.

Probatus

nomine Probati servi, libertini, ingenui humillimo, si paucissimos excipis, loco nati utebantur in *Italia*, in *Galliis* Cisalpina et Lugudunensi, in *Illyrico*, in *Hispania*, in *Africa* saeculis primo, secundo, tertio; posteriora autem exempla equidem non novi. declinata inde sunt *Probatius Probatianus Probatula Probatiolus Probatior*. cognata novimus Probus Probianus Probinus Probilla Probilianus Probitas, ex participiis Probantius Probandus.

Prospectus

Capenae XI 3873 P. Sextilius Prospectus qq., a. 193.
Aquileiae V 1461 Sex. Vinusius Prospectus.
ad Rhenum CIRh. 491 Prospectus servos.
prospectus est qui prospicit.

Protectus

Romae VI 1804 P. Annius Protectus scrib(a) libr(arius) q(uaestorius) III dec(uriarum).

Protogenita

Romae VI 28051 Valeria Protogenita.
confusum est ex graeco πρωτογέννητος et latino primogenitus (cf. gloss. Philox.).

Pukalaz

in cippo *Abellano* legitur: Maiiúí Iúvkiiúí Mai. Pukalatúí medíkeí deketasiúí Núvlan[ú]í (i. Maio Iovicio Mai. f. Puclato meddicl -ario Nolano) Zvet., inscr. It. inf. 136. est quasi puellatus et potest ut adsignificetur puellus (Planta in gramm. II p. 272 adfert puerascendi verbum); alia autem in promptu est interpretatio veri fortasse similior, qua puclatus comparatur cum laruato, cerrito al. de puclis consulas Buecheleri tab. plumb. osc. p. 15 sqq. eodem genere haud scio an prognatum sit *Puculeius* tituli Tegianensis X 310.

Quadratus

celeberrimum in rerum Romanarum memoria nomen, aptum tam nobilissimis quam humillimis. usurpari coeptum esse non multo ante Ciceronianam videtur aetatem, floruisse saeculis p. C. primo secundo tertio, neque plane extinctum erat quinto; christiani autem perpauci eo videntur praediti esse. atque Λούκιος Νίννιος Κουαδρᾶτος δήμαρχος fuit aetate Ciceronis, ut tradit Cassius Dio 38, 14. qui post hunc clari facti sunt, eos omnes enumerare operae pretium non est; ponam hic eam partem, quae ad institutum meum pertinet, adiutus maxime opibus nuper in prosopographia imperii romani congestis. atque novimus C. Ummidium Durmium Quadratum quaestorem divi Augusti et Ti. Caesaris Augusti, cousulem (suff. a. incerti) (cf. prosopogr. III p. 468 sq.); Satellius Quadratus quo modo deriserit Calvisium Sabinum (consulem fortasse a. p. C. 26) stultum divitem Seneca narrat epist. 27; Seium Quadratum propter amicitiam Seiani damnatum esse a. 32 tradit Tac. ann. 6, 7; C. Ummidius Quadra[tus], filius fortasse eius, quem primo loco posui, a. 63 cooptatus est in collegium nescio quod sacerdotale (VI 2002). A. Iulius Quadratus *sive* C. Antius A. Iulius Quadratus frater Arvalis cos. ord. fuit a. 105 (cf. prosopograph. II p. 209 sq.]. P. Manilius Vopiscus Vicinillianus L. Elufrius Severus Iul[ius] Quadratus Bassus

cos. ord. fuit a. 114 (cf. prosopograph. II p. 328). C. Ummidius Quadratus, Ummidiae Quadratillae nepos, cos. suff. fuit a. 118 (cf. prosopogr. III p. 470). Quadratus discipulus apostolorum librum pro christiana religione Hadriano dedit (cf. prosopogr. III p. 113). L. Statius Quadratus cos. ord. fuit a. 142 (cf. prosopogr. III p. 270 sq.). Avillius Quadratus frater Arvalis magister et promagister collegii fuit a. 155, incerto anno Pii, incerto Marci (cf. prosopogr. I p. 191); idem fotasse est C. Avillius Urinatius Quadratus cos. (suff.) a. 156 (VI 2086). Ummidius Quadratus maritus fuit Anniae Cornificiae Faustinae sororis minoris imperatoris Marci (cf. prosopogr. III p. 469 sq.); quorum filius M. Ummidius Quadratus cos. ord. fuit a. 167 (cf. prosopogr. III p. 470). ad Volumnium Quadratum Fronto epistulas scripsit ad am. II 1—3. Quadratus quidam quia cum Lucilla coniurationem fecerat contra Commodum occisus est (cf. prosopogr. III p. 113). Quadratus proconsul Asiae amicus fuit Aristidis rhetoris (cf. prosopogr. III p. 112 sq.). C. Asin(ius) Protimus Quadratus ὑπατικὸς imperante Caracalla vixit (cf. prosopogr. I p. 168). Quadratus catholicus episcopus Africanus est in Gestis collationis Carthaginiensis a. 411 (Migne patr. ser. I tom. 11).

iam de titulis strictim subiungam. atque inventi sunt maximam partem in *Africa*, in *Italia*, in *Gallia Cisalpina;* pauciora exempla prodierunt in *Gallia Narbonensi*, in *Britannia*, in *Hispania*, in *Illyrico;* pertinent autem ad Christi saecula primum secundum tertium, et ostendunt homines non minus servili quam honestiore loco natos. mulieres vero paene omnes hoc nomine abstinuerunt; quo magis Quadratillae nomen eis placuit.

Romae VI 8873 Ti. Claudius Aug. l. Quadratus dec. lecticarior. Britannici.
VI 1058 vigiles, a. 210.
Bovillis XIV 2408 Pomponius Quadrat(us) unus ex ordine adlectorum, qui L. Acilio L. f. Pompt. Eutyche nobili archimimo titulum posuerunt a. 169.
Brixiae V 4365 L. Antonius L. f. Fab. Quadratus donatus torquibus et armillis ab Ti. Caesare bis.
in *Mysia* III 381 [C. N]orbanus C. f. An. [Qu]adratus prim. pil., [tri]b. milit., praef. castr., augur, IIvir; inter a. 37 et 41.
Lambaesi VIII 2618 C. Cassius Quadratus miles, a. 199.
Thibili VIII 18912 P. Clodius P. fil. Quir. Quadratus qui et Scipio equo publ. ornatus.

Quodratus (III 14) et *Codratus* (VIII 6741) Graecorum more scripta sunt; Graeci enim sic scribebant Κουαδρᾶτος Κοδρᾶτος Κωδρᾶτος (conf. Theodori Eckinger de lat. verb. in graec. titulis orthogr. dissert. Turic. pag. 120 et 121).

a Quadrato descendunt Quadratius, Quadratianus, Quadratinus, Quadratilla. cognata sunt Quadra (Seneca nat. quaest.), Quadronius

(cf. prosopogr. II pag. 284 al.), Quaderteus. Quadratus nominis gentilicii locum obtinet in VI 7567. Martialis quadratarius Siccensis Quadratum filio dixit nomen (VIII 16170).

Quaesitus

in titulo *Dertosano* II 4067 est L. Sempronius Quaes., cui viro Quaesito cognomen fuisse recte opinor suspicatus est Huebnerus. inventum autem est exemplum perscriptum in titulo *Carthaginiensi* VIII 13075 Iuliae Quesitae posito saeculo II fere medio.

Quietus

Quietus nomen videtur factum esse imperante Augusto; servis ingenuisque tenui loco ortis cum nobilibus commune fuit per tria fere saecula; tum vero exolevit. in usu fuit praecipue in *Italia* et in *Africa*, non paucis placuit in regionibus *Gallicis*, in *Illyrico*, ad *Rhenum*, in *Hispania*. Quetus et Quaetus cum in *Italia*, in *Hispania*, in *Galliis Narbonensi* et *Lugudunensi* raro inveniantur, persaepe scripta sunt in *Gallia Cisalpina* et in *Illyrico*, saepius etiam in *provincia Numidia* (quamquam in castris Lambaesitanis depravatae formae nullum extat exemplum). sic leguntur 'cptes mihi quetos — man[es]' VI 25128, 'coniugi pentis(simo)' CIRh. 435, 'quescat' sim. passim; evanuit autem non solum I, sed etiam E; ex eodem enim genere videtur esse Quita (Queita), quocum conferas *inquitare* quod legitur in titulo urbano VI 29947 et *requitionis* ibd. 2120 (a. 155). (cf. verba romanens. *quitter, quitare.*)

Cluvidienus Quietus a. 65 in exilium missus est (Tac. ann. 15, 71); T. Avidius Quietus consul suffectus fuit anno incerto Domitiani (cf. prosopogr. imp. Rom. I p. 189); T. Aurelius Quietus consul fuit suffectus a. 82 (conf. prosopogr. I p. 214); T. Avidi Quieti filius videtur esse Avidius Quietus procos. Asiae (paulo ante a. 127) (conf. prosopogr. I p. 189); imperante Traiano vixit Lusius Quietus natione Maurus cos. suff. anno incerto (cf. prosopogr. II p. 308 sq.); T. Fulvius Iunius Quietus capto Valeriano imperator adpellatus est (cf. prosopogr. II p. 94 sq.); Quietus fuit consul ordinarius a. 272. Quietus episcopus Africanus nominatur in actis concilii Carthaginiensis a. 258 (Migne patr. ser. I tom. 3 p. 1063).

iam ex titulis paucos eligam.

Romae XV 2478 Q. Petronius Quetus (saec. I).
VI 15573 Claudia Aug. l. Queita.
VI 24052 Petrosidia Quita.

prope Ariciam XIV 2213 Q. Vibenna Quietus aedilis, a. 100.

Ostiae XIV 598 Quietus Caesari[s].

inter *Forum novum* et *Cures* IX 4855a Flavia Quieta uxor L. Flavi Novati Victoris Iuniani trib. leg. III Cyrenaicae, praef. coh. II classicae.

Pompeiis IV 3340,87 (tab. cer.) C. Calventius Quietus (saec. I med.).
Clusii XI 2116 L. Alfius Quietus IIvir qinq., flamen Aug., praef. fabr. II, aed. Etrur.
Faventiae XI 628 C. Popilius C. f. Pol. Quetus Faventia ex milite coh. X urb. Antoninianae, a. 216.
ad *Rhenum* CIRh. 1150 Q. Atius Q. f. Gal. Quietus domo Nertobriga mil. leg. IIII Mac. (ante Vespasianum).
CIRh. 1336 L. Levinius Quetus hastifer civitatis Mattiacorum, a. 236.
in *Hispania Baetica* II 1649 L. Porcius Quir. Quietus IIvir, pontifex.
Lambaesi VIII 2670 Lucia Quieta uxor L. Veturi Felicis, a. 212—217.
Carthagine VIII 12604 Quietus Aug. vern. adiutor tabular.
VIII † 13804 Quiet[a?].
Mastar VIII 6362 M. Aedinius Qetus (sic).

Graeci sic scribere solebant Κουιῆτος, Κοιῆτος, Κυῆτος (cf. Eckingeri de lat. verb. in graec. tit. orthogr. dissert. Turic. p. 122 sq.). Caeliae Romanillae quietissimae ac fidelissimae libertae patronus titulum posuit urbanum VI 13913. derivata sunt Quietius Qu(i)etianus Qu(i)etinus Qu(i)etilla Qu(i)etulus Quetosus Queto Quietulla Quetilianus.

Raptus

Placentiae XI 1218 C. Domitius C. f. Raptus.

Raptus Astingorum dux c. a. 174/5 (cf. prosopogr. imp. Rom. III p. 125).

confer Rapidius, Rapinasius, Raptor.

Receptus

hoc nomen servis imponi videtur coeptum esse extrema liberae rei publicae aetate; brevi ingenui quoque eo utebantur, nunquam autem ad nobiles pervenit. viguit maxime *Romae*, rarius fuit in ceteris *Italiae* partibus, in *Sardinia*, in *Gallia Cisalpina*, in *Gallia Narbonensi*, in *Britannia*, in *Hispania*, in *Illyrico*. iam tertio saeculo paucioribus placuit, quarti altera parte remotum ab usu fuit.

Romae VI 4070 M. Iulius Receptus dec. (manumissus videtur esse a Iulia Augusta).
VI 450 Ti. Sicinius T[i]. l. Receptus magister vici portae Collinae, a. 98 vel 99.
VI 44 Receptus ser. malliator monetae Caesaris, a. 115.
VI 2264 Aelia Recepta tympanistria M(atris) d(eum) m(agnae) I(daeae).
Bovillis XIV 2408 Plautius Receptus, unus ex ordine adlectorum, qui L. Acilio L. f. Pompt. Eutyche nobili archimimo titulum posuerunt a. 169.

Caralibus X 7599 Q. Gabinius A. f. Quir. Receptus IIIIvir iur. dic., quinq. perpetuus, flamen divor. Aug.

Pompeiis IV 1083 Recepta rogat ut L. Ceius Secundus IIvir fiat.

Carthagine VIII 12619 Receptus (Recepti filius) Aug. librarius (est saec. I exeuntis vel ineuntis secundi).

VIII †1156 [Re]ceptus christianus.

Cillii VIII 210 Q. Manlius Felix C. filius Papiria Receptus post alia arcum quoque cum insignibus colo[niae] solita in patriam liberalitate erexit (imperantibus Constantino et Licinio).

VIII 216 T. Fl. Pap. Receptus aedilicius, q(uaestor) aerari, decurio col(oniae) Thelept(ae). ('litterae sunt optimae aevo Antoniniano non posteriores, fortasse paullo antiquiores.')

his adde Nonium Receptum centurionem duoetvicensimae legionis, qui cum protegeret Galbae imagines, impetu militum abreptus vinctusque, deinde iussu Vitelli occisus est (Tac. hist. I 56 et 59).

Rectus

pauca huius nominis exempla inveni in *Italia* et in *Gallia Cisalpina;* plura autem dedit *Hispania,* ubi Rectinae quoque nomen haud raro occurrit, cuius rei causa esse potest Rectugeni nominis celtici propinquitas. iam Augusto imperante vel honestissimi eo utebantur et postea ingenuis imponebatur fere solis. notandum autem est mulieres, cum Rectinae saepius vocarentur, Rectae nomen paene omnes sprevisse. exolevit, nisi fallor, saeculo tertio. Aemilius Rectus praefectus Aegypti fuit a. 14 (cf. prosopogr. imp. Rom. I p. 36); cuius filius videtur esse L. Aemilius Rectus praefectus Aegypti a. 42 (ibd.); C. Cl[a]udium Recti f. An. Rectum proc. monetae, praef. fabr., flam. prov. Hispan. cit. ostendit titulus *Tarraconensis* II 4206 (cf. prosopogr. I p. 396); L. Caecilium C. f. Celerem Rectum quaest. provinc. Baet., trib. pleb., praetorem *Olisiponensis* II 190.

Romae VI 26639 Sossi[u]s Rect[us] Aureli Fausti filius.

Puteolis X 2660 M. Livius M. filius Rectus.

Blerae XI 3336 L. Furius L. l. Rectus (sub Tiberio).

Albingauni V 7789 M. Valerius M. f. Rectus.

Asso II 5941 (cf. 3423. 3424) L. Aemil. M. f. M. nep. Quirina Rectus domo Roma e. q. s., scriba quaestorius, scriba aedilicius, donatus equo publ. ab imp. Caesare Traiano Hadriano Aug., aedilis coloniae Karthagi., patronus rei publicae Assotanor.

Sagunti II 3904 C. Fabius Recti f. Gal. Probus.

in *Ebuso insula* II 3662 L. Oculatius L. f. Quir. Rectus aedilis, IIvir, flamen (filius L. Oculati L. f. Quir. Recti, cf. n. 3659).

derivatum est Rectina.

Redditus

saeculis secundo tertioque pauci hoc nomine usi sunt humillimo loco orti fere omnes. invenitur in *Italia* et in *Illyrico*.

Romae VI 1056,2,33 Agellius Redditus vigil, a. 205.
VI 25382 Reddita Capriole soror.
in *agro Falerno* X 4726 Munatia Reddita sacerd(os) (Matris deum) XVvir(alis), a. 186.
Salonis III 2458 Papinia Reddita lib.
Celeiae III 5163 Q. Caecilius Redditus proc. Aug. (procuratores Noricum administrare desierunt imperante Marco.)

Ovidius de Myrrha parturiente 'arbor agit rimas et fissa cortice vivum reddit onus, vagitque puer' Met. X 512 sq. Plinius n. h. 10, 32 'per os partum reddere'.

Re(d)ductus

nomen Africanum.

Ammaedarae VIII 11598 Iulia Redducta.
in *planitie el-Ghorfa* VIII 16407 Onomasta Redducta, L. Ostilius Redductulus.
Lambaesi VIII 3519 'Cecine f(iliae), Reduc[te]'.
VIII 3663 Fundania Redducta Caecili Emeriti mater.
VIII 3690 Hertilia Redducta C. Antoni Celtiberi coniux.
VIII 3691 Hertilia Redducta Helvi Felicis mater.
Thibili VIII 18970 Cornelie Reducta.
Cirtae VIII 7605 Munnia Reducta.
Auziae VIII 9155 Redduc(ta) Quadrati coniux.

significatur opinor staturae brevitas, sicut producto proceritas. derivatum est Redductulus. cognatione coniunctum est Reddux (VI 25384).

Redemptus

hominum humili loco ortorum nomen fictum saeculo primo usurpatumque et ab ethnicis et a christianis per plus quinque saecula. deest P in compluribus titulis aetate posteriore scriptis; *Redepti* publici Severian[i] cur[io]nalis est titulus urbanus VI 2328 (cf. exeplu CIL. VI 2120,15 a. 155, Seelmanni Ausspr. p. 281); graece est Ῥεδῆνπτος.

Romae VI 18185 Flavius Aug. lib. Redemptus.
VI 1056,1,118 Terentius Redemptus vigil, a. 205.
Interamnae X 5349 M. Sentius Redemptus v(ir) l(audabilis) primarius civitatis omnibus honoribus et honeribus curiae suae perfunctus, a. 408.
Clusii XI † 2573 depositio Redem[t]e, a. 290.
Caralibus X † 7760 Redemtus.
Ferrariae V 2391 Sempronius Redemtus (sic traditur) filius [L.] Lepidi Iusti ve[t.] le[g.] XXI Ulpia[e] victricis.
Arelate XII † 944 Redemtus abbas, a. 553.

in *prov. Byzacena* VIII 11964 [Red]emta.
Caesareae VIII 9441 Atilia Cloe mater Redemti.

Reditus

Rediti habentur in *Italia*, in *Gallia*, in *Britannia*, in *Illyrico*, in *Africa;* sed maior pars ad *Illyricum* pertinet. est autem nomen saeculorum secundi tertii quarti.

Romae et Antii X 6691 add. (in fistulis plumbeis) 'stationis propiae (sic) privatae domini n. Alexandri Aug.; Sex. Egnatius Reditus fec.'.

Reditus figulus est in vasculis *Galliarum Lugudunensis* et *Belgicae, Illyrici, Britanniae* (Allmer et Dissard, inscr. du mus. de Lyon IV p. 401, Schuermans, sigl. figul. p. 221, CIL. III 12014, 464 et VII 1336, 899).

in *Pannonia sup.* III 4518 C. Pitius Reditus.
in *Pannonia inf.* III 3624 M. Aurel. Reditus bf. leg. leg. II adi. p. f. Severianae.
in *Dalmatia* III 1968° Aur. Reditus, a. 320.
in *Norico* III 4785 [R]editus.
III 4853 Sestia Redita uxor Tadi Victoris veter. lec. II Ital.
Masculae VIII 2265 Iulia Redi[ta] C. Iuli Messi filia.

reditum infantem intellege eum qui redit quem ad modum in agris ex semine redire dicitur; duxerat enim pater uxorem liberorum sibi quaesendum gratia, ἐπὶ παίδων γνησίων ἀρότῳ.

Refectus

C. F. Refectus est in titulo *Galliae Cisalpinae* edito a Fiorellio in not. degli sc. a. 1880 p. 167.

Relatus

Canusii IX 350 P. Valerius P. l. Relatus.
in *Hispania* II 5168 C. Flav. Relatus. (litterae sunt saeculi II.)

Remissus

Aeclani IX 1311 N. Staius N. l. Remissus.

Renatus

hoc nomen servi videntur invenisse primi et licet posteriore aetate ne honestissimi quidem usurpatione eius plane abstineant, tamen ad humillimos maxime pertinet. ortum est priore saeculi primi parte, usitatius autem non ante saeculum alterum esse coepit, maxime viguit tertio et quarto servaturque vel in sexti saeculi titulo. maior exemplorum pars invenitur in *Italia* (praecipue *Romae*) et in *Africa*, pauca debemus titulis *Galliarum Cisalpinae* et *Narbonensis, Dalmatiae, Daciae.* christianos Renatos et ex titulis novimus satis multos et ex libris (cf. Augustinum al.).

Romae VI 5021 Sentia Renata (in columbario aetatis Tiberi et Claudi).
VI 3884,5,12 C. Sextilius C. f. Sen. Renatus Iul. miles coh. XIIII urb., a. 197.
VI 1057,5,87 Q. Rutil. Renat. vigil, a. 205.
VI 1686 P. Gavius Renatus Maior Donatianus v. e. fl. Aug. pp. coloniae Aeliae Hadrianae Aug. Zamae regiae, a. 322.
Capenae XI †4034 Renatus christianus, a. 345.
Arelate XII †958 Proiecta Lampadia et Renatus homines christiani.
Salonis III †9567 Renata coniux Aur. Secund (litterae sunt saeculi V).
Apuli III 1251 Ulpia Renata.
Lambaesi VIII 3338 P. Aelius Renatus.
Aubuzzae VIII 16373 Q. Aquilius Q. f. Quir. [R]enatu[s].
his adde Flavium Vegetium Renatum rei militaris scriptorem, Renatum Profuturum Frigiretum historiarum scriptorem (cf. Teuff. hist. litt. rom.[5] § 470, 9), Martium Novatum Renatum v. c. et sp. Boethi emendatorem (cf. Schepss, Bl. f. d. Bayer. Gymnas. 24 p. 24 sqq.).
hinc declinatum Renatula.

Reparatus

nomen saeculorum tertii quarti quinti sexti, inventum in *Italia*, in *Sardinia*, in *Africa*. ortum videtur esse altera saeculi secundi parte, ethnicis autem rarissime impositum est.
Romae VI 14698 Cestia Reparata.
Alba Fucente IX 4021 Publicia Reparata.
Nolae X †1351 famula dei Reparata sacra virgo, a. 542.
X †1357 Reparatus diac., a. 553.
Puteolis X 1585 T. Stlaccius Repar[atus]. (sub Severo et Antonino Caracalla.)
Hippone Regio VIII †5264 Reparata christiana.
Carthagine VIII †13887 Reparatu(s) christianus.
in *Mauretania Caes.* VIII †9718 Reparatus Arelli f., a. 414.
VIII †9709 Reparatus eps, a. 475.
Reparatus episcopus Aquensis est in Gestis collationis Carthaginiensis a. 411 (Migne patr. ser. I tom. 11 p. 1332).

Repertus

Aquileiae V 1444 C. Venonius Reperti lib. Locuples.

Repetitus

in *agro Albano* XIV 2338 L. Casperius Repetitus Casperiorum Hermae et Septimae filius

Repos(i)tus

maior exemplorum pars pertinet ad *Africam*, tria inveni *Romae*, unum *Ostiae*. adsignandum videtur saeculis secundo et tertio; humillimi eo utebantur fere soli. I paene semper extrita est.

Romae VI 220 A. Cervidius A. fil. Iul. Repostus Utin(a) (Africae) inter vigiles militare coepit a. 199.
VI 1058,4,55 L. Gargil. Repostus vigil, a. 210.
VI 18490 Viator et Reposita fratres.
Ostiae XIV 1688 Q. Q. Tullii Reposti pater et filius.
Turcae VIII 826 Q. Considius Namphamonis filius Repostus Areianus aedilicius, IIviralis, a. 230.
Thignicae VIII 15231 Reposta.
Valli VIII 1287 Bellicius Repostus L. Bellici Belliciani filius.

Repulsa

Carthagine VIII †13888 [R]epulsa.
nomen vere christianum, cf. Fastiditum al.

Respectus

nomen in *Illyrico* frequentissimum, rarius *Romae*, in *Africa*, ad *Rhenum*, rarissimum in *Sardinia*, in *Gallia*, in *Hispania*. ortum videtur esse paulo ante Flavios, quorum aetate servis imponebatur; brevi autem post inter ingenuorum nomina receptum vel ad honestissimos pervenit, quamquam a servis usurpari non plane desiit. superstes fuit saeculo quarto et christianis quoque paucis sane inditum est. hinc declinata videbis Respectius, Respectianus, Respectinus, Respectilla, Respectulus.

respectum di respicientes faciunt ut eum dictum credamus qui a dis respicitur, cf. Plaut. Capt. 834: Respice. — Fortuna quod tibi nec facit nec faciet, me iubes.

Romae VI 8433 Respectus Aug. lib. proc. heredit., Flaviae Rufinae pater.
VI 3301 M. Ulpius Respectus veteranus ex equite singulari.
VI 2385,8 C. Respectus Ma . . . (miles praetorianus), a. 209. (nominis gentilicii locum tenet).
VI 1696 Flavius Respectus v. p. p(rae)p(ositus) corp(oris) mag(nariorum). (saec. IV ineunte.)
Clusii XI †2559 Sentius Respectus exsorcista (saec. IV ut videtur).
Aquileiae V 1196 traditur: Elvius Resspetus.
ad *Rhenum* CIRh. 231 C. Catonius Respectus bf. cos., a. 230.
CIRh. 1548 Crescentinus Resbectus (sic) (centurio) leg. VIII Aug.
Sirmii III 3240 P. Ael. Respectus eq. R. a milit., P. Ael. Trophimiani v. e. filius.

Aquinci III 3432 Petronia Respecta, a. 164.
Celeiae III 5223 L. Dindius Respectus (centurio) leg. XIII geminae.
Salonis III 1988 ... [T]rom. Respe[ctus cla]rissimus iuven[is].
Salva III 10594 Aur. Respectus vet. leg. II ad. p. f., a. 230.
Sarmizegetusae III 1468 Aurelia Respecta uxor Herculani Augg. vern(ae) adiut(oris) tabul(arum).
in *Hispania* II 3557 P. Fabricius Resp[e]ct(us) IIvir.
in *prov. Byzacena* VIII 58 (= 11114) M. Aemilius L. f. Pal. Respectus praef. fabr., flamen perp. divi Aug., trib. mil. leg. III Aug. (litterae sunt saec. II.)
in *prov. Numidia* VIII 2439 T. Flavius Respectus Extricati Aug. l. l.

Flavius Respectus praetor fuit temporibus Traiani (cf. prosopograph. imp. Rom. II p. 73).

Restitutus

innumerabilem fere Restitutorum Restitutarumque multitudinem dederunt tituli paene omnium imperii Romani partium; nusquam autem tam frequenter usurpatum videmus hoc nomen quam in ipsa urbe *Roma,* cum in *Gallia transalpina* et in *Britannia* rarior eius fuerit usus. antiquissima quae quidem noverim exempla Augustei sunt aevi, atque tum ad servos hoc nomen pertinuisse solos facile adparet, neque per totum saeculum Christi primum ingenuos saepius Restitutos dictos esse putaverim, quamquam Claudius Restitutus senatorii ordinis vir Plini minoris aequalis ex eiusdem epistulis notus est, et Cn. Babullium Restitutum tituli Potentini X 133 P. Men[e]i C. f. in quattuorviratu conlegam initiis saeculi primi adsignare cogimur. sed inde a Traiano Restituti nomen servis cum ingenuis commune fuit. christianos quoque haud paucos et tituli et libri ostendunt, nec desunt huius nominis exempla saeculo quarto posteriora; sed maxime viguit saeculis primo secundo tertio.

tam incommoda autem huius nominis fuit pronuntiatio, ut persaepe in brevius contractum videamus (conf. *futor, Constutus*), maxime ab hominibus humili loco natis; cuius rei vestigium antiquissimum deprehendere mihi videor in versu illo parieti *Pompeiano* inscripto: *Restitutus multas decepit sepe puellas* (Buecheleri anth. ep. n. 355), qui, modo legas *Restutus,* iustus est hexameter. sed hic cum contractum pronuntietur nomen, integrum scribitur, neque adhuc *Pompeiis* aut *Herculanei,* aut in ullo titulo, quem saeculi primi esse demonstrare liceat, contracta inventa est forma. hanc Nerva vel Traiano imperante in usum receptam esse putaverim, nec casu tribuendum est, quod qui in laterculo VI 200 a. 70 occurrunt Restituti plena omnes utuntur forma, qui autem in laterculis VI 1056. 1057. 1058 a. 205 et 210 nominantur, contracta. atque in *Italia,* in

Illyrico, in *Africa* persaepe brevior invenitur forma, rarissima autem est in *Gallia transalpina*, ad *Rhenum*, in *Hispania*.

sed etiam tertia huius nominis syllaba a nonnullis extrita est; nolo enim formam quae est *Restitus* ab hoc nomine separare, praesertim cum qui in titulo *urbano* VI 7850 Restitus nominatur, non diversus videatur esse ab eo, quem sequens titulus Restitutum adpellat, cumque forma quae est *Restus* sine dubio eodem prognata sit genere; Restus enim in titulo *Tiburtino* XIV 3649 a circitor audit, cuius nepotem Restutum eadem inscriptio nominat. hinc declinata sunt *Restianus, Restiola, Resto.* procul autem ab hac familia habenda sunt *Restio* et *Restionius* dicta ab arte restiaria; Restionis enim nomen antiquius est nomine Restituti (cf. Val. Max. VI 8, 7).

a Restituto declinata sunt *Restitutius* (*Restutius* rarissimum est), *Restitutianus (Restutianus), Restitutina (Restutina), Restutulus.*

iam exempla eligam quam paucissima.

Restitutus

Romae VI 3946 'M. Iulius Aug. [l.] Agathopus aurifex dat Iuliae Restitutae' (manumissus est a Iulia Augusta).
VI 5264 Iulia Restituta Acuti Aug. lib. liber.
VI 2505 C. Pollius [. . filiu]s Veleina Tr[u]entin[o] [R]estitutus Picen[s] miles coh. III pr.
VI 11569 Larcia Restituta Amphionis Domitiae Domitiani servi uxor.
VI 8502 Cocceia Aug. l. Restituta.
VI 2375 a. b quinque Restituti praetoriani a. 119 et 120.
VI 8568 T. Ael. Augg. lib. Restitutus proc. Syriae Palaest.
VI 220 C. Aufidius C. f. Arn. Restitutus Karth. inter vigiles militare coepit a. 199.
VI 406 Aurelia Restituta uxor L. Tetti Hermae eq. R.

Restitut[i] christiani nomen subscriptum est carmini apud Buechel. n. 1345 a. 392.

Cumis X 3698,21 Claudius Restitutus sacerdos Matris deum Baianae defunctus a. 289.

Taurinis V 6995 L. Alfius Restitutus eq. R. eq. p. praef. coh. II Br(eucorum) eq., trib. coh. I Br. (miliariae) eq., flam. divi Titi.

Neapoli (Africae) VIII 969 Coelius Restitutus v(ir) h(onestus) filius Titiani v. h. ex t(ransvecturario) et nav(iculario), ex mun(erario), et ex curatore r(ei) p(ublicae), a. 400/401.

Calamae VIII 5347 Basilius Cirrenianus (Restitutus) fl. pp. cur. reip., a. 370 (cf. n. 5338).

Cirtae VIII 7039 M. Claudius Q. f. Quir. Restitutus proc. Aug. dioeceseos regionis Hadrumetinae et Thevestinae

et ludi matutini et ad putandas rationes Syriae civitatium, trib. leg. VII geminae, praef. coh. I Gaetulorum.

in *Bithynia* III 6994 Sex. Pacuv[ius] Restitutus [proc.] Augg. ad f[amil.] gladiat[or. per] Asiam e[t adhae]-rentes p[rovin]cias, pro[c. Augg.] ad XX tr[ans Pa]dum.

his addo Claudium Restitutum, qui Hispanum et Probum in senatu defendit (Plin. ep. 3, 9, 16; vide prosopogr. imp. Rom. I p. 396) et Restitutos episcopos Africanos, qui nominantur in Gestis collationis Carthaginiensis a. 411 (Migne patrol. ser. I tom. 11).

Restutus

Romae VI 29159 Fullonia Restuta uxor M. Ulpi Aug. lib. Crescentis.
VI 2380 C. Arsellius C. f. Ste. Restutus Orta (miles praetorianus), a. 152.
VI 477 L. Vettienus L. fil. Restutus miles coh. X urb., a. 192.
VI 3029 M[ae?]n[i]us Restutus vigil, a. 230.
VI 1675 Restutus cornicularius (paulo ante a. 333).
Mediolanii V †6243 matrona Restuta, a. 388.
Altavae VIII 9840 Valerius Restutus disp., a. 335.

'Ρεϲτοῦτοϲ et 'Ρεϲτοῦτα nominantur in tabulis execrationum ap. Wuenschium, *Seth. Verfl. aus Rom* 20; 22; 28; 29.

Rustuta urbani tituli VI 25680 scriptum videtur propter praecedens Rutiliae nomen.

Restitus

propter titulos urbanos VI 7850 et 7851 hoc nomen a restando tractum esse vix putaverim.

Romae VI 7850 M. Vigellius Restitus. qui in n. 7850 M. Vigellius Restitutus dicitur, idem videtur esse.
VI 14829 Cinnamus et Restitus Tauri frater et filius.
Salerni X 641 Taietia Restita L. Taie[ti] Zosim[i] conliberta et coniux.
Patavii V 2932 Restita.
Brixiae V 4303[add.] [R]estitus.
V 4570 Cluent. Restita.
in *Gallia Narb.* XII 315[add.] Restitus.
XII 5679,82 [Re?]stitus.
in *prov. Numidia* VIII 5986 Sex. Porcius Sex. f. Restitus.

Restus

Tibure XIV 3649 a,11 Restus circit. Restuti avos.
Ostiae XIV 860 C. Cominius Restus Quietus Pasianus.
Siccae VIII 16101 C. Leliu(s) Restus.
in *vicinia Thevestes* VIII 16725 M. Iulius Restus.

contracta et plena forma nonunquam in eodem titulo exhibentur (cf. VI 21589; XIV †1964; XIV 3649 a). *hic situm corpus Restitutes quae verae nomine et moribus restituta vixit annis XXI* CIL. XIV 3831.

Revocatus

hoc nomen exeunte saeculo secundo videtur ortum esse et placuit tam ethnicis quam christianis.

Aquileiae V †1704 Revocatus christianus.

in *insula Brattia* III 3107 Revocata Maximi filia.

Sarmizegetusae III 1471 Septimia Septimina quae et Revocata fil. P. Ael. Sept. Audei qui et Maximus vet. ex (centurione).

Assuribus VIII 1817 Revocatus.

Thignicae VIII †15244 Rebocatus christianus.

Carthagine VIII †13916 Revo[cat..].

VIII †13917 fidelis Revocatu[s].

Roboratus

nomen hoc esse potest in versu tertio tituli *urbani* V 30128 *hic iacet exanimis dulcis ROBORATVS enixus* (cf. Buecheleri anthol. epigr. n. 601). cognatum est Robustus.

Rogatus

nomen Rogati, quod Flaviorum aetate antiquius non est, servis impositum videtur esse primis, paulo post pervenisse ad ingenuos, exeunte saeculo secundo ne a senatorii quidem ordinis hominibus spretum esse; longe maior autem Rogatorum pars humili loco orta est. atque frequentissimus eius usus fuit in *Africa,* cuius terrae tituli paene innumerabilem exemplorum copiam dederunt, ii maxime, qui in *Numidia* prodierunt; militibus enim *Lambaesitanis* acceptissimum hoc nomen fuit. floruisse ibi videtur saeculis secundo tertioque, sed ne quinti quidem sextique exempla desunt. secundum locum tenet urbs *Roma,* secuntur *Ostia, Sardinia, Hispania;* rarissime autem invenitur in *Campania,* in *Etruria,* in *Gallia,* ad *Rhenum,* in *Illyrico.* Rogatos christianos tituli ostendunt paucos. Rogatianus eisdem fere locis reperitur et ad saecula secundum tertiumque spectat; Rogatia, Rogatula, Rogatina, Rogatilla, eorundem temporum nomina, Africana sunt:

Romae VI 1607 L. Domitius L. f. Quir. Rogatus pontif. minor, proc. Aug. provinc. Dalmat., proc. monetae Aug., ab epistul. Lucii Aelii Caesaris, praef. eq. alae I Aravacorum, trib. mil. leg. VI victric., praef. coh. I Fl. equitatae, praef. coh. I Dalmatar., accensus relatus.

VI 1397 L. Crepereius Rogatus c. v. pontifex dei Solis, septemvir et insignis lupercus. (non ante Aurelianum.)

VI 1056, 1057, 1058 multi vigiles a. 205 et 210.

Ostiae XIV †1918 Paula Rogata.
in *Sardinia* X 7903 Rogatus ser. pub.
Ravennae XI 17 Rogatus Aug. lib. tabul. c[l.] pr. [R]av.
Aquinci III 10419 C. Iul. Rogatus mil. leg. III Aug., vet. leg. II adi., a. 211.
Carthagine VIII 12622 Rogatus frater Primi Caes. servi exerchitatoris cursorum. (saec. I exeunte vel ineunte II.)
prope Thamugadi VIII 2439 Rog(atus) f(ilius) T. Flavi Respecti Extricati Aug(usti) l(iberti) l(iberti).
in *castris Lambaesit.* VIII 18067 M. Aelius Rogatus miles, a. 166.
VIII 2564 multi milites, imp. Elagabalo.
Masculae VIII 2248 Q. Iul. Rog[atus fil.] ... M. f. Papir. Nundinari aedil., IIviri quin[quennalis eq.] Roman.
Auziae VIII 9111 Cael. Rogata, a. 246.
Pomarii VIII 9944 ..lius Roga[t]us, a. 520?
Altavae VIII 9859 Flavia Rogata, a. 430.
his adde P. Aelium P. f. Papiria Rogatum proc. Auggg. (a. 209/211), praesidem prov. Mauretaniae Caesariensis, quem complures tituli *Africani* ostendunt (cf. prosopogr. imp. Rom. I p. 20), et Rogatos *episcopos Africanos,* qui nominantur in Gestis collationis Carthaginiensis a. 411 (Migne patr. ser. I tom. 11).

Rosatus

rosae significatur similitudo. a rosa dicta sunt Rosa Rosula Rosio Rosius Rosianus, cognatum est Rosarius.
Thysdri VIII †56 Rosatus christianus.
in vicinia Thevestes VIII 2192 C. Com. Rosatus.
in vicinia coloniae Thamugadi VIII 2442 Sulpicia Rosata.
hinc declinatum Rosatianus.

Ruscatus

RVSCATV ...., quod inscriptum est vasi *Lugudunensi* ap. Allmer et Dissard IV p. 405, tractum esse a rusco certum est. huius coloris rebus uti mulieres solitas dicit Festus p. 354 s. Thewr. adlato Catonis originum loco, quo rusceae fasciae videntur intellegendae esse. eodem genere prognata sunt Ruscus Ruscius Rusca.

Sacratus

nomen saeculorum primi secundique, inventum *Romae, Sutrii, Vasione, ad Rhenum.* ex Tacito (hist. 5, 22) nota est Claudia Sacrata mulier Ubia, quam stupravisse creditus est Cerialis. tituli dederunt hos:
Romae VI 28376 P. Vatinius Sacratus Vatiniae P. f. Antull[ae] vitricus.

Sutrii XI 3254 Cn. Manlius Sacratus pontifex (priore saec. II parte, ut videtur).
Vasione XII 1300 Sex. Cornelius Sacratus. (litterae sunt saeculi II exeuntis.)
ad *Rhenum* CIRh. 316 Sex. Comminius Saratus.
CIRh. 832 L. Senilius Sacratus pater L. Sacratii Saceriani, Sacratii, Sacrii.

hinc tractum Sacratius. eodem genere videtur prognatum esse Sacretius. praeter haec cognata novi nomina quae sunt Sacer Sacrius Sacerianus Sacellus Sacratorius. gallica autem sunt Sacrovir (Iulius Sacrovir Aeduus ap. Tacitum) Sacirus Saciro Saciratus Sacerus Sacruna; sed restant Sacrana Sacrinius Sacerillus Sacrillius Saceronius Sacroticus, quorum partem certe gallicam esse et locis demonstratur et formis.

Salitus

Nemausi XII 3421 Q. Apuleius Salitus.
gallicum esse vix putaverim, licet similia extent nomina gallica quae sunt Saletio Saliso Salusa (cf. Zeussii gramm. celt.[2] p. 122).
vide nomina Salsae, Salsulae, Saltii.

Salsa

Salsa martyr, quae vixit saeculo quinto, laudatur in carmine invento in *Africa* (Buecheleri carm. ep. n. 318). cognata sunt Salsonius Saltius Saltienus Saltorius Salitus Salitorius Salinator Salinatorius.

Salvetus

Salvetu(s) vasis inscriptum est *Lugudunensibus* ap. Allmer et Dissard IV p. 408. 409. declinatum est a salvendo et eum significat qui salvet. eadem est origo nominis christiani Salventii (in Buecheleri anthol. epigr. n. 1375, a. 533). confer Salvius Salvitto al.

Saluta

Saluta praenomen muliebre fuit apud Paelignos, ut adparet ex titulis *Sulmonensi*, in quo est *Saluta Musesa Pa.* (i. Saluta Mussedia Pa. f.), et *Corfiniensibus*, in quibus leguntur *Saluta Scaifia V.* (i. Saluta Scaefia V. f.) et *Saluta Acca L.* (i. Saluta Acca L. f.) et *Saluta Obel. Ov.* (i. Saluta Obel(lia) Ov. f.; *Saluta Obellia* CIL. IX 3248) (cf. Plantae gramm. dial. osc. umbr. II p. 544 et 547). postea autem in cognominis locum transiit, quod factum vides in titulo IX 3266[add.] et ipso *Corfiniensi* posito Septimiae L. f. Salutae. sed etiam in *urbanis* titulis pauca huius nominis vestigia servantur; ibi enim scripta sunt nomina Valeriae M. l. Salutae (VI 12743), Lucretiae L. Lepidi [l.] Salútae (VI 21667), Opetreiae T. [f.] Salutae (VI 23498), Valeriae C. l. Salutae (VI 28270), Vettiae Salutae (VI 28711). Hispanum exemplum dedit titulus *Castulonensis* II 5910 Salutae positus.

nomen Salutae dictum est a *saluendo ut acutus ab acuendo (cf. Plantae gramm. dial. osc. umbr. I p. 130); artissima cognatione coniunctum est cum *salute*, comparanda sunt salvatus Salvetus. *Salavatur* in eadem regione natum est (cf. Zvet. inscr. It. inf. p. 13). conferas nomina Salvii Salvidieni al. Salutia mulieris cognomen (X 5409) a salute declinatum est. *Salutus* autem (C. Annius C. f. Ani. Salutus Vercellis mil. leg. XXII pri., CIRh. 1208) vereor ne gallicum sit.

Salutatus

Romae VI 18413 Flavius Salutatus Flaviae Pythodoridis coniux.

Sanctus

nomen humillimorum et honestissimorum hominum, sed his, ut videtur, minus aptum quam illis. natum esse putaverim aevo Augusteo, saepius autem usurpatum est saeculis secundo tertioque, nec sexto plane exoleverat. Gallis magis videtur placuisse, quam Italis, ideo, ut opinor, quod similia vocabula et ipsis familiaria fuerunt (vide Sanctonum nomen, Groeberus in arch. V p. 457). christiani, ut par est, hoc quoque nomen libenter receperunt. derivata sunt Sanctius Sanctianus Sanctinus Sanctinius Sanctulus.

Sanctae (sic ex correctione Hirschfeldii, cf. prosopogr. imp. Rom. III p. 172; trad. *Sancia*) aqua atque igni interdictum est a. 33 fratre eius Considio Proculo propter crimen maiestatis interfecto (Tacit. ann. 6, 18); hic fortasse fuit Considius praetorius, qui a. 31 Pomponium Secundum accusaverat (cf. prosopogr. I p. 436). Claudium Sanctum militem exercitus Germanici habes apud Tac. hist. 4, 62.

Romae VI 15250 Ti. Claudius Ti. f. Quir. Sanctus Lemnianus, Claudi Euhelpisti et Claudiae Astes filius.
VI 631 Flavius Sanctus homo libertinus, a. 177.
VI 10056,10 Sanctus equos (cf. VIII 12508).

ad *Rhenum* CIRh. 101 C. Candidinius Sanctus sign. leg. XXX U. v., a. 185.

Viennae, Buech. anth. ep. n. 1407 S(an)c(t)us christianus s(an)c(tu)s nomine, s(an)c(tu)s innocentia. (saeculi VI dicitur esse.)

in *Pannonia sup.* III 4603 Rutilia Ursa et Rutilia Sacta (sic).

in *Moesia inf.* III 7449,19 Aur. Sanctus miles leg. XI Cl., a. 155.

adde hos: Minicium Sanctum procuratorem Aug. (marmorum?) a. 132 (cf. prosopogr. II p. 380), Ateium Sanctum oratorem qui docuit Commodum (cf. Aeli Lampr. vit. Comm. 1), Aurelium Sanctum v. c. maritum Plotiae Agrippinae (sub Antonino Severi f., cf. prosopogr. I p. 214), C. V(alerium?) V(alerianum?) Sanctum quaestorem provinciae Baeticae, patrem Iul(ii?) Sancti (cf. prosopogr. III p. 379).

Sarcinatus

Sarcinati nomen fuisse traditur in titulo *Hastensi* V 7568 male sine dubio olim descripto. spectat opinor ad corporis obesitatem, quem ad modum Apuleius met. VIII 15 lupos dicit vastis corporibus sarcinosos.

Scitus

hoc nomine servi ingenuique humillimo loco nati utebantur saeculis p. C. primo secundoque; in usum videtur receptum esse aetate Augusti; invenitur in *Italia*, in *Gallia Cisalpina*, *ad Rhenum*, in *Hispania*.

Romae VI 3561 Ulpia Scita P[h]ilumena P. Aeli Macri antesignatoris trib. coniux.

VI 10788 P. Aelius P. l. Salvius, Catia Ɔ. l. Scita.

Capuae X 4312 Scita C. Quincti C. l. Philocomi filia.

Abellini X 1147 [P. Avia]nius Ɔ. l. Scitus.

Pompeiis (in signaculo) X 8058,17 C. Catius Scithus (sic).

Veronae V 3479 Q. Afinius Q. f. Scitus.

Aquileiae V 8318 Q. Aebutius Q. l. Scitus.

ad *Rhenum*, Westd. Zeitschr. IV p. 358 Tertia Sciti f.

Arvae II 1066 M. Egnatius Sciti lib. Venustus IIIIII vir.

Terent. Andr. 486 'per ecastor scitus puer est natus'. hinc declinatum Scitianus; confer nomen Scientini.

Secretus

Venusiae in coemeterio iudaico X 6227 Catella filia pp. Secretei.

Pompeiis IV 1270 Rusticus et Secre[tus . . . .?] (scriptor titulum non videtur terminavisse).

derivatum est Secretius.

Sectatus

in *Pannonia super.* III 5056 (cf. 10937) C. Samuconius Sectatus et Amuca Burrani f. parentes Respectillae.

Sedatus

qui hoc nomine utebantur maximam partem tenui vel adeo servili loco orti erant; tamen honestioribus quoque impositum est et medio fere saeculo secundo Sedatio cuidam fasces dati sunt. inventum videtur esse aevo Augusteo, rarius autem fuisse iam saeculo tertio, quarto magis magisque exolevisse. atque *Romae* et in *Africa* satis frequens fuit, rarius usurpabatur in ceteris *Italiae* oppidis, in *Galliis*, ad *Rhenum*, in *Britannia*, in *Illyrico*, in *Africa*.

Romae VI 4223 Iulia Sedata dec. contubernalis C. Iuli Aug. lib. Bathylli immunis aeditui templi divi Aug. et divae Augustae.

VI 916 C. Calpetanus Rantius Sedatus Metronius curator tabular(iorum) public(orum), a. 46.

VI 18203 T. Flavius Aug. l. Sedatus Antonianus.
VI 3884b, 2 L. Afranius L. f. Poll. Sedatus Sutr(io) mil. coh. XII urb., a. 198.
VI 1056,1,81 Caecilius Sedatus vigil, a. 205.
Praeneste XIV 2965 Sedatus praefectus loco alterius ex filiis Germanici IIviri quinq.
Nolae X 1233 Q. Vibi[e]dius Sedatus IIvir, a. 30.
Capenae XI †4040 Sedatus christianus, a. 380.
Bergomi V 5139 Q. Sulpicius Q. f. Sedatus IIIIvir i. d.
Tolosae XII †5408 Sedata christiana.
Lambaesi VIII 18224 P. Flavius Studiosus Aurelius Sedatus sig. leg. III Aug. (non ante Valerianum scriptum esse titulum credit editor.)

ad Μάρκον Σήδατον Plutarchus librum de audiendis poetis scripsit. Sedatus, antea Theophilus, origine Nicaeensis, senator Romanus, praetorius Aristidis rhetoris fuit aequalis (cf. prosopogr. imp. Rom. III p. 190). Sedatus rhetor Tolosanus sed origine Burdigalensis aequalis Ausoni ab hoc honoratus carmine est (Comm. prof. Burd. 19). derivata sunt *Sedatius, Sedatianus, Sedatina.*

Sedulatus

Sedulat(us) gladiator nominatur in inscriptione parietaria *Pompeiana* IV 2451; idem fortasse est S e d l a t u s quem praebet inscriptio IV 2426.

declinatum hoc nomen puto a sedulo, sicut vivatus est a vivo, malatus a malo al. confer Sedulium.

Sensus

in *Numidia procos.* VIII 4694 M. Aemilius Sensus.

sensus est qui sentit. Romani sensibus infantium praeesse voluerunt deum Sentinum.

Sepulta

Romae VI 26820 Statia C. f. Sepulta.
Marruvii IX 3758 Statedia N. f. Sepulta.
confer nomen Funesti (VI 29085).

Servatus

exemplum quod sit antiquius aevo Augusteo novi nullum, sed multa saeculorum primi, secundi, tertii; quarto autem quintoque iam rarissimum fuit. atque maxime placuit *Nemausensibus* et in ceteris quoque *Galliae Narbonensis* oppidis minime rarum fuit; multo pauciores eo usi sunt in *Italia*, in *Gallia Cisalpina, Lugudumi*, ad *Rhenum*, in *Illyrico*, in *Africa*. nobilissimi usurpatione eius abstinuerunt, invenitur apud servos, milites, municipiorum coloniarumve magistratus sim.

Romae VI 10229,25 Agrii Phoebus et Servatus Dasumi amici, a. 108.

VI 1686 C. Iulius Servatus Tertullianus v. e. fl. Aug. pp. p(ontifex) (coloniae Zamae), a. 322.

Vasione XII 1363 Catia T. fil. Servata flam. Iul(iae) Aug(ustae) Vas(iensium) Voc(ontiorum), Q. Secundi Zmaragdi IIIIII viri Aug. uxor. (cum scriberetur titulus, Claudius aviae divinos honores nondum curaverat decernendos.)

Nemausi XII 3236 L. Iulius Q. f. Volt. Niger Aurelius Servatus omnib. honoribus in colonia sua functus, IIIIII virorum corporatorum Nemausensium patronus. (litterae sunt saeculi II.)

XII 3420 G. Apronius Fulvus et Servata uxor. (litt. sunt saec. III.)

Luguduni, Allmer et Dissard II p. 402 Constantinius Servat[us] filius Constantini Aequalis hominis optimi artis barbaricariae, IIIIII viri Aug. c(oloniae) C(opiae) C(laudiae) Aug(ustae) Luguduni et Pacatiae Servandae.

Copti III 6627 Servatus centurio. (imp. Augusto.)

Carthagine VIII 12508 *(tabula execrationis)* Cερουᾶτοc equos.

VIII †14125 'Aurelia Sirvata (sic) innos in pace vicsit annu, meses quadtor, dies vicinti tres.'

Servatus episcopus Africanus Donatista nominatur in Gestis collationis Carthaginiensis a. 411 (Migne patrol. ser. I tom. 11).

hinc declinata sunt *Servatius, Servatianus, Servatilla, Servatio.* confer nomina Servantii et Servandi.

Solicitus

nomen Soliciti vasi inscriptum est reperto in *Aquitania* (Schuermans, sigles figul. p. 249).

Solitus

Veronae V 3744 Senecio Solitus Soliti f. Banillae maritus.

Brigantione XII 95 Solita filia Parrionis Excingi f. et Vennae Nematevi f., soror T. Parridi Parrionis fil. Quir. Grati quaest., IIviri munic. Brigantien., et Adnemae. (litterae sunt saec. I.)

Dea Augusta XII 1666 Solitus Tauril. f. maritus Temporinae.

SOLIT legitur in vasis *Lugudunensibus* ap. Allmer et Dissard IV p. 254 et 267.

vereor ne latinum non sit; confer Solimaram deam, a qua dictum videtur esse Solimariacum (cf. Zeussii gramm. celt.[2] p. 806).

Solutus

Nemausi XII 3368 Sex. Adgennius Solutus.

Arsacal VIII 6149 C. Masurius Solutus.

Thamugadi VIII 17929 P. A[elius] Solutus.

Sortita

Arimini XI 470 M. Gavius Primitivos et Annaea Sortita parentes Gaviorum Primi et Sabinae.

XI 516 Montanus et Sortita patres C. Sornoio[ni?] Maioris.

sortita est ea quam parentes sortiti sunt. 'si emancipatus filius uxore non ex voluntate patris ducta filium fuerit sortitus, ...' Ulpianus dig. 37, 4, 3.

Sparsus

nomen Sparsi Augusti fere aetate ortum est, nec videtur saeculo p. C. tertio superstes fuisse. invenitur autem in *Gallia Narbonensi* et in *Hispania*. Sparsianus, quod inde est declinatum, in titulo *urbano* legitur, Sparsillina reperitur in *Hispania*.

Fulvius Sparsus declamator saepius occurrit in Senecae controv. Iulius Sparsus amicus fuit Plini minoris (cf. epist. 4, 5; 8, 3 et prosopogr. imp. Rom. II p. 216); ad eundem fortasse Martialis epigramma scripsit 12, 57. G. Lusius Sparsus cos. suff. fuit cum Q. Canusio Praenestino circa annum 157 (CIL. III D XL). Sex. Domit. Sparsum ostendit titulus *Nemausensis* XII 3558. in *Hispania* inveniuntur Licinia Sparsi f. Procilla, Luci Lusi uxor (II 2648, litterae sunt saeculi fere secundi) et Aurelia Marcellina ex [(conventu)] Cluniens. flaminica [p(rovinciae) H(ispaniae) c(iterioris)], uxor. L[i]cini [Spar]si flami[ni]s (II 4198).

sparsum intellege lentiginosi oris hominem. eundem sensum videtur significare nomen *Spargentii*.

Spectatus

hoc nomine saeculis secundo tertioque servi multique tenui loco orti ingenui usi sunt. maxime videtur placuisse *Noricis*, nec rarum fuit in *Italia*; pauca autem prodierunt exempla in *Gallia Cisalpina*, in *Dacia*, in *Pannonia inferiore*, in *Numidia*. derivata sunt Spectatinus et Spectatilla.

Romae VI 1056,1,107 Marcanus Spectatus vigil, a. 205.

Ephem. epigr. 7, 1210 Aelius Spectatus v. e. subpraefectus vigilum, a. 239.

Lunae XI 1322 M. Firmidius Spectatus fr. leg. II Ital. p. f. optio, a. 200.

Speratus

Speratus inter nomina videtur receptum esse imperante Caesare Augusto, qua aetate servis opinor impositum est solis; et quamquam brevi ab ingenuis quoque usurpatum est, tamen ad nobiles fere nunquam pervenit, sed humillimo loco natis semper aptissimum fuit. atque permulti eo utebantur in *Italia* (maxime *Romae*), in *Gallia Cisalpina*, ad *Rhenum*, in *Illyrico*, in *Africa*, rarius fuit in *Gallia Narbonensi*, *Luguduni*, in *Hispania*; in *Britannia* autem omnino non invenitur. insolitum, nisi fallor, iam saeculo quarto

fuit, sed adest vel quinti exemplum; christiani autem eo fere n:i usi sunt. I praeposita est in titulis *Africanis*.

Romae VI 5906 P. Granius Ↄ. l. Speratus (in columbario statis Caesaris Augusti).
VI 4163 Sperata filia liberti Liviae manumissi ante obitum Augusti.
VI 6596 Speratus tabularius, Messallinae Neronis ser.
VI 15551 L. Calpurn. Speratus (imperante Vespasiano).
VI 23716 Pacuvia Sperata M. Ulpii Aug. lib. Argaei uxor.
VI 619 Speratus imp. Caesaris Hadriani Aug. ser. vilicus.
VI 1058,7,97 M. Aelius Speratus vigil, a. 210.
Antii X 6638 B 16 Speratus libertinus, a. 39.
Pompeiis X 895 Speratus Caesiae Mus. min(ister) Aug(usti), a. 23
Aquileiae V 1251 C. Iulius Nedymi divi Aug. lib. l. Agathopus maritus Iuliae Speratae.
ad *Rhenum* CIRh. 1597 C. Longinius Speratus vet. leg. XXII pr. p. f., a. 201.
Sarmizegetusae III 1473 [Cominia] Sperata filia Comini Celerini pontif. col., eq. R., trib. leg.
in *Norico* III D XI L. Pullius Speratus testis in diplom. mil. a. 80 (conf. D XVI).
in *Hispania* II 2344 C. Sempronius Speratus flamen divorum Augg. provinciae Baeticae. (imperante Traiano.)
Carthagine VIII 12653 Faustus Caesaris ser. Sperati aeditui f. (exeunte saec. I vel ineunte II.)
Arsacal VIII 6071 [Co]rnelia Q. lib. Sprata (sic).
Calamae VIII 5445 Modius Isperatus.
Theveste VIII 1949 Isperatus.

'exaudi Caesar: delatores ad leonem. exaudi Caesar: *Speratum* ad leonem' clamatum est in senatu mortuo Commodo, ut refert Ael. Lampr. 18, 10. *Speratus episcopus Africanus* nominatur in Gestis collationis Carthaginiensis a. 411 (Migne, patr. ser. I tom. 11).

hinc declinata sunt Speratius, Speratianus, Speratinus, Speratilla, Speratio. cognata sunt Sperantius, Sperandus.

Sponsa

servile nomen aetatis optimae inventum *Romae* et *Puteolis;* imponebatur etiam ingenuis.

Romae VI 4190 Sponsa Liviae l.
VI 5072 Sponsa Optati et Cytheridis filia. (in columbario, quod Tiberio et Claudio imperantibus in usu fuit.)
VI 9155 Acutus Sponsae ser.
VI 11210 Licinia Sponsa.
VI 23642 Ovia Sponsa filia Saturnini August.
Puteolis X 2811 Oppia L. f. Sponsa.
derivata sunt Sponsanus, Sponsianus. spectat ad praedictiones

Stabilita

nomen aetatis non optimae.

Romae VI 20689 Iulia Stabilita Cassiae Donatae filia.
VI 16021 Cominia Stablita (sic) Comini Atimetiani patrona. (sic a verbo cognato *stablarium* Romani, *staflarem* Umbri dixerunt.)

Grumenti X 263 Papira (sic) Stabilita. (titulus neglegenter scriptus.)
X 270 'Stabilita matri benemereti fecit Agileni, que visit an. L.'

confer nomina quae sunt Stabilis Stabilia Stabilio Stabilius; his origine non aliena sunt Stafonius (confer oscum *Stafianam* i. Stabianam), Stabiae oppidi nomen, Stabius, Staberius, Stabirius, Stab(u)larius, Stabulo, Istablicius.

comparandum est Statutus al.

Status

cognomen rarissimum, cognatum cum Staatio; sed nescimus, utrum producta fuerit A an correpta. ortum videtur esse saeculo Christi primo.

Romae VI 200,2,72 A. Plautius Status, a. 70.
Salonis III 2070 Status.
Carnunti III 4446 Stata.

Statutus

hoc nomen invenitur in *Italia,* maxime *Romae,* in *Gallia Cisalpina,* in *Gallia Narbonensi,* ad *Rhenum,* in *Illyrico,* in *Hispania.* ortum videtur esse aetate Caesariana, usurpatum est a servis ingenuisque humillimo loco natis fere usque ad saeculum tertium medium. nomen gentilicium quod est *Statutius* iam Augustea aetate hinc declinatum est. *Statutianus* saeculorum est Christi secundi et tertii.

Romae VI 4973 M. Livius Statutus (in columbario, quod Tiberio et Claudio imperantibus in usu fuit).
in *Gallia Cisalpina* V 5050 Camurius Statutus, a. 46.
ad *Rhenum* CIRh. 1237 Togius Statutus miles numeri exploratorum Divitiesium Antoninianorum.

'recalvom ac silanum senem, statutum, ventriosum' Plautus Rud. 317. confer Staturam.

Structus

cognomen gentis *Serviliae,* quo primus videtur praeditus esse P. Servilius P. f. Priscus Structus, qui consul fuit a. u. 259, postremus C. Servilius P. f. Q. n. Structus Ahala trib. mil. cos. pot. a. u. 346 (vide fastos). posterioris autem aetatis exemplum, si recta est Huebneri coniectura, unum habemus; [St]ruc[tae] enim cognomen visum huic est Corneliae C. Cor. Sec[un]dini uxori fuisse, quam

ostendit lapis *Tarraconensis* II 6120. Στρούκτων (Στρούκτορα codex Patmius) soli Diodoro (12, 27) Hermini in consulatu a. u. 36 collega audit.

Subitus

Romae VI 1057,5,57 P. Saenius Subitus vigil, a. 205.
VI 15544 T. Fl. Subitus et Pinnia Heuresis parentes Claudiae Pietatis.
VI 26896 Subita.
nomen fortasse invenerunt a subito partu.

Sublatus

Brixiae V 4643 [S]ublatus.
confer Agnitum.

Substitutus

Romae XV 767 opus dol(iare) ex pr(aedis) Augg. nn., L. Lanius Substitutus. (aetatis est Severianae incipientis.)
Nemausi XII 4031 Substitútus Zoes contubernalis.
Salonis III 2092 Substitutus T. Anchari Anthi IIIIIIviri Aug. libertus.
in *Hispania* II 6259,19 Substitutus M. Vetti Bolani.
est igitur nomen servile. 'utinam patiente utriusqu[e a]etate procedere coniugium [potuisset, donec e]lato me maiore, quod iu[sti]us erat, suprema mihi praesta[res, antea vero super]stite te excederem orbitat[e f]ilia mihi supstituta' laudatio Turiae.

Successus

Successus Augusteo fere aevo nomen factum est et superstes fuit saeculo Christi quarto. servi eo usi sunt primi et quamquam non multo post inter ingenuorum quoque nomina receptum est, tamen ad honestiores fere nunquam pervenit. atque *Romae* paene innumerabilis exemplorum multitudo prodiit, nec minus acceptum fuit *Ostiensibus;* permulti eo usi sunt in ceteris *Italiae* oppidis, in *Galliis cisalpina* et *transalpina*, in *Hispania*, in *Illyrico*, in *Africa;* rarius autem fuit ad *Rhenum* et in *Britannia*. una C saepissime scriptum est in titulis *urbanis* et *Africanis* (maxime in *Lambaesitanis*), sed etiam in ceteris *Italiae* partibus Sucessus saepe legitur (in pariete *Pompeiano* IV 1355). raro autem C omissa est in *Gallia*, in *Illyrico*, in *Hispania*. Sucesus aetate posteriore aliquotiens occurrit in *Italia*, in *Gallia*, in *Pannonia*, in *Hispania*, in *Africa*. Σούκκεccoc et Σούκεcoc habentur in titulis graecis (cf. Theod. Eckinger de lat. verb. in graec. tit. orthogr. diss. Turic. p. 102). emendatius fuit Succedens (VIII).

Romae VI 5953 Successus (in monumento libertorum familiaeque L. Arrunti, qui cos. fuit a. p. C, 6).
VI 15604 Claudia Successa Agathangeli Caesaris ser. contubernalis, Ti. Claudi Hygini patrona.

VI 26915 Successa Messalinae Neronis lib.
VI 14913 Ti. Claudius Aug. lib. Alexsander, Claudiae Successae pater.
VI 15551 Successus imp. Vespasiani Caesaris ser. Octavianus.
VI 235 Saturninus et Successus horreari, a. 75.
VI 8485 T. Flavius Successus Aug. l. tabularius marmorum Lunensium, patronus T. Flavi Felicis.
VI 9041 Naevius Successus filiaster P. Aeli Aug. lib. Telesphori selentiarii.
VI 8796 M. Aurelius Successus Aug. lib. a cura amicor., qq. coll. Liberi patris.
VI 3884 T. Ovedius T. f. Pom. Sucessus (sic) Amer. mil. coh. XIIII urb., a. 197. in eodem laterculo nominatur opt. M. Aeretius M. f. Pal. Sucessus (sic) Ost.
VI 1056,2,99 Baebius Successus vigil, a. 205.
VI 1057 sq. Successi vigiles, a. 205 et 210. semel deest altera C.

Ostiae XIV 50 Successus Agathemer[i] imp. T. Caesaris Aug. ser(vi) [p]aterni vicarius.
Antini IX 3840 Q. Novius Q. f. Serg. Successus p(atronus) m(unicipii) omnibus honoribus functus.
Genusiae IX 259 cooptatur patronus Fl. Sucessus (sic) hornatus et explendidus vir, a. 395.
Capenae XI † 4064 dep. Sucesi (sic).
Luguduni, Allmer et Dissard III p. 179 Attia Successa T. Aeli Aug. lib. Eutychi coniux.
Madaurae VIII 4703 Ti. Claudius Succesus (sic) filius Successi Cogitati.
Carthagine VIII † 14217 Sucessus (sic).
VIII 12507 'uratur Sucesa (sic), aduratur amore vel desiderio Sucesi (sic)'.

Helvius Successus libertinus pater fuit imperatoris Pertinacis (conf. prosopogr. II p. 134). Successo episcopo Cyprianus inscripsit epistulam n. 80 (Hart.).

(Medeam) sua manu suos extinxisse *successus* Cael. Aurel. morb. chon. I 5, 177 dicit. 'cum omnia mea causa velles mihi *successa*' Cic. fil. ep. XVI 21, 2; *dibus successis* (intellege eos qui prosperis successionibus praesunt) titulus Hispanus II 325 positus est. *Successor* filius C. Plini Calvi et Pliniae *Successae* nominatur in titulo Comensi V 5300.

Superatus

nomen tertii fere saeculi, usurpatum in *Hispania* et in *Africa*.
Italicae II 1146 Fabius Superatus.
II 5040 Superata.
Malacae II 1966 L. Servilius Superatus.

Lambaesi VIII 3002 [M. Ulpius] Superatus libertus et alumnus M. Ulpi Optati (centurionis) leg. III Aug. p. v. (propter piae vindicis cognomen hic titulus ante Septimium Severum scriptus esse non potest).
VIII 3481 Super[atu]s L. Caecili Ve[n]atoris filius.

superatus est qui superat. elegantius fuit *Superans* (IX 567), unde declinatum iam priore saeculi p. C. primi parte *Superantia* (VI 2993). cognata sunt Super, Supera al. confer Exuperatum.

Suratus

in *Norico* III 5153 Suratus.
confer nomen Surae.

Superlata

Benignae Superlat[ae] Diocletianus rescripsit a. 286 (fragm. Vatic. § 279).

Susceptus

Veliae X 466 L. Valerius M. [f. Su]sceptus T. Comini [Su]scepti et Publ[i]l[iae] Andreae filius.

Tacitus

nomen Taciti aevo Augusteo antiquius esse non puto; ab hoc tempore tam ab humilibus quam a nobilibus hominibus usurpatum est fere usque ad aetatem Constantini. exempla prodierunt in *Italia*, in *Gallia*, in *Illyrico*, ad *Rhenum*, in *Britannia*, in *Africa*.

Romae VI 2379 a 4, 23 M. Severius Tacitus miles praetorianus, a. 143.
VI 3226 T. Aur. Tacitus eq. sing. Aug.
Capuae X 4078 Ti. Cl. Tacitus Ti. Cl. Ti. lib. Epaphroditi filius.
Pisis XI 1421 Q. Sertorius Q. f. Atilius Tacitus (imperante Augusto).
Lunae XI 1355 Numisius Tacitus pater collegi fabr. tign., bisellarius.
Patavii V 3037 F. Sepullius P. f. Fab. Tacitus.
Mediolanii V 5895 P. Valerius P. libert. Palat. Tacitus VIvir senior et Augustalis.
in *Norico* III 4812 Fl. Tacitus s(ingularis) c(onsularis) alae Aug., a. 238.
ad *Rhenum* CIRh. 930 T. Tacitus (vereor ne *Tacitius* fuerit in lapide) Censorinus.

Corneli Taciti equitis Romani Belgicae Galliae rationes procurantis filium ἐκτράπελον ipsum non pridem se vidisse dicit Plinius n. h. 7, 76. P. Cornelius Tacitus celeberrimus rerum scriptor. A. Caecina Tacitus [praetor] candidatus, praeses prov. Baeticae, cos. (suff. a. inc.), VIIvir epulonum (cf. prosopogr. imp. rom. I p. 257). imperator Caesar M. Claudius Tacitus Aureliani in principatu successor.

derivata sunt Tacitius, Tacitianus, Tacitinus, Tacitinius.

Togatus

in *provincia Numidia* VIII 5787 Iulius Togatus.

Torquatus

cognomen gentis *Manliae* antiquissimum. T. Manlius L. f. A. n. Imperiossus Torquatus dictator a. u. 401, II 405, III 434, cos. a. u. 407, II 410, III 414 a torque, quo Gallum victum spoliaverat, sibi posterisque Torquati cognomen invenit (Liv. 7, 10). L. Manlius L. f. Torquatus cos. suff. fuit a. u. 689 (filius eius praetor fuit a. u. 705). Torquata antiquiore aetate nulla invenitur. Praeter Manlios Torquatos patricios nobiles novimus multos eodem cognomine praeditos, ex quibus elegi hos: (C? Nonium) Asprenatem Calpurnium Torquatum filium consulis a. p. C. 6 (is fortasse est quem in ludo Troiae lapsu debilitatum aureo torque Augustus donavit ipsumque et posteros Torquati cognomen ferre passus est, cf. Suet. Aug. 43; prosop. imp. rom. II p. 411); Iuniam Torquatam virginem Vestalem, filiam C. Silani consulis a. p. C. 10 (prosopogr. II p. 253); L. Iunium Silanum Torquatum fratrem consulis a. 46, L. Iunium Silanum Torquatum eiusdem, ut videtur, filium (prosopogr. II p. 249. 250); D. Iunium Silanum Torquatum cos. a. 53 (prosopogr. II p. 249); Torquatam Q. Volusi Saturnini consulis a. 56 uxorem (prosopogr. III p. 331); L. Nonium Torquatum Asprenatem cos. a. 94 (prosopogr. II p. 414); C. Bellicium (*sive* Bellicum) Torquatum Tebanianum cos. a. 124 (prosopogr. I p. 235); (Nonium) Torquatum Asprenatem cos. II a. 128 (prosopogr. II p. 414); C. Bellicium Torquatum cos. a. 143, C. Bellicium Torquatum cos. a. 148 (prosopogr. I p. 235); M. Metilium Aquillium Regulum Nepotem Volusium Torquatum Frontonem cos. a. 157 (prosopogr. II p. 371); Lucceium Torquatum consularem occisum a Commodo (prosopogr. II p. 301); Gavidiam Torquatam L. Anni Italici Honorati legati leg. XIII geminae sub Caracalla vel Elagabalo uxorem (prosopogr. II p. 111); Lucceium Torquatum leg. pr. pr. provinciae Asiae, curatorem civitatis Ephesinae (prosopogr. II p. 301). — Manlius Torquatus Horati amicus (prosopogr. II p. 329). Torquatus Gennadius Martialis emendator (cf. Teuffelii hist. litt. rom. p. 790 s.). tituli Torquatos humili vel adeo servili loco natos praebent haud paucos.

Romae VI 10776 Torquatus T. Aeli Aug. lib. Primi filius.
VI 3884 M. Aelius M. f. Aem. Torquatus Durr. mil. coh. XIIII urb., a. 198.
VI 1055 L. Caris[i]us Torquatus vigil, a. 205.
Pompeiis X 880 Festus cum Torquato.
Lambaesi VIII 4109 C. Valerius Torquatus.
derivata sunt Torquatius, Torquatianus.

Tributa

Romae VI 15619 Claudia Tributa.
Luguduni, Allmer et Dissard III p. 329 Olia Tributa.

Tubertus

P. Postumius Q. f. Q. n. Tubertus cos. fuit a. u. 249, iterum a. u. 251. A. Postumius Tubertus dictator fuit a. u. 323, mag. equit. a. 320.

tubertus declinatum est a tubere, ut ubertus ab ubere, et significat tuberatum vel tuberosum. confer Tuberonem.

Tutus

Tutus servorum humillimorumque ingenuorum nomen est, ortum fere initiis aetatis imperatoriae et usurpatum etiamtum saeculo Christi quinto. hoc solum in hoc indice posui, cetera quae sunt *Tutius Tutianus Tuticus Tuticius Tuticanus Tuticanius Tutilius Tutinius* exclusi, quia origo eorum fortasse longe alia est (conf. Buecheleri lex. it. pag. 28). oscum (?) Τουτι vel Τουτς (Plantae gramm. dial. osc. umbr. II p. 493) cognatum aut cum his aut cum illo est. confer nomina Tuendi Tutoris Tutorinae. celtica quaedam latinis persimilia sunt.

Romae VI 18354 Ti. Claudius Tutus lib.
VI 27858 Tutus verna Caeasaris (sic).
VI 1842 P. Curtius P. f. Tutus scriba aedilicius.
Canusii IX 380 C. Flavius Tutus.
Herculanei X 1403f Q. Maecius Q. l. Tutus.
Nemausi XII 3920 Tuta Smeri filia, L. Smeri Sp. f. soror.
XII 3950 Tertulla Tuti f., Anniae Tutae mater.
Viruni III 4836 Valeria Tuta.
Lambaesi VIII 18468 Cornelia Tuta.
in *Mauretania Caes.* VIII 9222 Septimia Tuta Clodi Felicis coniux.

Tutus episcopus Africanus memoratur in gestis collat. Carthag. a. 411 (Migne patr. ser. I tom. 11).

Vallata

Gadibus II 1798 Cornelia Vallata.

Vegetus

cognomen inventum fortasse aevo Augusteo. frequentissimum fuit in *Hispania*, secundum locum tenet *Gallia Narbonensis*, pauciores eo utebantur in *Italia*, ad *Rhenum*, in *Britannia*, in *Illyrico*, in *Gallia Lugudunensi*. — derivata sunt Vegetius, Vegetianus, Vegetinus.

Vegetus Senecae amicus (cf. prosopogr. imp. rom. III p. 391). L. Mummius Niger Quintus Valerius Vegetus Severinus Caucidius Tertullus (ibd. II p. 387 s.). C. Septimius Vegetus praefectus Aegypti a. 86 (ibd. III p. 216). Q. Valerius Vegetus cos. suff. a. 91.

in *Gallia Cisalp.* V 5896 Vegetus libertinus.
V 2116 P. Terentius P. l. Vegetus

in *Gallia Narbon.* XII 3196 / Allius Vegetus filius Sex. Alli et Anniae, frater Sex. Alli Repentini aed. col.
XII 4392 T. Fadius T. l. Vegetus sevir Aug.
in *Hispania* II 172 Vegetus Tallici, a. 37.
II 3846 Antonia L. f. Sergilla, Vegetus libert. (litterae sunt saeculi I exeuntis vel II ineuntis).
II 5354 G. Auf(idius) G. f. Gal. Vegetus IIvir II curator.
ad *Rhenum* CIRh. 1145 M. Marius M. f. Tro. Vegetus Aeq. mil. leg. I adi.
in *Britannia* VII 387 L. Caecilius Vegetus praefec(tus) coh. I Dalmatar.
hinc declinatum Vegetius.

Venerata

Patavii V 3066 Venerata C. Viri Stephani lib.
saepius inveniuntur Venerandus Veneranda.

Versa

Romae VI 7929 Pomponia Q. et Ↄ. l. Versa.
confer Vortumnum et Vertuleios.

Verutus

in tegula *Bruttia* X 8041, 42 Veruti.
in *provincia Numidia* VIII 5508 Verutus, a. 240.
huc fortasse pertinet P. Arrun[tius] Verru[tus?], quem habes in titulo *Narbonensi* XII 4622 litteris saeculi primi scripto.
confer Verutium.

Victoriatus

Romae VI 3022 Q. Veirius Victoriatus.
confer Victorem, Vincentium al. sed potest etiam a victoriato nummo nomen accepisse; 'nesciebam rhetoras victoriatos esse' graece dixit Euctemon in Festum quendam rhetorem staturae pusillae (Sen. contr. 7, 4 (19) 8).

Victus

Romae VI 1060 Lollius Victus, a. 198/210.
in *Hispania* II 79 Meranius Victus Iuliae Lobessae coniux.
significatur aut qui vivit aut qui vincit, confer Vincentium Victorem al.

Vindicatus

Arelate XII 5802 Vindicatu(s).

Vindicta

in *provincia Byzacena* VIII 11837 [N]aevia Vin[d]icta.

Viratus

Segusione V 7299 C. Iul. Viratus.
confer mulieres viratas (Ecclesiastic. 28, 19; Roenschius, It. et Vulg. p. 145) et nomen Nerati.

Vocatus

Tarracone II 4410 Val. Vocatus Val. Flavinae filius.
vide nomen Vocatiae.

Nomina derivata.

Acceptius

nomen Acceptii ortum videtur esse saeculo secundo, sed posteriore tempore frequentior factus est usus eius.

Luguduni, Allmer et Dissard II p. 357 Q. Acceptius Venustus dec. c(oloniae) C(opiae) C(laudiae) Aug. Lug(uduni), puer dulcissimus, quem ostensum nc[n] datum iniquitas fati praematura morte parentib. rapuit.

adde titulos quosdam *Rhenanos* et *Carnuntinum* III 4433.

Acceptianus

Accepti cognominis in Illyrico *Norici* regiones meridianas plurima dedisse exempla suo loco dixi. hoc confirmatur cognomine Acceptiani, cuius ibidem pauca exempla prodierunt, quae, excepta una inscriptione *Dacica*, nusquam alibi invenies. atque in *Norico* habemus Acceptianum Accepti filium et Acceptum Acceptiani filium (III 6493. 5071). in *Dacica* tabula cerata III C VIII a. 159 legitur Plator Acceptianus, quod idem fortasse valere atque Plator Accepti (filius) suspicatus est Mommsenus. Norica exempla posterioris videntur esse aetatis.

Acceptinus

duo huius nominis habeo exempla tertio saeculo vix antiquiora, alterum prope Virunum *Norici* (III 4795), alterum in *Germania superiore* inventum (CIRh. 827).

Acceptinius

ad *Rhenum* CIRh. 1837 Acceptinius Festinus.

Acceptilla

Licinia P. fil. Acceptilla est in titulo XII 2971 inter *Nemausum* et *Ucetiam* invento. — vide Acceptum.

Actulus

prope *Arelate* XII 632 Aureliai Actuli f. Secundai. — cf. Actum.

Acerratius

Acerratios quominus ab Acerris Campaniae oppido nomen accepisse putemus impediunt nomina Acerrae Acerii Acerronii Acellii Acellasii Acerretinae. videtur autem ortum hoc esse ab acerra.

Capuae X 3822 L. Tampius IIvir L. Acerratius aed.

Brundisii IX 64 Q. Acerratius Artemidorus et Acerratia Trophime.

Acerretina

Brundisii IX 65 Acerretina Salvia. gentilicium videtur esse. vide Acerratios.

Acutius

gentilicium Acutii, si originem et tempora respexeris, non pro uno sed pro duobus habebis. cum enim litterae cognominis Acuti nullum exemplum memoriae tradant, de M. Acutio, qui iam a. u. 355 tribunus plebis fuit, Livius 5, 10 loquitur; atque idem gentilicium tituli nonnulli Praenestini exhibent (XIV 3047. 3048. 3065), qui certe ante Sullam scripti sunt. cognominis igitur inde a temporibus satis antiquis usque ad Augusti aetatem nullus fuit usus; tum autem renatum est et multis servis impositum. atque ab hoc cognomine rursus alterum gentilicium originem habet, quod diversum esse a priore illo hominum paene omnium condicione humillima veri simile fit, et iam saeculo primo ineunte Aquis Sextiis peregrini hominis nomine Acuti filius vocatus est Sex. Acutius Vol. Aquila (XII 517). neque vero antiquom illud gentilicium his temporibus plane extinctum fuisse Acutiae P. Vitelli legati Germanici uxoris nomine docemur (Tacit. ann. VI 47).

exempla *urbana*, quae satis multa sunt, saeculis maxime primo alterique tribuam; neque vero saeculi tertii exempla deesse puto; vide hos titulos: VI 975, 2, 20, a. 136. VI 1056, 1, 67, a. 205. reliqua *Italiae* exempla imprimis prodierunt in *Campaniae* oppidis Herculaneo, Puteolis, Miseno, Neapoli, quibus adiungo Ostiae, Cluenti, Centumcellis, Mutinae, Beneventi inventa paucissima. quorum aetas cum maxime saeculum primum secundumque tum etiam tertium est.

per totam fere *Galliam Cisalpinam* huius nominis vestigia deprehendimus: Altini, Ateste, Concordiae, Patavii, Mediolanii, Brixiae, Cemeneli, alias.

in *Gallia Narbonensi* fere nulla reperiuntur exempla nisi *Aquis Sextiis, Nemausi*, *Narbone,* nec puto ullum extare, quod saeculo secundo posterius sit.

tituli *Rhenani* paucissimos dederunt Acutios; notandus est Acutius Ursus (CIRh. 1138, a. 220).

in *Hispania* huius nominis usus non frequens fuit. invenitur non gentilicii modo sed etiam cognominis loco primis p. C. saeculis in Baetica fere sola.

in *Africa* excepto uno provinciae Byzacenae exemplo Lambaesis sola Acutios Acutiasque praebet. in titulo VIII 2618 anni 211/12 est M. Acutius Ingenus centurio.

aliquotiens *Romae*, saepius in *Gallia Narbonensi* littera Q praecedit litteram V in titulis bonae vel optimae aetatis; quod in

titulo Praenestino XIV 3065 ante aetatem Sullanam factum nemo miretur.

in posteriora tempora nomen Acutii non durasse vel inde adparet, quod christiani eo usi esse non videntur.

Acutianus

huius cognominis vel agnominis pauca vestigia servaverunt tituli *Italici*. *Romae* non invenitur, sed *Cluenti* in Piceno est M. Acutius Acutianus eq. R. (IX 5805), *Capuae* (X 3910) M. Cornelius M. f. M. n. Publ. Iustus Acutianus IIII vir qq. i. d., quaestor rei publ. quantum videre licet inscriptiones nos ducunt ad saecula primum, secundum, tertium.

Caesareae est Iulius Acutia[nus] (VIII 9121, saeculi tertii altera parte). in *Dalmatia* titulus III 1911 a. 239 beneficiarium cos. ostendit. *Smyrnae* III 411 invenitur Acutianus quidam a. 139. tertii fortasse saeculi est titulus III 6458, qui *Aquinci* prodiit.

Acutianius

Augustae Vindelicum III 5830 Flabius Acu[ti]anius Serenus et Aqutianius Ursacius.

Acutinus

Acutinus est in titulo *Galliae Cisalpinae* V 8138 Polae invento.

Acutillus

hoc cognomen occurrit in lapide *Mediolaniensi* V 6093, qui Simpliciam Acutil[l]am praebet; a patre Acuto haec mulier nomen traxit. praeterea Acutillos officinatores habes in vasculis *Gallicis Britannicisque* (XII 5686, 8 VII 1336, 13). aetas horum hominum antiquior esse non videtur.

Acutilius

Carthagine VIII 12660 P. Acutilius Ampliatus (exeunte fere saeculo primo vel ineunte secundo).

vide Cic. ad Att. I 5, 4. — cf. Acutum.

Adauctula

singula huius nominis exempla inventa sunt *Puteolis* et in vicinia *Ammaedarae* (X 1998. VIII 500). uterque titulus humilem ostendit mulierem secundi fortasse vel tertii saeculi. — vide Adauctum.

Adiectius

hoc gentilicium inveni *Beneventi* IX 1637 in titulo qui propter adiectam tribum eoque quod hic Adiectius praetor Cerialis dicitur, qua adpellatione saeculo II labente summi magistratus Beneventani utebantur (conf. Mommseni praef.), priore fere saeculi III parte videtur scriptus esse. idem nomen videtur esse in titulo *Rhenano* CIRh. 1679, qui saeculo III antiquior non est.

Adiectula

Aur. Silicia Adiectula est in titulo *urbano* VI 13381 aetate posteriore scripto. — vide Adiectos.

Adiutius

Adiut. Sextus miles est in titulo *Rhenano* CIRh. 1311, qui saeculo tertio antiquior non est. — cf. Adiutum.

Adventinus

Lambaesi VIII 3939 Octa. Adventina, veterani, ut videtur, filia. (saeculo III prior hic titulus non est.)
vide etiam tegulam III 8275, 3. — confer Adventos.

Aietius

Aietii ab Aio deo nomen invenisse possunt.
Aietius Pastor senator est ap. Sen. controv. 1, 3, 11. — vide Axios.

Albatius

hoc gentilicio *Lunae* duo decuriones collegii fabrum tignariorum usi sunt (XI 1355), A. Albatius Corinthus et Q. Albatius Verna. vide sequens nomen.

Albutius

hoc nomen gentilicium scriptum fuisse traditur in titulo *Hispaniae Tarraconensis* II 2509, qui periit. sed quia nomen Albucii haud raro invenitur, hoc facile credas in titulo fuisse; quamquam Albutia et Albutianus adparent in inscriptione Galliae Cisalpinae, quae sane et ipsa periit. grammatice non refragatur, nam ut a cano est canutus (gloss. Cyr. πολιός canus canutus), ita ab albo ortum esse potest albutus.

Albutianus

in *agro Mediolaniensi* V 5712 P. Albutianus Primitivus. titulus videtur periisse.

Alfenatius

Alfenatius declinatum est ab *alfeno, unde gentilicium Alfeni originem habet; aliud autem huius adiectivi vestigium nullum, quod sciam, extat; sed propinqua cum eo coniuncta sunt cognatione albedo et verbum albendi. confer etiam nomen Helvenati.

Alfenatiae Florae *Romae* titulum posuit P. Vettius Dius (VI 11424); duo lapides *Tiburtini* XIV 3679 et 4256 praebent L. Alfenatium Priscum IIIIvirum, a. 127. Alfenatiam Flosculam nominat titulus *Salernitanus* X 552.

Alsius

hoc gentilicium *Herculanei* inventum in titulo X 1403 d 3, 9 utrum originis sit latinae ab algendo ductum, an graecae a voce ἄλσος oriundum, an denique ad Alsium Etruriae oppidum spectet, dubito. — vide Alsum.

Altius

cum in titulo *Suessano* X *4764 nomen genetivo casu positum sit, et gentilicium esse potest et cognomen; sed illud verius videtur esse, ita ut rectus casus sit Altius. T. Altius Ianuariu[s] est in titulo *Rhenano* CIRh. 155 saeculo II fortasse scripto

conferas nomen Alunniani (VI 22029).

Alticus

hoc cognomine praediti erant L. Novius, qui a. 223 inter pedanos ordinis *Canusini* erat (IX 338) et homo *Lusitanus* (II 802).

Altilius

L. Altilius L. f. Epictetus Calli[sti]nus est in titulo *Genuati* V 7753a.

Amatius

hoc gentilicium maxime *Romae* gerebatur, secundum locum obtinent *Italia* et *Sardinia*, singula tantum exempla inveni in *Africa* et in *Britannia*. coepit in usu esse libera etiamtum republica (vide C. Amatium humillimae sortis hominem ap. Liv. epit. 116) et per saecula p. C. I et II floruit; saeculo tertio autem magis magisque extinctum est. Amatii sine dubio ab Amatis libertinis originem duxerunt, nec plus uno, quantum titulis docemur, in altiorem civitatis suae locum ascendit, quod factum est ineunte fere saeculo tertio.

Romae non pauca nominis exempla prodierunt saeculis maxime primo et secundo scripta; unus vir nomine Ti. Iulius Amatius cognominis loco habet (VI 19821). *Ostiae* titulus corporis stuppatorum vix ante saec. III scriptus duos nominat Amatios honoratos. non sine fructu adhibentur *Samnii Campaniaeque* tituli; Abellini enim antiquissimum quod novi exemplum inventum est in titulo aetatis fere Caesarianae (X 1153). unus titulus repertus est *Clusii* in Etruria. in insula *Sicilia* IIvir praefectus imperatoris Antonini hoc gentilicio usus est (X 7211). non plane certa est tituli VII 354 *Britannici* lectio, possis enim et A. Matius legere et Amatius; hoc tamen veri similius putat Huebnerus. Amatia legitur in titulo *Caesariensi* VIII 9321. postremo non praetermittam mutilatum titulum *Salonitanum* III 6395, cui fortasse Amatiani nomen inscriptum fuit; sed post AMATIA lapis fractus est. — vide Amatos.

Ampliatiana

hoc nomen declinatum ab Ampliati nomine legitur in titulo XIV 2062 haud procul ab *Ostia* invento, qui videtur saeculi secundi esse. impositum est mulieri inferiore loco natae. — vide Ampliatos.

Anisatius

huius nominis exemplum nuper in *Eiflia* prodiit, cf. Correspondenzblatt d. Westd. Zeitschr. XIV p. 99: L. Anisatio Tito. nominatus est ab aniso, ut Fabati a faba, Buturati a buturo.

Apertius

hoc gentilicio saeculo secundo homines praediti erant non multi *Romae, Ostiae, Capenae, Caeliae* in Apulia, *Brixelli;* in *Africa* provinciae Byzacena, proconsularis, Mauretania Sitifensis singula praebent exempla. honestioris loci homines hoc nomine non utebantur.

a. 143 scriptus est titulus *urbanus* VI 2379a1,52, in quo legitur L. Apertius Victor Brixell., praetorianus. *Ostiae* repertus est titulus XIV 490 a. 144, qui praebet P. Apertium [S]ecundum.

ab apro potius quam ab aperto hoc nomen declinatum putaverim; confer Porcatium.

Apicatius

Apicatam Seiani uxorem adpellatam esse Tacitus tradit in ann. IV 3 et 11. quod nomen ab apice ductum eis impositum esse putaverim, quorum capita, cum nascerentur, quasi apicibus tecta erant. quem pilleum hodie quoque pro omine fausto haberi medici me docuerunt. confer etiam Lamprid. Anton. Diad. 4: 'solent deinde pueri pilleo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt et advocatis credulis vendunt, si quidem causidici hoc iuvari dicuntur.'

gentilicium Apicatii pauci tituli Italici praebent; bonae aetatis videntur esse omnes et hominibus de plebe impositi. *Romae* leguntur P. Apicatus ... Apicata ..., cognominibus lapidis fractura ablatis, quae nomina pro Apicatiorum gentiliciis habenda censeo (VI 12126). P. Apicatius P. f. Cla. Celer est in titulo urbano VI 9634; ibidem inventae sunt Apicatia Fausta et Apicatia Phoebe VI 22277. 24443. *Herculanenses* tegulae praebent L. Apicatium On(esimum): X 8042,15.

Argutio

hoc nomen, cuius paucissima vestigia *Africani* tituli servaverunt, legitur in titulo *Mactaritano* VIII † 670. accedit tegula *Pannoniae inf.* III 10687a.b., cui inscriptum est nomen Fl. Argutionis fictoris. — vide *Argutum.*

Armatius

gentilicium Armatii videtur esse in titulo *Africano* VIII 830. — vide *Armatum.*

Arsius

M. Arsius Felicianus, qui est in titulo *Corano* X 6523, potest ab ardendo nomen accepisse (conf. cognomen Arsi). fortasse idem nomen habuit G. Ars. Marcianus optimus iuvenis, officio inter convicanos suos functus aedilitatis (XII 2611). (cognatum *arseverse* ap. Paul. p. 14 [Thewr.], quod significat: averte ignem, vel potius: ignem averte.)

fortasse autem aliunde repetenda est nominis origo. potest enim cognatum videri cum umbrico *arsie* (vocat.), quod latine est quasi sancte, aliisque eiusdem generis verbis, et coniungendum cum nominibus quae sunt *Adius* (X 904, cf. osc. *Aadiieis* genet.) et *Allius* (conf. umbr. sors-, lat. Sullam). satis habeo memorare titulos

Perusinos XI 2001. 2002, qui praebent nomina *Arsina* et *Arsinia* (*Arsi* est in n. 2006).

Arsinius

Cuprae maritimae IX 5814 T. Baebius Ɔ. l. Potitus et Arsinia C. l. Thalassa.

Aquinci III 3435 T. Arsinius Sita veteranus leg. II ad.

Catinae X 7017 'Fl(avi) Arsini v. c. consularis p(rovinciae) S(iciliae)'.

Arsenius

Puteolis X 1791 (=VI 861) [Ar]senius Marcellus cur. r. pub., a. 181. vide cognomen *Arsi*.

Arventia

Lucerinus titulus IX 890 mulierem libertinam ostendit gentilicio Arventiae praeditam. scriptus esse videtur primo vel secundo p. C. saeculo. vide cognomen *Arventi*.

Asuetius

Asuetius Felicissimus nominatur in titulo collegii fabr. tignarior. VI 1060, qui ad annos 198—210 pertinet.

hoc nomen haud scio an a participio oriundum sit.

Atatinus

Aveiae IX 3609 Q. Atatinus Q. f. Quir. Modestus praef. fabr. bis, tubicen sacroru(m), flamen Romae, praefectus classis Moesic. nomen est gentilicium.

nota sunt Attus Atta Ata Ateius al. participiorum analogiam sequi puto hoc nomen, confer patrem patratum sim. a voce atta bis posita declinatum videtur Augusto Zimmermann (mus. rhen. 52 p. 458) gentilicium *Atatii* mihi ignotum.

Atratinus

nomen antiquissimum, quod utrum ortum sit ab ipso participio quod est atratus, an rectius ad fluvium Atratum (Cic. de divin. I 98. II 58) referatur equidem nescio; sed confer Atrios.

A. Sempronius Atratinus consul fuit a. u. 257. Atratino cuidam fasces dati sunt a. p. C. 89. 'M. Autronio D. f. Atratino' legendum esse in titulis *Delmaticis* III 9999 et 10000 comparatis inter se quae in utroque traduntur veri simile fit. sed cuius loci vir fuerit, num revera eques Romanus incertum.

Auctianus

hoc fuit alterum nomen duorum servorum, qui antea libertino alicui nomine Aucto adparuerant. utrumque exemplum inventum est inter titulos columbariorum, alterum (VI 6228) ante Claudi mortem scriptum, alterum (VI 4245) ante obitum Liviae, cum Iulia Augusta adpellaretur. Auctianum ingenuum tribu praeditum habes in titulo *Aquileiensi* V 1107.

Auctinus

rarissimum nomen, cuius exempla nusquam inveniuntur nisi in *Hispania* et in *Numidia*. atque saeculo II ineunte miles Lambaesitanus Carthagine oriundus eo praeditus fuit (VIII 2569 a, 1). Hispania Baetica tria dedit exempla quae sunt hominum humillimo loco natorum.

Auctinius

ad *Rhenum* CIRh. 825 C. Auctinius Romanus. (confer Corresp. d. Westd. Zeitschr. II p. 40.)

Auctilla

hoc cognomine servae, libertinae, vel certe humilis loci ingenuae utebantur paucae prioribus p. C. saeculis. atque *Romae* habes duas: VI 6661. 25458, quae primo saeculo videntur vixisse. *Ostiensis* titulus XIV 1407, qui est saeculi primi vel secundi, mulierem libertinam exhibet. Atilia Auctilla legitur in titulo *Tarraconensi* II 4387, Curtia P. f. Auctilla Gargiliana in titulo *Africano* VIII 12304.

Aucticlus

Romae VI 19726 C. Retidi[us] Aucticlus. — vide *Auctos*.

Aviatius

M. Aviatius Iustus Arretio miles praetorianus nominatur in laterculo VI 2379 a 2, 4, anni 144. *aviatas* i. auspicatae legitur in tabula *Marrucina* (Zvet. inscr. It. med. p. 10); de vocabulis cognatis consulendum est Buecheleri lex. Ital. p. 6. confer cognomen *Auspicati*.

Avitius

hoc gentilicium ab Aviti cognomine oriundum cave ne imitatus Vincentium De-Vit confundas cum eo quod est Avittius, ducto fortasse ab Avittae Bibbae oppidi Africani nomine, vel ficto deminutive ex avo. quod ad Aviti nomen adnotavi vel nobilissimos eo esse usos, nunc novo confirmatur testimonio. *Romae* enim a. 241 est Avit(ius) Avitian[us] senatoris filius (VI 2114, 17). decurionem coloniae *Karnunti* habes in titulo III 4236 tertii opinor saeculi. castra *Lambaesitana* civitasque *Lambaesitana* et *Carthago* tres praebent Avitios VIII 2560. 3450. † 13477, unum exemplum ac ne hoc quidem certum inventum est in *Hispania Tarracon.* II 2569.

Avitianus

hoc cognomen partim ex gentilicio Avitii, partim ex Aviti cognomine traxerunt nonnulli viri humiles nobilesque saeculis secundo et tertio.

Romae VI 2104 (cf. 2108) L. Alfenius Avitianus frater Arvalis, a. 218.
VI 2114 Avit(ius) Avitian[us] senatoris filius, a. 241.
VI 7523 C. Caecilius Avitianus (in columbario).

Aquileiae invenitur L. Cervon. Avitianus Cosconiae Aveniae maritus (V 8371). Avitianos duos et Avitianam habes *Arelate* et

Viennae XII 719. 1311. 1395. Vitellius Avitianus libertinus est in titulo *Rhenano* CIRh. 203. L. Alfenus Avitianus p. p., tr. coh. III vig. legitur in titulo *Hispano* II 3399 a. 167. in *Illyrico* tria inveniuntur exempla. L. Iulius Apronius Maenius Avitianus c. p. est in titulo *Lambaesitano* VIII 18271 saeculi III fere medii. Avitianum christianum praebet titulus *Siciliensis* X † 7113, a. 435.

Aviticianus

Aquileiae V 1436 C. Cornelius Aviticianus.

Auratianus

Auratiani nomen legitur in titulo *urbano* VI 13672, quem posterioris aetatis esse puto.

Axius

Axius unde ortum sit docet cognomen M. Axi Lali (VI 13439). nosti Aium deum, a quo declinata sunt nomina Aius (Ahius), Aiacius, Aiedius, Ailius, Aienus, Aienius, Aianius. verum non hunc solum cultum esse, sed etiam Axium (cf. *axandi* verbum et *axamenta*) demonstrat Axiorum nomen notissimum ex Varronis rer. rust. libro III. L. Axsium L. f. Nasonem vide in Mommseni hist. mon. Rom. p. 635 (a. u. 680—704). memorare satis puto nomen etruscum *Acsis* (Fabr. gloss. p. 61) et *Axiam* Etruriae castellum (Cic. pro A. Caecina 20). in tessera consulari a. u. c. 685 legitur Aescinus Axsi (VI 724). cetera exempla non rara inveniuntur in titulis maxime saeculis primo et secundo scriptis *Romae, Ostiae, Praeneste, Puteolis, Pompeiis, Patavii, Arelate, Narbone, Sarmizegetusae, Lepti magna, Avittae Bibbae, Arsacal*, in *Mauret. Sitif., Auziae,* ex quibus hos eligo:

Sarmizegetusae III 1422 Q. Axius Aelianus v. e. proc. Augg. a. 238 (conf. n. 1423 et 1456).

in *Mauretania Sitif.* VIII 8812 Axius Aelianus v. e. proc. Aug. r(ationis) p(rivatae); imperante Severo Alexandro.

adde titulum *Boeoticum* CIGS. I 413, qui est aetatis Sullanae: Κόιντος Ἄξιος Μαάρκου υἱὸς Κυρίνα.

cognominis locum habet in titulo *Praenestino* XIV 3385 et in duobus *Puteolanis* X 1795. 2871. aliquotiens in *Italia* litterae X addita est S (XIV 3385. V 3029).

Axianus

in signaculo X 8059, 192 est L. Herennius Axianus.

Axilius

Ostiae XIV 498 A*c*silia Artimidora (sic).
XIV 679 L. Axilius Ostesis (sic).
XIV 680 L. A*x*silius Primitivos et A*x*silia Trophime mater.

Aquileiae V 8972 Q. Axilius Urbicus v. p. magister sacrarum cognitionum, a studiis et a consiliis Augg.

Axenius

Pinnae IX 3352 C. Axenius Sex. [f.] Tranq[uillus] IIIIvir ex s. c.

Axsonia

hoc gentilicium videtur fuisse in inscriptione *Montonensi* V 418 male nobis tradita.

Barbatius

iam mature a Barbati cognomine hoc gentilicium esse ortum cognoscimus ex M. Barbatio Philippo Caesaris amico (Cic. Phil. XIII 3). M. Barbatius Epaphra *Romae* est XV 883 in latere saeculi primi fere medii. adde urbanos titulos VI 13511. 13512. in *Apulia* et in *Vestinis* duo inveni exempla IX 364$^{add.}$ 3402, *Puteolis* unum X 2161, unum *Polae* V 133. in *Caesariensi* titulo VIII 9449 legitur M. Barbatius M. l. Pandarus.

Barbatia gens quo loco fuerit incertum est; nam quos ex titulis novimus homines libertini sunt fere omnes. vixerunt autem, ut opinor, saeculis secundo tertioque.

Barbatianus

titulus *urbanus* VI 14003 praebet Caeciliam Barbatianam; *Comensis* V † 5407 Barbatianum christianum.

Barbatio

Barbatio magister peditum supplicio affectus a. 359 (Seeckius apud Wissowam).

Beatianus

Beatianus est in titulo *Africano* VIII 1474.

Beatilla

Beatilla Lucilla, si editori credimus, fuit in titulo christiano X † 4629, in quo ipsum nomen haud invenuste inlustratur his verbis: que beate vixsit, beate obit; beati qui legunt. alterum exemplum atque id paganum habes in titulo *Caesariensi* VIII 9449.

Beatice

Romae VI 11785 Gellia Beatice. — vide *Beatos.*

Bellitius

mea belliata dixit Plautus in Rud. 463, et deminutive *belliatula* in Cas. 854, a bello ducto participio; confer sororiandi verbum et multa alia (Groeberus in Arch. I p. 235 de eis verba facit). rectiorem autem huius vocis formam servaverunt linguae Romanenses (conf. Groeb. in Arch. I p. 249), in quibus vel comparationis vestigia manserunt; nomen autem quantum scio inde ortum non est; nam procul habenda sunt Belatus, Belatulla, aliaque nomina, quae celtica esse adparet (conf. Zeussii Gramm.[2] p. 797). sed *bellitus* quoque

Romanos dixisse et Hispanorum lingua docet (conf. Diezii lexicon p. 520) et fortasse Bellitii nomen, quamquam eius memoria fundamentis nititur non firmis. quod nomen num in urbanis titulis scriptum sit nescio, quia sero animum ad id intendi. sed C. Bellitius C. f. Trom. Felicissimus est in titulo *Claternensi* XI 685, cuius auctoritatem sane parvam Bormannus esse dicit; L. Bellitius Felix nepos eius nominatur in eodem titulo. Belitius Saturninus legitur *Puteolis* X 2041. sed potest, ut in his titulis, qui perierunt, fuerit nomen Bellicii.

Boatius

Luceriae IX 876 T. Boatius T. l. Eros.

Romae VI 1057, 7, 5 Iul. Boatius Rusticus vigil.

in nono corporis inscriptionum volumine invenitur *Bovius* (conf. Bovianum, Bovillas), quam ob rem in nomine Boatii inter litteras O et A vau videtur extrita esse (conf. Solmseni stud. p. 145). comparandum est nomen Porcatii.

Boniteius

Bonitei gentilicium a Bonito videtur declinatum esse; sed potest etiam, ut a Bonitto nomine deminutive a bono tracto ortum sit. L. Boniteius Felix est in titulo *Africano* VIII 1367.

Bullatius

a bulla, ingenuorum puerorum insigni, gentilicia orta sunt *Bullii, Bullonii* (XII), *Bullanii* (X), *Bullenii* (III). Bullatum inveni nullum; sed Bullatii gentilicium (una L scriptum in VI 6180), quod novimus ex Horati epist. I 11, satis antiquom est; praenomine enim utebantur Bullatiae mulieres, quarum nomina leguntur in titulo *urbano* VI 13661. praeterea saeculi p. C. primi exempla columbaria urbana dederunt duo: VI 5221. 6180. Sex. Bullatius Paetus est in titulo urbano VI 13660. posteriore tempore vixit Bullatius Paulinus, plebeius corporis fabrum navalium *Ostiensis* XIV 256, 315. exemplis Italicis pauca accedunt *Africana;* in provincia proconsulari enim prodiit lapis VIII 12445, cui inscriptum est nomen C. Bullati Felicis; Mauretanus titulus VIII 9004 praebet Bullatiam Secundam.

confer Scaevolae nomen, cuius origo discitur ex Varr. l. l. VII 97.

Bullatianus

hoc cognomine videtur praeditus fuisse C. Iulius, quem habes in titulo *Africano* VIII 18610.

Cacatius

Cacum sororemque eius Cacam antiquissimis temporibus in deorum numero esse cultos iam diu intellectum est. etiam nomina ab eis traxisse homines multis docemur inscriptionibus. *Caciliae* enim nomen (*Cacilla* legendum censet Garruccius) invenitur inter ollas valde antiquas VI 8222; *Cacios, Cacilios, Cacurios* habemus in titulis *urbanis* VI 13682—13687. *Ostiae Cacii* gentilicium satis frequens fuit (XIV 308 [Cácius]. 413. 700—706. 777. 1020). M. Cacius C. f. Cerna IIvir, trib. mil., praef. fabr. est in titulo *Sinuessano* X 4736.

Cacurii nomen reperitur in titulo *Praenestino* XIV 3032 et in *Mediolaniensi* V 5985. *Cacusios* paucos praebent *Gallia Cisalpina* et *Gallia Narbonensis* et *Noricum* (V 7221. XII 2192. III 5028); *Cacelii* nominis exemplum prodiit in agro *Compsino* (IX 1041). (de Caciis conf. etiam Buggium in Deeckii quaest. et stud. etrusc. IV p. 115).

his nunc accedit nomen *Cacatii* a Caco eodem modo derivatum, quo Ianata (VIII 9802) a Iano et apud Gallos Camulatus a Camulo deo (XII 2480).

hoc nomen legitur in vasculo *Soluntino* X 8056, 70, fortasse etiam in vasculo *Caralitano* X 8056, 69.

Campatius

a campo orta sunt gentilicia *Campius* (VI), *Campilius* (X, IX, V, XII, III), *Campusius* (X). *Campatiae* Rustica et Cinnamis, mulieres libertinae, sunt in titulo *urbano* VI 14307. L. Campatius Liber..., fortasse vigil, legitur in titulo *urbano* VI 2412, a. 185. Campatii *cognomen* Terentio cuidam fuit in provincia *Byzacena* VIII 11182 (= 912). ut a campo Campatii, sic a treb- nominati sunt Trebatii, de quibus infra dicendum erit.

Camurtius

Romae VI 14316 L. Camurtius Punius.

Paesti X 490 C. Camurtius Aper.

in agro *Compsino* IX 1089 'Martei Q. Camurti P. f. d. d.'.

Brundisii IX 6392 Camurtia Chresime.

M. Camurtium, Clodiae amatorem, habes apud Cic. p. Cael. 71.

Camurtius est a camuro ut libertus a libero, pubertus a pubere (gloss. Cyr.: ἔφηβος puberta pubertus puber efebus) al. eodem genere prognata sunt *Camurius, Camurenius; Cameria, Camerinum.* similiter a licino orta Licinus, Licinius, quibuscum cognata videntur esse Licovius, Licutius (confer obliquom).

Capatius

a capo, quem volgus per duas P consonas pronuntiabat (conf. Groeberum in Arch. I p. 542), orta sunt gentilicia *Capii, Cappii* (XII, XIV), *Capinii* (V), *Capariae* (IX). participiorum analogiam sequitur gentilicium *Capatii,* quo utitur M. Capatius Valerianus, vir Lambaesitanus (VIII 3510). pro cognomine habet Ti. Iulius Condolli f. Capatius in titulo *Virunensi* III 4846. confer nomen Porcatii aliaque similia.

Capertia

Belluni V 2050 Capertia Valentina.

a capro videtur nomen accepisse.

Capretanus

Puteolis X 1782 Iulius Capretanus.

cognatum certe hoc est cum capro, sed potest a loci nomine declinatum esse.

Capitulatia

Dertonae V 7384 Capitulatia Ɔ. l. Fidelis.

Caplatius

nomen *Capuli* est in titulo V 4041. *C. Caplati Musonii* scriptum fuit in tegula *Velitris* reperta X 8043, 47.

Caplatius dictus est a capulo capulave, aut eum significat, qui capulat. a caplo pendent linguarum Romanensium verba (conf. Groeb. in Arch. I p. 541).

Captius

Romae VI 9158 D. Captius Icarus argentarius.
Castrimoenii XIV 2480 M. Captius Philo, Captia Philotea, Captia Erato, Captia Secunda.
in *Mauret. Sitif.* VIII 8455 Q. Captius Q. fil. Pap. Martial. aedilis; imperante Septimio Severo.
vide cognomen *Capti.*

Cartius

P. Cartius Filonicus, P. Cartius Adauctus, P. Cartius Severus nominantur inter corporatos quosdam *Ostienses* a. 140 (XIV 246).

Cartilius

gentilicium Cartili haud rarum fuit *Romae,* ut adparet ex titulis VI 14441—14451, qui humilium hominum sunt omnes. *Ostiae* duovir eo usus est (XIV 315) et praeter hunc quattuor homines. C. Cartilius Irenicus fuit in collegio dendrophor. *Cumano* (X 3699,2,15, a. 251). L. Cartilius L. f. harispex est in titulo *Clusino* XI 2305. Q. Cartilius Q. f. invenitur *Ateste* V 2589. adde titulos V 2914. 4562, alterum *Patavinum,* alterum *Brixianum.* *Africanus* titulus VIII 2476 dedit P. Cartilium Optatum. Cartilia Pantoclia est in titulo *Emeritensi* II 541. — saeculis primo et secundo tenui loco homines hoc nomine videntur praediti fuisse.

Cartorius

Romae VI 14452 Cartoria Elpis et C. Cartorius Horaeus coniux eius.
Ostiae XIV 772 C. Cartorius Genneus.
Puteolis X 2721 C. Cartorius Spendon.
Patavii V 2887 T. Cartorius Scirtus Aciliae P. l. Basionis maritus.
V 2915 L. Cartorius P. f. Fab.
V 2916 Ti. Cartorius Ti. l. Anteros.
Vicetiae V 3166 C. Cartorius C. l. Menopilus.
V 3167 L. Cartorius Ras...

Cartullus

Thubursici Numidarum VIII 4927 Cecilius Cartullus.
Cartones Holderus in thesauro linguae celticae adfert ex lucernis rhenanis.

Carsius

Albae Pompeiae V 7603 M. Carsius M'. f. Cam. Secundus praef. fabr.
Arelate XII 679 T. Carsius Teret. Certinus veter. leg. XX V. v.
Glani XII 993 Carsia *Udia.

Carsicius

Cumis X 3699, 2, 34 P. Carsicius Florianus dendrophorus, a. 251.

Carsidia

Romae VI 14440 Carsidia Helpis Corneli Onesimi uxor.
Carsidius Sacerdos praetorius est apud Tac. ann. 6, 48.

Carsedia

Maxuma Carsedia T. f. nominatur in titulo *Piceno* IX 5058.
vide cognomen *Carti.*

Catius

nomen gentilicium a Cato ortum; 'cata acuta; hoc enim verbo dicunt Sabini; quare „catus Aelius Sextus" non, ut aiunt, sapiens, sed acutus' Varr. l. l. 7, 46. eodem genere prognata sunt *Cato, Catullus* al.; sed *Catulus, Catilina* al. ad catulum referenda sunt ('in cenis deum etiamnunc ponitur catulina' Plinius n. h. 29, 58). ad cattum, cattam pertinent Cattus, Catta, Cattius al., de quibus consulendus est Holderi thesaurus linguae celticae. sed confunduntur aliquotiens Catius et Cattius (cf. prosopogr. imp. rom. I p. 321).

nomen est antiquissimum. Q. Catius aedilis plebei fuit a. u. 544. Q. Catius Aemilianus nominatur apud Cicer. pro M. Tullio 19. C. Catius Vestinus tribunus mil. fuit in exercitu M. Antoni (Cic. ad fam. 10, 23). Catium Insubrem, Epicureum, mortuum esse non multo ante a. u. 709 docet Ciceronis epistula ad. fam. 15, 16, 1. Ti. Catius Caesius Fronto frater Arvalis consul (suff.) fuit a. p. C. 96. P. Catius Sabinus consul II fuit a. 216 (eius carmina duo habes in Buecheleri anthol. n. 228 et 251). Sex. Catius Clementinus Priscillianus consul fuit a. 230. ceteros enotare supersedeo. maxime floruisse hoc nomen in *Galliis Cisalpina* et *Narbonensi* tituli docent. pauciores Catii inveniuntur in *Italia,* paucissimi in *Hispania,* in *Britannia,* ad *Rhenum,* in *Norico.*

haec exempla eligenda putavi:

Beneventi IX 1632 Catia Vibi f. et L. Avidius L. f. parentes L. Avidi L. f. Ste. IIIIviri aed.
Nolae X 1236 C. Catius M. f. IIIIvir.
Romae VI 14590 M'. Catius Hilarus.
Ateste V 2593 C. Catius C. f.
Patavii V 2923 Catia C. f. Prima uxor Q. Sicini M'. f.
Clastidii V 7351 L. Catius Terti f., Catia T. f. Maxsuma.
Vasione XII 1363 Catia T. fil. Servata flam. Iul(iae) Aug(ustae) Vas(iensium) Voc(ontiorum) et Q. Secundius Zmaragdus IIIIIIvir Aug. maritus eius.

Carthagine nova II 3408 L. Cati(us) M. f.; ante Caesaris principatum, ut videtur.

Catianus

in *Gallia Cisalpina* V 5447 T. Tadius T. f. Ouf. Catianus VIvir urb., q̄. collegi centonarior.
in *Gallia Narbonensi* XII 2432 C. Vibrius C. f. Vo[lt.] Catianus.
ad Catianum Martialis scripsit epigr. 6, 46. — Cattianus celticum est.

Cateius

Beneventi IX 1928 C. Cateius Anc.... idem nomen Celtae videntur habuisse (cf. Holderi thesaur. linguae celt.).

Catanus

Verecundae VIII 4241 Iulius Catanus vet.

Catienus

T. Catienus homo levis ac sordidus, sed tamen equestri censu (Cic. ad Q. fr. 1, 2, 6). Catienus histrio (Horat. sat. 2, 3, 61). P. Catienus Philotimus patronum adeo dilexit ut heres omnibus bonis institutus in rogum eius se iaceret (Plin. n. h. 7, 122). Catiena scortum (Iuv. III 133).

Romae VI 14579 C. Catienus Abascantus et Catiena Vitalis filia eius.
VI 14580 P. Catienus T. f. Serg. Festus pupillus.
Aquini X 5462 Catiena Sex. l. Hilara.
Abellini X 1159 P. Catienus....
idem fortasse est Cattienus (VI 14597: P. Cattienus Glyceros et Cattiena Nemusa Cattienae Vitalis parentes), nisi tamen inter celtica rectius refertur.

Cato

cognomen antiquissimum. eos hic ponam solos, qui faciunt ad institutum meum. atque M. Porcius Cato celeberrimus rerum scriptor Tusculi natus est a. u. 520, consul fuit a. u. 559. M. Porcius Cato praetura functus Titium Sabinum a. 28 accusavit cupidine consulatus; consul suffectus fuit anno incerto (cf. prosopogr. imp. rom. III p. 88).

Catones, et libertini et ingenui homines saeculorum primi secundi tertii inveniuntur in *Italia*, in *Galliis Cisalpina* et *Narbonensi*, in *Illyrico*, in *Hispania*.

Volceiis X 417 Q. Poppaedius Q. f. Ser. Cato.
in *Gallia Cisalp.* V 1079 Sex. Appuleius Sex. l. Cato.
V 8274 M. Cato M. f. Anies. Crem. miles chor. VI pr. (nomen *gentilicium* est.)
Narbone XII 4407 M. Porcius Cato IIvir, ut videtur; a. 36 p. C.
in *Illyrico* III 4392 Matta Catonis f.

in *Hispania* II 183 C. Heius Primus Cato, a. p. C. 57.
II 1535 L. Aemilius M. f. M. n. Cato aed., IIvir praef.

Catto celticum est (cf. Holderi thesaurum).

Catonius

'quod scribis de seditione, quae facta est in legione quarta, de Catoniis, in bonam partem accipies' Cic. ad Brut. 1, 2. Catonius Iustus praefectus praetorio a. 43 iussu Messalinae occisus (cf. prosopogr. imp. rom. I p. 323). M. Macrinius Avitus Catonius Vindex donatus donis militaribus in bello Germanico a M. Aurelio, consul suff. a. inc. (cf. prosopogr. II p. 313).

in *Gallia Cisalpina* V 4147 /Catonius Maximian.
V 7502 T. Vettius Stati fil. Pol.; Ennius et Catonia.

ad *Rhenum* CIRh. 231 C. Catonius Respectus bf. cos., a. 230.

in *Dalmatia* III 2924 M. Caton. Varo dec. ornament. honoratus.

celticum est Cattonius, videtur esse Catunius.

Catullus

Catullus derivatum deminutive est a Catone sicut homullus ab homone al., nec video cur Holderus omnia huius nominis exempla inter celtica referat, licet pars fortasse a vocabulo celtico originem habeat, id quod barbarica nomina in eisdem titulis scripta arguere possunt. usurpatum in omnibus fere imperii Romani partibus tam a nobilibus quam a servis est.

Catullus consul a. u. c. 652. C. Valerius Catullus poeta clarissimus Veronae natus est a. u. 667. Octavia P. f. Catulla Celadi Caesaris Aug. liberti uxor (cf. prosopogr. imp. rom. II p. 431). L. Valerius Catullus triumvir monetalis aetate Augusti (cf. prosopogr. III p. 354). [Valeriu]s Catullus Mes[salinu]s inter pueros senatorum filios qui Arvalibus ministrabant a. 105 (cf. prosopogr. III p. 354).

Romae VI 6467 Catullus Tauri l. (in columbario Statiliorum, circa a. 50).
VI 414b Clodius Catullus praefectus vigilum, a. 191.

Ateste V 2595 Catulla Q. f. Maxuma (nomen *gentilicium* est).

in *Norico* III 5169 C. Fuscinius Catullus b(eneficiarius) Ulp. Victoris proc. Aug., a. 158.

in *Hispania* II 3696 Q. Caecilius Q. f. Velina Catullus aedilis, IIvir.

Catullius

Romae VI 3350 Catullius Catullinus frum. leg. VIII Aug.

in *Gallia Cisalpina* V 5252 M. Catullius Mercator et M. Catullius Secundus, a. 104.

in *Gallia Narbon.* XII 988 Catull[i]a Quinta C. Secundi Iuliani uxor (trad.: Catulla).

ad *Rhenum* CIRh. 759 M. Catullius Martialis.

plura, ex parte fortasse celtica, collegit Holderus in thesauro linguae celticae.

Catullianus

in *Mauretania Caesar.* VIII 9918 Crepereus Catullianus.

Catullinus

Q. Fabius Catullinus consul fuit a. 130. permulta huius nominis exempla congessit Holderus in thesauro linguae celticae, quae videant qui plura de eo scire cupiunt.

Catullinius

ad *Rhenum* CIRh. 337 M. Catullinius Paternus.

Catio

in *Norico* III 4928 Catio coniux T. Iúli Primigeni.

Catiola

in *Gallia Narbonensi* XII 2192 Catia Catiola C. Cacusi Lucani IIviri aerar. uxor.

Catinius

L. Fabius Cilo Septiminus Catinius Acilianus Lepidus Fulcinianus consul suffectus a. 193 (cf. prosopogr. imp. rom. II p. 45 s.).

Romae VI 14588 M. Katinius Serenus.

Septempedae IX 5581 Q. Catinius C. f. Curvos duo vir.

Casini X 5278 Postumia M. f., Catinia L. f., Q. Atrius Q. l. Philemo.

in *Gallia Narbon.* XII 5875 Catinia Moschis Catiniae Isid[orae] mater.

in *Hispania* II 111 Catin(ius) Canidianus c(larissimae) m(emoriae) v(ir).

in *Africa* VIII 6410 Q. Catinius Mundus.

Catineius

Beneventi IX 1751 Catineis (sic) Liberalis et Iustina Tatinei (sic) Liberalis parentes.

Catillius

L. Catillius Iulianus procurator M. Iuli Philippi Augusti (cf. prosopograph. imp. rom. I p. 320).

Romae VI 14587 L. Catillius Felix Catilliae Protoctes patronus.

in *Africa* VIII 11108 'de patre Catillio'. male hoc nomine clauditur pentameter. confunduntur Catillius et Catilius in VIII 8239.

vide cognomen *Cati*.

Catulatius

Ateste V 2594 T. Catulatius T. l. Receptus.

ortum hoc nomen est a catulo; cognatum *Catilius*. confer Porcatium al.

Cautius

hoc gentilicio praeditus est veteranus qui cognomine caret in titulo *Carnuntino* III 4463.

Cautinus

P. Petronius Cautin. est in lapide *Lusitano* II 147. gentilicium est in titulo *Brundisino* IX 93.

Cautilius

Cautilium Gerontium ex Muratorio adfert Vincentius De-Vit in onomastico. — vide cognomen *Cauti.*

Celatianus

titulus *Hispanus* II 6181 praebet L. Aemilium L. fil. Quir. Celatianum. litterae sunt saeculi secundi. — vide cognomen *Celati.*

Celsius

hoc gentilicium in usu fuit saeculis secundo et tertio.

T. Celsius T. f. Men. Crescens Praen. signifer coh. XII urbanae occurit in titulo VI 3884, a. 198. T. Celsius Victorinus librarius principis est in titulo *Argentoratensi* CIRh. 1883, a. 201. Celsiam Flavinam habes *Tarracone* II 4119. .Celsius Aprilis cas(tris), miles *Lambaesitanus*, est in titulo VIII 2568, 18 saeculo II ineunte, ut videtur, scripto.

Celsianus

paucorum hominum humillimorum cognomen. Veturius Celsianus a. 169 inter adlectos scaenicorum est *Bovillis* XIV 2408 I 14. Atilius Celsianus dec. nominatur in titulo *Dacico* III 933. Herennium Celsianam habes in provincia *Byzacena* VIII 377. adde patellas *Britannicas* VII 1336,278 sq.

Celsinus

hoc cognomen, rarum in *Italia,* in *Gallia Narbonensi,* in *Hispania*, saepe invenitur in *Africa*; secundum locum tenent *Dalmatia*, *Dacia*, *Pannonia*. saeculo primo secundoque nec non tertio homines ingenui humili loco orti eo utebantur; saeculo quarto ne a nobilissimis quidem spretum est. christianum nomine Celsinum novi unum.

Pompeiis X 846 N. Popidius N. f. Celsinus, qui aedem Isidis terrae motu a. 63 conlapsam restituit.

Beneventi IX 1576 Clodius Celsinus insignis et c. v. corr. re gionum duarum.

Aquileiae V 984 Celsina, libertini uxor.

Nemausi XII 3992 Celsina libertinorum filia, ut videtur, saec. II.

Aquinci III 3432 T. Ae. Celsinus, a. 164.

III 3524 Fl. Celsinus, a. 228.

Savariae III † 4220 Aurel. Celsina.

in *Hispania Tarrac.* II 3571 Q. Manlius Q. l. Quir. [C]elsinus IIvir.

Carthagine VIII 13072 Iulia Celsina, saec. II fere medio.

Cirtae VIII 7011 Clodius Celsinus v. c. cons. p. N., imperante Constantino. cf. IX 1576.
VIII 7054/5 Sabinia Celsina c. f. uxor Gemini Modesti viri praetorii, neptis M. Naevi Censiti.

Celsinius

ad *Rhenum* CIRh. 290 T. Celsinius Cumius.
Castulone II 3266 C. Celsinius (si recte traditur titulus).

Celsinianus

Potaissae III 908 Aur. Celsinianus Aur. Celsi filius, miles coh. I P. P.

Celsilla

cognomen muliebre optimae aetatis quo utebantur feminae ingenuae humili loco natae vel libertinae.
Romae VI 7389 Valeria Celsilla (in monumento Volusiorum); saeculi primi priore parte, ut videtur.
VI 17886 Felsinia Celsilla M. Felsini Severi et Sergiae Celsae filia.
in *Hispan. Tarrac.* II 4022 Atilia Celsilla L. Otacili L. f. Gal. Flavi uxor. filiam eius Celsillam habes in titulo sequente.

Celsulus

Lambaesi VIII 4133 C. Vessius Celsulus (legitur et *Caelsulus*).

Celsenus

in *Dacia* III 7822 Celsenus adiutor mag(istri) coll(egii).

Celsenius

P. Celsenius Constans dec. col(oniae) Delmatiae Cl(audia) Aequo legitur in titulo *Ampelensi* III 1323 circa aetatem Traiani scripto.

Celsidius

in *Lusitania* II 872 Celsidius Albinus eiusque filia Celsidia Serena.
vide cognomen *Celsi*.

Censilla

Sulpicia D. f. Censilla (pater vocatus est *Censor*) legitur in titulis *Viennensibus* XII 1883 sqq. litteris saeculi primi scriptis.

Censonius

Viruni III 4923 (cf. p. 1813) C. Iulius Censoni f.
ad *Rhenum* CIRh. 833 Censonia Primula.
vide cognomen *Censi*.

Cernitius

Cinguli IX 5686 M. Cernitius M. f. Vel. Pollio IIvir bis. titulus scriptus est aetate Claudi.
cersnam tempore antiquissimo dictam esse cenam concluditur

ex umbricis et oscis; olim *cesnas* dicebant teste Festo p. 244 Th. S autem extrita R servatur in *silicernio* et in nominibus *Cerna Cernius* (X), quibuscum cognatum est Cernitius.

Cerretanus

Q. Aulius Cerretanus cos. a. u. c. 431, iterum a. 435. — confer cerritum (p. 747).

Cessitius

L. Cessitius Leucippus libertinus est in titulo *Tarracinensi* X 6354.
si etymon circumspicimus, idem se offert, quod est in *Cerrino* (Liv. 23, 46 Cerrinus Vibellius nobilis eques Campanus) et in *Cersino* (IV); a Cerere enim, vel a numine cognato cum ea haec nomina videntur declinata esse; in nomine Cessitii R ante S in S abiit, quem ad modum pro dorso dictum est dossum, pro dorsenno dossennus al. confer cerritum (p. 747).

Cessius

Cessius Primitivus vigil *Romae* invenitur in titulo VI 1056, 4, 48, a. 205. Cessii Trigetius et Andanius v. v. c. c. leguntur in albo ordinis *Thamugadensis* VIII 2403 'ante a. 367, extremis fortasse Constantii annis, vel imperante Iuliano' scripto. idem gentilicium est in inscriptione VIII 5505 a. 215 reperta in *monte Taya*. adde *provinciae proconsularis* titulum VIII 17073.

Cessinus

Trebulae Mutuescae IX 4896 T. Petidius T. f. Fab. Cessinus VIIIvir aedil. potest.

Cessicius

hoc gentilicium inveni in titulo *Moesiae inferioris* III 7448.

Cessonius

cognomen Cessoni legitur in titulo *Africano* VIII 10891.
vide cognomen *Cessi*.

Cirratius

Nemausi XII 3519 M. Cirratius Severus. uxor eius est Donata Cirratia.
XII 3139 L. Cirratius Martialis.
vide cognomen *Cirrati*.

Citatia

Citatie Citate in *Norico* titulus positus est III 5054. (maritus huius mulieris praenomine caret.) — vide cognomen *Citati*.

Citinus Cittinus

Thubursici Numidarum VIII 5127 Lucius Citini.
in *castris Lambaesit.* VIII 2564, 1, 53 Aurelius Ci*tt*inus d(uplarius), imperante Elagabalo.

Auziae VIII 9064 C. Annius C. f. Q. Ci*tt*inus IIvir aediliciae potestatis.
VIII 9131 Iul(ius) Ci*tt*inus.
in *agro Auziensi* VIII 9187 Iulia Ci*tt*ina.
VIII 9188 Iul. Ci*tt*ina.

Citior

Capsae VIII 136 Flavii Citior, Felix, Citus.
vide cognomen *Citi.*

Clatius

Romae VI 14854 Clatius Epaphroditus.
VI 14855 Cn. Clatius Lupus.
VI 14856 Clatia Rhodine.
Catinae X 7059 T. Clatius Heresistratus.
Canusii IX 338, 3, 11 L. Clatius Secundinus aedilicius, a. 223.
IX 368 L. Clatius Phyllinus et Baebia Eutychia.
in *agro Olisiponensi* II 5014 Clatia M. f. Marcella.
hoc nomen videtur a calando ortum esse; confer nomenclatorem et Claternam oppidum Galliae Cispadanae (vide etiam *Calatorii* nomen [Deeckius in mus. rhen. 36, 582]).

Clovatius Cluatius

a *clev-* (clueo, κλέϝος) multa nomina iam antiquis temporibus nata sunt, de quorum syllabis generalibus vide quae Solmsenus exposuit in Stud. p. 141 sqq. atque multos illos Cloelios (Cluilios) et Cluentios (Cloventios) hic percensere meum non est, sed eligo nomen *Cluvii,* ex quo spectandum est id nomen, de quo nunc agitur. Cluvio enim si detraxeris in exitu litteras ius, vetus adparebit nomen, unde subiuncto -atus natum est Κλοϝατος (Στατί[ου] ἔργον Κλοϝάτωι δῶρον, conf. Mommseni dial. It. inf. p. 270). hoc praenomen abiit in nomen gentile Clovatii. cf. Κλέοχος.

Pompeiis X 1065 [C]n. Clovatius Cn. f., IIvir i. d.
Saticulae(?) Ephem. epigr. VIII p. 23 n. 106 L. Clovatius Clarus (fortasse pater huius viri sensit, quid significaret nomen gentile).
Allifis IX 2385 Clovatia Ɔ. l. (ceteri, et viri et mulier, cognominibus utuntur).
Sutrii XI 3254 II 14 P. Cluatius L. f. pontifex.
Therm. Himer. X 7393 Clovatia C. l. Tertia Clovatiae C. l. Optatae mater.
Canusii IX 405 Cluatia Cn. l. Themis.
Emeritae II 545 Clovatia C. l. Irena.
videtur igitur oscum fuisse nomen (osc. *Kluvatiis,* Zvet. inscr. It. inf. n. 110. 129).
etymon habere dixi a clev-, quod est in κλέϝος, quamquam aliud quoque verbum olim extitit forma simile, dissimillimum significatione, id dico a quo orta sunt *cluere* (i. purgare), *clovaca, Cloa-*

:ina, in quorum numero ni fallor etiam *cloes* (corp. gloss. IV p. 45. 500. V p. 593) habendum est; vix enim recte Loewius in prodr. p. 364 pluviam (et navigium), quae verba interpretationis causa posita sunt, librariorum errori tribuit. fortasse hac via verior de nomine coniectura fieri poterit. cognata enim verba circumspicientibus oppida *Cluviae* et *Cluana* se offerunt, alterum Frentanum, alterum Picenum; quorum illud a Cluviis deabus nomen accepisse Graecorum quorundam oppidorum analogia videtur docere (conf. Useneri librum de deorum nom. p. 231 sqq.), hoc, si suffixum -ana detrahis, eiusdem generis deam offert Cluvam (conf. Iuvanum [Iuanum in CIL. VI 2379 a III 28]) simpliciore nominis forma praeditam, sicut Mana collata Mania. neque vero ex his nominibus ea numina olim extitisse conclusi, sed maximi momenti fuit Venus Cloacina, cuius ope illarum quoque dearum informari potest cogitatio. Plinius enim in n. h. XV 119 narrat myrtea verbena Romanos Sabinosque, cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos esse eo loco, qui tum signa Veneris Cluacinae habuerit. cluere enim antiquos purgare dixisse. cum hac dea cognata est *Cloelia* (Clov-acina, Clov-ilia), cui statua equestris posita est (conf. Venerem Equestrem).

Quae si recte disserui, Clovati apud Oscos a Cluva (Clova) nomen traxisse possunt, sicut Cacatii a Caco (conf. osc. Pukalatúí, Buech. tab. plumb. osc. p. 15 sqq.).

Cloatilla

Cloatilla quaedam accusata, quod virum, qui inter rebellantes fuerat, sepelisset, ab imperatore Claudio absoluta est. vide de ea prosopogr. imp. Rom. I p. 414.

Clutius

Romae VI 15858 T. Clutius Col. Apollinaris.

Gallica nomina similia habes apud Holderum in thesauro linguae celticae.

Clutianus

L. Salonius Clutianus vigil est in titulo *urbano* VI 1055, a. 205.

Clutorius

Vibone X 60 Clutoria L. f. Quarta.

Cogitatius

Miseni titulus positus est C. Cogitatio Valentio natione Pannonio, militi classis praet. Mis.: X 3569.

adde titulum editum a Muratorio 870, 2, in quo nominatur Cogitatia Cupitiana, veterani uxor.

Cogitatinius

Cogitatinius Iuvenis bf. leg. le. est in titulo *Lugudunensi* edito a Muratorio 678, 3.

vide cognomen *Cogitati*.

Cogni[tius]?

CIA III 1353 Δαμώ Κογνι[τίου θυγάτηρ] supplevit Kaibel.
vide cognomen *Cogniti*.

Comatius

Mediolanii V 5867 L. Iulius L. f. Ouf. Amandus et Comatia V f. Vera, uxor eius.
Aquileiae V 769 L. Comat. Dionysius.
Apuli III 1096. 1154. 1002. 1095: M. Aur. Comat. Superdecurio antistes (Triformis Liberae), et pater eius filique Comatii.

Comatilla

Comatilla est in titulo *Norico* III 11705 Celeiae invento; scriptus est litteris saeculi primi.

Comatullus

diploma III D XXIV (cf. pag. 1972) Weissenbergi in *Raetia* inventum, quod est anni 107, Mogetissae Comatulli f. Boio ex gregale alae I Hispanorum Aurianae civitatem datam esse testatur. — vide cognomen *Comati*.

Comtullus

in hoc nomine, quod legitur in titulo *Arelatensi* XII 786, si revera latinum est, inter litteras M et T P extrita esse potest; quod sequitur nomen barbaricum est.

Concessius

D. Concessius Felix est in titulo *Byzaceno* VIII 12041. idem nomen gentile ei fuisse puto, qui *Ostiae* inter plebeios corporis fabrum navalium nominatur: XIV 256, 85.

Concessianus

Hippone Diarrhyto VIII 1209 M. Artorius Festus Concessianus.
in *castris Lambaesitanis* VIII 2564, 2, 100 Bibuleius Concessian(us) duplarius, imperante Heliogabalo.

subiungo hic titulum III 5848 *Augustae Vindelicum* repertum in quo cum scriptum sit *Iul. Concesi*, aut Conces(s)iani aut Conces(s)ini nomen intellegatur necesse est.

Concessanus

Acilius Concessanus fl. perpetuus est in titulo *Thamugadensi* VIII 2403, 2, 13 'ante a. 367, extremis fortasse Constantii annis vel imperante Iuliano' scripto.

Concessinius

in *Britannia* VII 481 Q. Calpurnius Concessinius praef. eq.

Concessula

in titulo *urbano* VI 19617 lectum est SERVAEAE CONCESSVL, lapide post hos litterarum apices fracto. Concessulae nomen intellegendum putat Mommsenus. libertina mulier videtur fuisse.
vide cognomen *Concessi*.

Condetios Conditius

in titulo antiquissimo I 187 adparent M. Mindios L. fi., P. Condetios Va. fi. aidiles. posterioris aetatis sunt exempla haec: Conditius Longinus VI 16065; Conditia Ariagne Mari Apolloni uxor VI 22238; L. Condit(ius) Hilarianus vigil, a. 210 VI 1058 cent. 2 n. 101.

confer cognomen *Conditi.*

Congenetius

M. Congenetium Marcell[in]um et M. Congenetium Iustinum, quos habemus in titulo *Arilicensi* V 4020, ex celtica lingua gentilicium traxisse minime puto. nam a congignendo ortum est participium congenitus, quo utitur Plinius n. h. 11, 230, et novimus dativ. Deivai Genetai ex tabula Agnonensi (conf. nomen *Geneti* CIRh. 333).

Constitutius

in *Sedunis* XII 139 [Co]nstitutius praes. prov. . . .

Constitutianus

in *Raetia* III 5896 Constitutianus.
vide cognomen *Constituti.*

Consultinus

Cuprae maritimae IX 5303 [L.] Publicius L. f. Vel. Consultinus equo publico.

Consultonia

hoc nomen gentile invenies in Vincentii De-Vit onomastico.

Cornutius

Romae VI 3884 Q. Cornutius L. f. Pal. Honoratus Puteolis mil. coh. XIIII urb., a. p. C. 197.

Cornutio

IGSI. 1787 (Roma et vicinia) Κορνουτίων.
vide cognomen *Cornuti.*

Cretius

cretum antiqui et posterioris aetatis volgus eum dicebant qui crevit (conf. participia accretus, concretus et gloss. Phil.: creta λευκή. καὶ αὐξηθέντα). unde Lucretius, Vergilius alii hoc participium sumpserunt. sed cum paene innumerabiles homines Crescentes videamus adpellatos, Cretus mihi quidem notus est nullus, nec nomina ab hoc verbo prognata multa sunt aut frequentia. revera autem huius generis esse nomina *Cretiani, Cretii, Cretorii,* quorum partem Holderus in thesauro pro celticis habet, mihi non minus certum est, quam fuit Iuliae Crescentinae, mulieri *Ostiensi*, quae filio Aurelio Cretiano nomen suo simile imponi voluit.

in *Hispania Baetica* inventus est titulus II 1942 C. Cretio Mau[ro] a Cervia Mau[ra] matre positus. Cretiam Ianuariam habet titulus *Lambaesitanus* VIII 3562.

Cretianus

Ostiae XIV 664 Aurelius Cretianu[s] M. Aur. Mariani et Iuliae Crescentinae filius.
in *Britannia* VII 5 'Matribus Italis, Germanis, Gallis, Britannis Antonius Cretianus bf. cos. restituit'

Cretio?

Mommsenus in inscr. Helv. 352, 63 haec exhibet vasi inscripta: OF · CRETIO.

Cretorius

Cretorius November nominatur in laterculo vigilum VI 1056. 4, 37, a. 205.

Cultianus

Romae VI 23015 L. Nonius Sp. f. Cultianus.
confer nomen *Colendi*.

Cupitius

Celeiae III 5221 Cup. Cupitianus.
ad *Rhenum* CIRh. 1318 Cupitiu[s] Provid[ens] Serotini Cupiti filius, a. 226.
Vintii XII 19 M. Cupitius Paternus decurio.
Avennione XII 1036 Cupitia Florentina, Ianuari Primitivi uxor.
Vasione XII 5844 Cupitia Felicissima (Verille Verini filiae patrone optume titulum ponit).

Cupitianus

in *Norico* III 4733 Cupitianus Cupitines filius.
III 5221 Cup. Cupitianus.
in *Pannonia sup.* III 4442 M. Aurelius Cupitianus.
III 4452 Cetron. Cupitianus speculator (imperante Caracalla).
ad *Rhenum* CIRh. 1336 Atregtius Cupitianus hastifer civitatis Mattiacorum, a. 236.
in *Britannia* VII 887 G. Iul. Cupitianus centurio primipilaris.
in *Africa* VIII 1523 L. Iulius Felix Cupitianus Mellitus, Cupiti filius. (litterae Wilmannsio visae sunt saeculi III esse, Schmidtio saec. II fere medii.)

Cupitina

in *Norico* III 4733 Cupitianus Cupitines f.
vide cognomen *Cupiti*.

Curatius

Romae VI 16619 L. Curatius Melippus.
VI 18848 L. Curatius Zephyrinus. (praenomen et litterae CV, quae perierunt, a Ligorio traduntur.)
in *Britannia* VII 1270 (in vasculo) 'Curati' (genet.); in indice fertur Curatus.

Curiatius

Curiatiorum nomen antiquissimum (cf. *Curiatios* fratres, *Kureiate* dat.) in tab. Iguv. IIb 3) praetermittere nolo, quamvis obscura ius origo sit. atque eos, quorum res gestae libris manu scriptis raduntur, enumerare meum non est; titulis autem docemur hoc omen maxime saeculis p. C. primo et secundo viguisse *Romae*, *Luce-iae*, *Allifis*, *Nolae*, *Neapoli*, *Ostiae*, *Patavii*, in *Illyrico*, in *Africa*, n *Britannia*, in *Gallia Narbon.* recentissimum quod novi exemplum est anni 348.

Nolae X 1262 L. Curiatius L. f. flamen divi Augusti, prim. pil., trib. milit. . . .
Tolosae XII 5388 Ap. Curiatius, a. u. 707.
Cordubae II 2211 Cur(iatius) Innocentius, a. 348.
in *Hispania Tarrac.* II 3783 (= 6013) M. Cornelius M. f. Gal. Nigrinus Curiatius Maternus cos., leg. Aug. pro pr. provinc. Moesiae et prov. Syriae. ('num idem sit atque Maternus consul ordinarius a. 185 plane incertum est' Elimarus Klebs in prosopogr. imp. Rom. I p. 459.)

Cursius

Olbiae in Sardinia X 7981 Cursius Costini f.
vide cognomen *Cursi.*

Datianus

in *provincia Byzacena* VIII 111 'curante Valgio Datiano frattre'.
VIII 635 L. A[nn]ius Datianus.
Lambaesi VIII 3272 M. Vettius M. f. Datianus m. leg. III Aug.
Dianae VIII 4615 Iulia Datiane.
Thamugadi VIII 17903 Antonius Datianus decurio, saec. IIII med.
Madaurae VIII 16878 Saturius Datianus Pomponianus.
incerta est tituli V 5559 lectio. — Datianus consul est a. 358.

Datina

Lambaesi VIII 2824 Iulia Datina mater, Iulius Longinus frater Q. Aureli Processi Maddiani optionis leg. III Aug.
Ausiae VIII 9122 Valeria Datina Sexti Iuli Satur. uxor.

Daticus

in *Hispania Tarracon.* II 6311 Datic(us).

Datosus

in *Africa* VIII 10572 (= 14459) Datosus dispensator, C. Iuli Hilari pater.

similiter in Africa non modo *Maximosus* sim., sed etiam *Iuliosus*, *Aeliosus* al. inveniuntur (Mommsenus in ephem. ep. IV p. 521).

Dativos

de hoc cognomine eadem fere dicenda sunt, quae ad Datum adnotavi, nisi quod diutius videtur in usu mansisse et christianis quoque acceptum fuit. scriptum est nonnunquam una V (cf. Solmseni stud. p. 46, ubi delendus est numerus 10587 [=10548]): *Miseni* X 3483, in vasculo III 12014, 248, *Caperae* in Lusitania II 830, in *Africa* VIII 207. 4802. 7744.

Romae VI 10247 Claudius Dativus libripens, a. 252.

Carthagine VIII † 13605 sqq. sex Datibi christiani.

in municipio *Giufitano* VIII 861 P. Cornelius Marcelli fil. Pap. Dativus aedilis. (litterae sunt saeculi III.)

Dativae in Africa plures sunt quam Dativi.

Datuleus

Thibili VIII 19043 Q. Pomponius Datuleus.

Datullus

Thamugadi VIII 17903 Gaiulus Datulli, Vitalis Datulli (saec. IIII med.).

Datonem novi nullum. — vide cognomen *Dati.*

Decoratianus

Romae VI 15226 Decoratianus (saec. I).

Celeiae III 5221 Fla. Decoratianus b(eneficiarius).

vide cognomen *Decorati.*

Delicatissima

Romae VI 28253 Delicatissima Valeriae M. f. Priscae mater.

vide cognomen *Delicati.*

Dentatius

Romae VI 5230 C. Dentatius Firmus Selenius, Iuliae Baucidis frater; in columbario.

Pompeiis X 895 Inventus Dentati Daph(ni) minister Augusti. a. p. C. 23. — vide cognomen *Dentati.*

Desideratia

ad *Rhenum* CIRh. 1315 C. Iustini[us] Favor ve. e[t] Desiderat[ia] Desiderata.

Dicatina

in *insula Brattia* III 6425 (= 10105) Dicatina est in codice Opitergino (in n. 6425 editum erat *Picaria*).

Domatius

a domando non modo Domitius ortum est, sed etiam Domatius (conf. Petron. 74). huius gentilicii exempla inveni satis multa in *Italia,* maxime *Romae,* unum *Scarbantiae* in Pannon. sup. scripta

identur esse saeculis primo et secundo fere omnia. *C. Domati* *'rophimi* saeculo primo labro dolii inscriptum est: XV 2432. cum eterae inscriptiones urbanae omnes humillimorum vel adeo liber-inorum sint hominum, notandus est titulus VI 2168, qui est Cn. uli Cn. fil. Domati Prisci ex equo publico adiutoris haruspicum mperatoris pontificis Albani. reliquorum autem numeros enotare atis habeo: VI 1813. 7574. 16909—12. 18176. 18801. 21766 mulieris cognomen). 25446. 25456. satis antiquos est titulus *Beneventanus* IX 1713, qui exhibet C. Domatium Ↄ. l. Pylacem ɘt Domatias Ↄ. l. l. Faustam et Taliam; servata enim est EI diphthongus. C. Domatium C. lib.... dedit titulus *Stabianus* X 778 dextra fractus, P. Veturium P. f. Cor., Domatiam C. f. inscriptio *Atinas* X 5121; C. Domatium C. f. Rufum pr(aetorem) inscriptio *Lanuvina* XIV 2117 (vide etiam XIV 2116). in lapide *Scarbantino* III 4251 (conf. suppl.) leguntur P. Domatius P. [f.] Tergitio negotiator et Domatia P. l. Vimpia uxor eius.

Domitius

de huius nominis origine disserui, cum cognomen Domiti tractarem; nunc hoc addam in Cn. Domiti Ahenobarbi nummis virum adparere nudum qui leonem perfodiat (conf. Mommseni hist. mon. Rom. p. 523). De Domitiis autem, quicumque aut Romae aut in provinciis excelluerunt, et quorum res gestae vel honores libris titulisque memoriae traditi sunt, quaerere meum non est; neque operae pretium puto tenuiorum titulos percensere, cum his nil fere novi addiscamus. ne multus sim, dico paene innumerabilia exempla *Romae* inveniri, permulta in *Italia* et in *Africa,* pauciora in *Gallia Narbonensi* et in *Illyrico,* haud ita multa in *Hispania,* rara ad *Rhenum,* paene nulla in *Britannia.* atque in *Italia* Ostia, Puteoli, Misenum, Verona Domitiorum frequentia praecellunt, in *Gallia Narbonensi* Nemausus plurima dedit exempla, in *Africa* Lambaesis et castra Lambaesitana, in *Illyrico* Salonae, in *Hispania* Tarraco. saeculi tertii altera parte hoc nomen frequens esse desiit, neque in christianorum titulis legitur nisi raro. D o m e t i u s (confer Eckingeri dissert. Turicensem de verb. lat. in tit. graecis orthographia scriptam p. 33) nonnunquam scriptum est in titulis *Gallicis* (V 3804. 6042. XII † 5340), semel *Antii* (X 8302), D o m i t t i u s (conf. Ecking. p. 98) in *Aegypto* (III 6026) et in *Pannonia* sup. (III 3908).

Domitius equos vocatus est Romae (VI 10056).

Domitianus

de nomine Domitiani ei, qui titulos tractat, fere nihil dicendum relictum est; omnia enim libris optime explanata sunt. invenitur autem saeculis primo, secundo, tertio maxime in *Italia,* rarissime in *Gallia Narbonensi,* ad *Rhenum,* in *Britannia,* in *Hispania,* saepius in *Illyrico* et in *Africa.* haud raro secunda syllaba scripta est vocali E: in *Moesia sup.* III 8147. 8246, in *Africa* VIII 7426, ad *Rhenum* CIRh. 769.

Domitianianus

Romae VI 8532 Alexander Marcellianus et Encolphius Domitianianus cubiculari.

Domitinus

in *Gallia Narbon.* XII 2338 Dometina C. Iuli Albani filia.
XII 2459 D. Titius Domitinus, D. Titii Domitii pater.
in *Pannonia sup.* III 4144 Domitinus Claudi Potentis frater. (sic parentes solebant similia liberis dare cognomina.)
in *Pannon. inf.* III 3366 Domitinus Raudomaei fil.
III 3376 Aelia Domitina uxor P. Aeli Firmiani vet. leg. II ad.

Domitilla

Flaviam Domitillam Statili Capellae equitis R. Sabratensis ex Africa delicatam olim Latinaeque condicionis, sed mox ingenuam et civem Rom. reciperatorio iudicio pronuntiatam, patre asserente Flavio Liberali Ferentini genito, scriba quaestorio, Vespasianus uxorem duxit; ex hac liberos tulit Titum et Domitianum et Domitillam (Suet. Vesp. 3). filia Domitillae Vespasiani filiae fuit Flavia Domitilla (vide de ea prosopogr. imp. rom. II p. 81). Domitillae inveniuntur in titulis *urbanis Africanisque.*

Domitiola

Viennae XII 1920 Divica Domitiola uxor Lucili Metrobi signo Saprici statoris civitatis Viennes.
vide cognomen *Domiti.*

Donatius

nomen gentile maxime *Africum*; sed etiam aliis locis in usu fuit. Donati Valentis enim fidem Galbae praestitam eiusdemque supplicium Tacitus narrat in hist. I 56. 59 et Donatiae Florentinae *Ostiae* positus est titulus XIV 921. Africani tituli hi sunt:

in castris *Lambaesitanis* VIII 2569, 70 Sex. Donatiu[s]. . . miles, saec. II ineunte.
Lambaesi VIII 3097 incertum est utrum legendum sit Domitius an Donatius, nam et hoc et illud traditur.
VIII 18343 Satrius Donatus, Antonius Donatus, Aelius Donatius.
Tipasae VIII 4856 L. Donatus (sic) L. f. Scap. /// Longinus (sic Renier, qui vidit, edidit).

Donatianus

ut Donati, ita etiam Donatiani multi fuerunt in *Africa;* rarius autem occurrunt in titulis *urbanis*, qui saeculorum tertii, quarti,

quinti sunt, cum in Africa satis multa exempla inveniantur saeculo primo alterove scripta. tamen etiam in hac terra posterioribus saeculis hoc nomen magis videtur viguisse. iam saeculo tertio etiam nobiliores eo utebantur, nec spretum est a christianis. extra urbem Romam autem provinciasque Africanas paene nullum vestigium eius reperies.

Romae VI 1056 vigil, a. 205.
VI 1058 vigil, a. 210.
VI 1121 Basilius Donatianus v. p. rationalis, imperante Diocletiano.
XV 1686 officinator, non ante Diocletianum.
VI 1686 P. Gavius Renatus Maior Donatianus v. e. flamen Augusti perpetuus (Zamensis), a. 322.
VI 9920 Donatianus, in laterculo corporis tabernariorum, imperantibus Arcadio Honorio Theodosio.
Ferentini X 5874 Donatianus.
Salonis III 2236 Aurelius Donatianus Aureliae Privatae filius.
inter *Iuvavum et Ovilava* III 5617 Donat[i]anus libertus . . . Donata ancilla.
in *Britannia* VII 759 Marcus Caecilius Donatianus militans tribunus in praefecto dono principis (litterae sunt saeculi tertii).
Thamugadi VIII 2400 Q. Hammonius Donatianus quaestor, praef. iure dicundo.
VIII 17903 Donatianus decurio, saec. quarto medio.
VIII 2403 Fl. Donatianus fl. perp. ('ante a. 367, extremis fortasse Constantii annis, vel imperante Iuliano').
in *oasi Nigrensium Maiorum* VIII 2480/1 [C]occeius Donatianus eq. R. cur. reip., a. 267.
in *castris Lambaesitanis* VIII 2659,63 L. Iul. Donati . . . miles, saec. II ineunte.
Cirtae VIII 7017 Flor. Barb[ar]us Donatianus v. c.

quae extra urbem Romam et Africam inveni exempla exhibui omnia.

Donatulus

nomen in *Africa* satis frequens, cuius alibi nullum inveni exemplum. tituli, quos saeculi tertii potius quam secundi esse puto (excepto *Lamasbensi* VIII 18587, qui imperante Elagabalo scriptus est), certioribus aetatis indiciis carent; quare numeros hic ponere supersedeo. habemus autem humillimi loci mulieres, perraro viros.

Donatilla

Mutinae XI 853 [Novia D]onatilla libertina.
Capsae VIII 139 Fl. Donatilla Qu[i]ntiani.

Sufetulae VIII 11386 Clepia Donatilla.
Tichillae (?) VIII † 1392 (= 14902) Donatilla.
Carthagine VIII † 13629 [Do?]natil[la].
in *prov. Numidia* VIII 17596 Donatila (sic).

Donativa

Africa Donatorum patria Donativas quoque habuit; [A]emiliam Donativam laudat titulus *Thevestinus* VIII 16572.

Donatalis

in *Britannia* VII 928 'Probo Donatalis pater'.
vide cognomen *Donati*.

Dubitatius

Romae VI 2576 Dubitatius Atticus mil. cho. V pr.
Veronae V 3299 M. Dubitatius Pervincus VIvir Aug.
non dubito his addere titulum *Rhenanum* CIRh. 1314, quem Iunoni Reginae posuit Dubitatus (sic scriptum esse in lapide testatur Brambach) Primitius. — vide cognomen *Dubitati*.

Dulcitius

aetate posteriore a dulci cognomen ortum est Dulcitii, quod vel eam ob causam florente Romanorum lingua fictum esse non potest, quia tum cognomina in -us terminabantur, non in -ius. in christianis titulis saepius hoc nomen legitur, quam in ethnicis, neque solis tenuioribus imponebatur. exempla, quae inveni, exhibebo omnia; sed per imprudentiam factum est, ut urbana et etrusca, si quae extant, non enotarem; sed haec mox indices monstrabunt.
Lavinii XIV 2078 Caesius Dulcitius v. e.
Praeneste XIV 3338 Dulcitia.
XIV † 3424 Dulcitia
Nolae X † 1355 Dulcitia L. f., a. 543.
Puteolis X † 3304 Dulcitia.
in *Sicilia* X 7200 Fl. Dulcitius v. c. consularis provinciae Siciliae, imperantibus Constantio et Constante.
in tintinnabulo X 8072, 14 Dulcitius.
in *agro Compsino* IX † 1080 Cl(audiu)s Dulc[i]tius.
Viennae XII † 2087 Dulcisius diaconus, a. 559 (in eodem titulo scriptum est hocsies.
XII † 2090 Dulcitia, a. 551? 566?
inter *Viennam et Gratianopolim* XII † 2190 Dulcitius.
Luguduni Allmer et Dissard I p. 209 'have Dulciti' (mulieris agnomen).
[ΔΟ]ΥΛΚΙΤΙΟϹ signum videtur fuisse in titulo *Lugudunensi* Q. Latinio Pyramo posito: IGSI. 2531.
Dulciniae gentilicium habes in Hispania II 1276, *Dulcas* duas inveni in Africa VIII 9052. 9061, *Dulcissimum* Ostiae XIV 734.

Dolutius

ne hoc quidem nomen praetereundum esse censui, quia sine dubio cum participiis cognatum est. quae autem sit eius origo equidem non perspicio, quare doctioribus hanc quaestionem relinquo integram.

C. Valerium C. f. Men. Dolutium Marcianum VI virum Aug., dec., omnibus honoribus functum habent tituli *Praenestini* XIV 2888 et 2919, quorum hic anni 227 est. M. Dolutius Iustus adparet in lapide *Surrentino* X 728. M. Dolutius M. f. Pub. Iustus Ferent(ino) occurrit in laterculo praetorianorum a. 174 (VI 2382a).

Emeritius

ab Emeriti cognomine saeculis p. C. secundo tertioque frequentissimo raro videtur gentilicium declinatum esse. L. Emeritium Felicem nominatum fuisse puto veteranum tituli *Verecundensis* VIII 4239. Emeritius Ursinus et Emeritius Sextus miles leg. XXII pr. p. f. Severianae, bf. cos. sunt in *Germaniae sup.* titulis CIRh. 997 et 1574, quorum hic a. p. C. 223 scriptus est.

Emeritianus

Romae VI 2453 Ulpius Emeritianus filius Ulpi Emeriti speculatoris coh. I pr.
Salonis III 2214 Aurel. Emeritianus.
vide cognomen *Emeriti*.

Eventius

cognomen Eventii, declinatum a cognomine Eventi secundum posterioris aetatis consuetudinem, novimus ex christianorum libris. sed tituli quoque, eique fere omnes christiani, pauca servaverunt exempla. sunt autem haec:
Anconae IX † 5900 Fl. Ev[e]ntius veteranus.
Ravennae XI 15 C. Marius Eventius c. v.
Viennae XII 2110 Eventius [vocativo Eventi].
Thabracae VIII † 17388 Ebentia innoces in pace.

Eventianus

Mediolanii V † 6218 Eventianus.
vide cognomen *Eventi*.

Excelsinus

hoc nomen semel mihi occurrit in titulo *urbano* VI 17469 Excelsino homini libertino posito.

(Excellens vocatus est magister collegii cuiusdam, quem habes in titulo VI 541, a. p. C. 88).

Escitatianus

aedificium Escitatianum nominatur in titulo *urbano* VI 10238 aetate Flaviana scripto. cf. nomen *Excitati*.

Exoratia

Comi V 5341 Exoratia Tertia.
vide cognomen *Exorati*.

Extricatulus

in provincia *Numidia* atque imprimis in regione *Cirtensi* maxime floruisse nomen Extricati deminutionis quoque forma luculentissime demonstratur. nam Extricatulos et Extricatulas nisi in oppidis *Sigus, Mastar, Cirta* inveni nullos. Estricatulam exhibet titulus *Siguitanus* VIII 5723. C. Sittius Extricatulus est in inscriptione *Mastarensi* VIII 6600. Pontiam Ex*tt*ricatulam habet lapis *Cirtensis* VIII 7660.
vide cognomen *Extricati*.

Exsuperatianus

Apuli III 1154 (cf. 7775) Comatius Exsuperatianus filius M. Aur. Comati Superi, frater Comatiorum Superiani, Superes, Superstitis. — vide cognomen *Exuperati*.

Fabatius

in *Mauretania Caes.* VIII 8993 Fabatia Luci filia Polla Fabia Domitia Gelliola consularis femina lampadifera et M. Fabatius Domitius Pancratius libertus eius.

adde exemplum *Rhenanum* catino inscriptum (Correspond. d. Westd. Zeitschr. XIV p. 85: Fabatii). — vide cognomen *Fabati*.

Fato

Fatonis nomen aut a fando dictum est, aut, id quod veri videtur similius esse, originem habet celticam. signum est in titulo *Aquileiensi* V 1102: C. Iulius Epictetus qui et Fato. adde figuli nomen in III 6010, 84. in titulo *Africano* VIII 10660 nunc (conf. VIII 17594) pro Fatia recte legitur Fabia.

Finitius

nomen gentile est rarissimum. *Viruni* inventus est titulus III 4811, in quo nominatur Finit(ia) Verbic... uxor M. Bell. Saturnini trib. chor. I Fl. Brit. Finitius Fidelis mil. n. Caddarensium est in titulo *Rhenano* CIRh. 1317, a. 225.

Finitianus

cognomen satis rarum, cuius bina exempla inveni *Viruni* et *Savariae*.

Viruni III 4811 Bel(licius) Finitian., filius M. Bell. Saturnini trib. chor. I Fl. Brit.
III 4963 Iul. Finitianus, cuius uxor est Restuta Restuti.
Savariae III 4184 Tar(tonius) Finitianus Daiberi vet.
III 10931 [Fi]nitianus. — vide cognomen *Finiti*.

Fortunatius

cognomen rarum.

Theveste VIII 16596 Fortunatius Mellitin[us].

NIS

Carthagine VIII 14100 FORTVNATIA (in sepulcro Iudaeorum).

Mactari VIII 11840 Fortunatia.

Fortunatianus

hoc cognomen haud raro occurrit in titulis *Italicis* et *Africanis;* singula exempla inveni in *Pannonia* et in *Hispania.* ortum est saeculo p. C. primo (vide F[o]rtunati(anum) servom XV 2472) et ne quinto quidem saeculo exoleverat. inde a saeculo tertio vel nobilissimis placuit (vide Fortunatianum, qui imperante Decio proconsul Africae fuit).

Romae VI 1025 Fortunatianus scriba, imperante Septimio Severo.

Ostiae XIV 251,3,17 M. Macrin. Fortunatian.

Canusii IX 338 L. Marcius Fortunatianus duoviralicius, a. 223.

Hadrumeti VIII 61 T. Fl. Umbrius Antistius Saturninus Fortunatianus c. v.

Mididi VIII 610 C. Mevius Silius Crescens Fortunatianus c. p. (litterae sunt saec. III incipientis).

Thamugadi VIII 17903 duo Fortunatiani decuriones, saec. IIII med.

Thagaste VIII † 5176 ex oficina Fortunatiani.

in *vicinia Thevestes* VIII 2107 Fortunatiana (praeter hanc mulierem Fortunatianam inveni nullam).

vide cognomen *Fortunati.*

Fotidius

hoc nomen a fovendo potest fictum esse, sed vereor ne latinum non sit.

Narbone XII 4824 T. Fotidius Secundus.

XII 5004 Fotidius Ni[ce]phorus.

in gemma X 8061,13 Fotidia.

Fructianus

Atinae X 366 (cf. 350$^{add.}$) M. Tattius M. f. Pom. Fructianus.

ad Fructianum quendam scripsit Symmachus epistulam VIII 3.

Fructinus

Barcinone II 4561 M. Flaminius Fructinus.

Fructilla

Romae VI 22468 ERVCTILLA (sic).

VI 26986 Fructilla.

Beneventi IX 1928 Fructilla (*Fructilia* traditur).

Gadibus II 1893 Valeria Fructilla (*Fructilia* traditur).

Fructula

Salonis III 2052 Iul. Fructula, hospita T. Statili Maximi militis coh. VIII vol., adi(utoris) corn(icularii) c(on)s(ularis).
III 2488 Fructula Primae filia.

Fructilius

Romae VI 8955 [C.] Fructilius C. f.

Fructio

hoc nomen occurrit *Pompeiis* in tabula cerata IV 3340 XXVI: N. Blaesius Fructio, a. p. C. 56.

Fruct(u)sos

scribitur et *Fructuosus* et *Fructosus*, sed illud paulo saepius; tamen et hoc et illud ex nomine Fructi ortum esse putaverim. similiter enim Datosus dictum est in Africa (et floruit hoc nomen maxime in hac terra), et participium cφιγκτὸc Cyrilli glossarium interpretatur verbo strictosus (Goetz II 449); altera V autem eandem originem habere potest quam habet in verbis unduosus monstruosus, quamquam certe etiam adiectivi fructuosus analogia alicuius momenti esse potuit.

exempla habemus *Italica, Baetica, Africana*, unum *Rhenanum*, quae saeculorum II, III, nec non I videntur esse. omnes Fruct(u)osi humillimo loco nati sunt.

Romae VI 18597 Fructossa.
Ostiae XIV 246,5,28 P. Mucius Fructuosus } a. 140.
6,38 P. Mucius Fructosus }
XIV 251,6,21 M. Cipius Fructosus, a. 192.
Lambaesi VIII 2586,15 Q. Iulius Fructuosus Karthagine bf. cos., sub imperio Heliogabali vel Alexandri Severi.

C ante T extrita est in titulis *Ammaedarensibus* VIII 387. 11607, quorum hic Manilium *Frutosum*, ille Iuniam M. f. *Frutosam* nominat.

christianis quoque hoc nomen placuit (vide Augustinum).

vide cognomen *Fructi*.

Fruticius

hoc nomen propter nomen Frutonii ad ipsum fruticem non refero, sed eodem genere prognatum puto atque participium defrutum; comparandum est nomen *Fervenii* in IV 2993[dy]. nomen Veneris Fruti, cuius templum Frutinal adpellatum est (vide Festum Pauli) ad eandem cognationem trahere non ausim. est autem satis antiquom. nota mihi sunt exempla haec:

Aquileiae V 796 (conf. 794) Fruticia Thymele M. Statini Dori.
V 989 Fruticius M. f.
IIIIII vir i. d. quinq.
V 1218 M. Fruticius Q. f.
V 1219 Q. Frutic[i]i
Primi L[.]

Veronae V 3339 M. Fruticius Q. f.
L. Q. f.
L. L. f.
M. Fruticius M. f.
pr. aed. tr. pl.
M. M. f.

Frutonius

Hispali II 1199 Frutonius Frutonii Brocci f. negotiantis ferrari incol(ae) Rom(ulensis).
vide nomen *Fruticii.* an latinum non est?

Fulsinia

Fulsinia a fulgendo dicta est, ut *Fulgentia.* cognata sunt nomen *Fulginii* (confer *Fulginiam* oppidum et cognominem ei deam) et quod cum fulmine cohaeret nomen *Fulmonii* (cf. flaminem et flamonium).

Lambaesi VIII 2802 Fulsinia Iusta, uxor Alfi Ianuari centurionis leg. III Aug.
VIII 3660 Fulsinia Saturnina.

Fultia

hoc nomen ortum videtur esse a fulciendo, confer nomen *Fulcinii.*
Tibure XIV 3652 Fultia M. l. Psyche.

Fu(u)tius

vetus nomen gentile ortum a fu-, confer cognomen *Futi.* viguit *Romae, Ostiae, Casini, Pompeiis, Crotone* optima aetate.

Romae VI 18828 M. Futius M. f. Vel. Secundus.
VI 18829 Q. Futius Iucundus.
VI 18830 Futia Eutychia, colliberta et coniunx C. Futi Onesimi.
VI 18831 Futia Maximilla.
VI 18832 Futia Vitella (sic).

Ostiae XIV 581 Futia L. l. Helena.

Pompeiis X 827 Q. Futio P. Calvisio co(n)s(ulibus). consules anni incerti.

Casini X 5193. 5194 C. Fútius C. f. praef. [C]asinat[ium].
X 5238 Q. Futius Q. l. Ithris.
X 5239 C. Fuutius C. l. Philocomus. (Futiae Megistenis nomen, quod idem titulus exhibet, una V scriptum est.)
X 5240 C. Futius C. f. Successus.

Crotone X 107. 108 Futia C. f. Lolliana, filia C. Futi Oniri iterum IIviri.
X 110 Futia C. f. Longina mater L. Lolli L. f. L. n. L. pron. Cor. Lolli Marciani equo publico ornati, patroni coloniae.

Futili..

hoc nomen fortasse et ipsum, ut Futus Futius, referendum est ad fu-.

Beneventi IX 1623 T · RVF
LEG · V
FVTILI
IA

Genetivos

hoc nomen, quod maxime in *celticis* regionibus invenitur et videtur impositum esse ingenuis humili loco natis, aut hominem indigenam significat (vide Levit. 16, 29; cf. Roensch, Semas. Beitr. II p. 16), aut ad numen aliquod Genetivom spectat (cf. Apollinem Genetivom ap. Macrob. sat. III 6, 5).

Romae VI 3206 T. Aur. T. f. Genetivos dec. eq. sing. Aug. nat. Noricus.
Veronae V 3381 L. Annius Genetivos decur. Veron.
Aquinci III 3494 ϑ(sic) Cornelius Genetivos decurio ex sing., a. 189.
Savariae III 4150 Caesius Genetius (sic), a. 188.
inter *Ucetiam et Nemausum* XII 2963 Gen[e]tiv[os].
Gadibus II 1817 Genetiva. — vide cognomen *Geneti*.

Helvenatius

helvenus videtur periisse, sed duraverunt helvella et helvenacus ab helveno orta (cf. Stolzii gramm. hist. p. 520). participiorum analogiam sequitur helvenatus, unde ductum hoc nomen est. similis est nominis Alfenatii origo. confer Helvios.

in *Umbria*, Wilm. ex. 135 Helvenat(ius), a. 219.

Hertilia

Hertilia videtur nomen traxisse a participio perfecti eiusdem verbi, cuius participium praesentis inest in nomine Herentateis. quod verbum cum aliae linguae italicae servaverunt (umbr. *herter* al., cf. Buech. lex. it. p. 10), tum ipse sermo latinus (*horior*, *hortor*). atque ex herta deminutione factum est hertula, unde Hertilia ortum est, sicut ab aemulo Aemilius. ab hoc nomine tantulum differt *Hersilia*, quae a Romanis per S consonam efferebatur notissima in participiis permutatione.

ex simplici verbi radice crevisse adparet Herem Marteam, Heriem Iunonis, praeterea Herium, Hereium, Herennium nomina humana; cum Hersilia cognata sunt *Hersennus* (Marob. sat. III 12, 7), *Herrius* (X), *Herrenus* (Macrob. sat. III 6, 11) (confer Marsos-Marrucinos al.). ab antiquo participio ficta videntur *Herminius* et *Hermonius* (IX).

Hertilia Redducta C. Antoni Celtiberi coniux eademque fortasse Helvi Felicis mater est in titulis *Lambaesitanis* VIII 3690. 3691. addo conchae cretaceae *Telesinae* IX 6082,40 inscriptionem

P·HERT, in qua tam Hertium quam Hertilium vel simile nomen intellegere licet, et nomen gentilicium *Heretii* (Kellerm. Vig. III 2. 2) eodem sine dubio prognatum genere; nec praetermittendum nomen Hertorii (II).

confer *Horatios.*

Honoratius

nomen gentile satis rarum, cuius exempla saeculorum secundi et tertii sunt.

Romae XV 1189 ex pr(aedis) Honorati Maximi (scriptum in lateribus aetatis fere Pii).

ad *Rhenum* CIRh. 1025 Honoratius Clemens miles leg. XXII p. p. f., a. 204.

Honoratianus

cognomen et humillimorum et honestissimorum hominum, saeculis secundo, tertio, quarto satis frequens *Romae,* in agro *Tusculano,* in *Sardinia*, in *Illyrico*, multo autem frequentissimum in *Africa.*

Romae VI 1057 C. Iulius Honoratianus vigil., a. 205.

VI 2114, 7. 10 Iasdius Aemilianus Honoratianus frater Arvalis, a. 241.

VI 1686 P. Iulius Catinius Honoratianus v. e. flam. Aug. perp., aedilis col. Zamae a. 322.

VI 1722 Flavius Honoratianus v. c. (praescriptum titulo: Honoratianii.)

in *Sardinia* X 7859 Honoratia[n(us)] filius L. [F]l[avi] Honorati proc. et praef. prov.

Lambaesi VIII 2741 . . . Saturninus Honoratianus trib. laticl. leg. . . . (sub finem saec. II, ut videtur).

Carthagine VIII 12522 C. Valerius Gallianus Honoratianus v. c. cur. rei publ. Karthag., a. 283.

Membressae VIII 1296 Calicius Honoratianus, a.379—383.

Ammaedarae VIII 11536 Iulia Flavia Herennia Caecilia Honoratiana Optata clarissima puella, filia Fl. Pollionis Flaviani c. v.

propter nominis formam notabiles sunt tituli *urbanus* VI 20800 qui habet Iunium *Onoratianum*, et *Noricus* III 5304 in quo et *Honoratianus* legitur et *Honratianus* (fortasse ex nomine quod est *Honeratus* ortum).

Honoratinus

Romae VI 24318 M. Plotius M. f. Cor. Honoratinus Sabinus.

vide cognomen *Honorati.*

Horatius

clarissimi sunt Horatii fratres. M. Horatius Pulvillus consul suff. fuit a. u. 245. in titulis hoc nomen haud ita frequens est; omnino non invenitur in *Gallia Narbonensi*, in *Britannia*, ad *Rhenum.* quae

habeo exempla priorum p. C. saeculorum sunt; saeculi quarti est titulus *Thamugadensis* VIII 2403, 2, 19 in quo nominatur Horatius Maximus pontifex. in diplomate militari III D XXV a. 110 est Thaemus Horati f. Ituraeus.

praetermittere hoc nomen in hoc indice nolui, quamvis difficilis sit interpretatio eius. ortum videtur esse a participio verbi coniugationis in A cum horiendo et hortando cognati. Horam deam huc pertinere pro certo non adfirmaverim, quoniam priorem huius nominis syllabam Ennius produxit.

Impetratianus

in *prov. Numidia* VIII 17839 Impetratianus.
vide cognomen *Impetrati.*

Inventiana

Romae VI 14005 Caesia Dafhnidiana (sic) Inventiana.

Inventinus

Inventinus episcopus Africanus saeculi quinti (Not. provinc. et civit. Afr.). — vide cognomen *Inventi.*

Iubatianus

Romae VI 9046 Chius Aug(usti) Iubatianus struct(or).
vide cognomen *Iubati.*

Lacutulanus

hoc nomen quamquam natum sit necesse est ex oppidi nomine (cf. Huebneri quaest. onomat. in Ephem. epigr. a. 1874 p. 87), tamen quia huius oppidi memoria alibi nusquam videtur servata esse praetermittere nolui. cui oppido nomen fuit Lacutula, dictum a lacu (vide *lacuatus* participium, quo utitur Ennius in Andromacha v. 84 Ribb.[3]), ut Sublaqueum a lacubus (Plin. n. h. III 109).

Pompeiis X 824 Anteros Lacutulani (servos) a. p. C. 3.
Aquini X 5484 Lacutulana Gemella et M. Lacutulanus M. f. Lacon, parentes M. Lacutulani M. f. Marcelli.
Amiterni IX 4179 [Pil]ema Lacutu[lana]. 4239 C. Appuleius P. f. Qui. pater, Paulla Lacutulana Q. f. mater.
in *agro Amiternino* IX 4467 Lacutulana C. l. Aprodisia.
Naronae III 1827 duo Lacutulani, duae Lacutulanae, in lapide a dextra fracto.

Lausius

Romae VI 21173 M. Lausius Severus.

Lauselius

inter *Pisas* et *Florentiam* XI 1734 M. Lauselius Maxsimus et M. Lauselius Tacitus et Lauselia Tacita et M. Lauselius Sabinus.
vide cognomen *Lausi.*

Lautius

Romae VI 21174 L. Lautius Agatho.
VI 21175 L. Lautius Celado Lautiae Tyches maritus.

Lautina

in *Mauretan. Sitif.* VIII 8520 Fabia Lautina uxor Aemili Coddei.
VIII 8543 Caelia Lauti(na).

Lautinius

nomen satis antiquom, ut adparet ex titulo Venafrano.
Venafri X 4956 C. Lautinius Ti. f. Ter.
Caeliae IX 277 Laut[i]nia (mulieris) l. [Pa]nthera.
vide cognomen *Lauti.*

Lectinius

Salonis III 2335 M. Lectinius Cornelianus.
vide cognomen *Lecti.*

Legativos

titulus *Brixianus* V 4558, si recte traditur, L. Calventio Legativo positus est.

Libertius

Vibone X 49 L. Libertius C. f. pont(ifex) max(imus), IIIIv(ir) i(ure) d(icundo) q(uinquennalis) c(ensoria) p(otestate).
Luguduni Allmer et Diss. II p. 475 G. Libertius Decimanus civis Viennens., naut. Araricus.

Libertio

Carthagine VIII 13079 Libertio Caes(aris) n(ostri) vern(a). (saec II fere med.)
in *Mauretania Sitifensi* VIII 8897 Q. Sempronius Libertio.
vide cognomen *Liberti.*

Libratius

Libratus est qui librat i. perpendit, ut simillimum sit Librato nomen Pensati. eandem nominis Liberantii significationem esse putaverim, cf. verbum deliberandi. cognomen Librati nusquam inveni.

Aptae XII 1136 Libratia Marciane uxor T. Pompei Mar[c]elli.

Licutia

hoc nomen eodem videtur prognatum esse genere atque nomina *Licinus*, *Licinius*, *Liconius*, *Licovius* cognata cum licino, obliquo, limo aliis; in obliquo et ipso verbum nativom vocali V auctum est. cf. Camurtios.

Licutiam Saturninam uxorem L. Pullaeni Rogati habes in titulo *Calamensi* VIII 5456.

Lotia

Regii Lepidi XI 998 LOTIA · · S · · · C
vide cognomen *Loti.*

Lucetius

Lucetius, unus ex Rutulis, cuius caedem narrat Vergil. Aen. IX 570, nomen accepit a deo Lucetio, qui dictus est a lucendo. ad versum Vergilianum Servius haec adnotat: solum hoc nomen est, quod dictum a Vergilio in nullo alio reperitur auctore. sane lingua Osca Lucetius est Iuppiter, dictus a luce, quam praestare hominibus dicitur. ipse est nostra lingua Diespiter, id est diei pater: Horatius 'namque Diespiter plerumque per purum'.

Lucretius

nomina Lucretiorum montisque *Lucretilis* a luc- orta sunt: forma simile est nomen *Lucerum* (cf. Useneri Goettern. p. 198). cognata sunt *Lucra, Lucrius, Lucrianus, Lucris, Lucrio, Lucrina, Lucrinius*, nisi tamen pars ad lucrum, deos Lucrios, lacum Lucrinum rectius referetur.

Sp. Lucretius Tricipitinus, pater Lucretiae illius propter pudicitiam clarissimae, consul suff. fuit a. u. c. 245. post hunc multi summis functi sunt honoribus, quos hic enumerare meum non est. imperatorum autem aetate tituli paene soli nominis memoriam servaverunt. atque frequentissimum fuit saeculis Christi primo, secundo, tertio; posterioris aetatis exempla rarissima sunt. magnam Lucretiorum multitudinem dederunt *Italia, Gallia Narbonensis, Illyricum, Africa.*

Q. Lucretius Vespillo cos. a. u. c. 735. [S]ulpicius Lucretius Barba cos. suff. aetate Traiana.

Pompeiis X 924 Manlianus Lucreti, a. u. c. 747.

Capuae X 3779 C. Lucretius C. l. Apul(us) magister Cererus, a. u. c. 648.

Beneventi IX † 2082 b Lucretia Prima.

Lucretius cognominatus est Augustorum tabularius provinciae Sardiniae X 7584. inscriptionem parietariam Pompeianam IV 97*, in qua legitur *Lucritius* Adamatus, Carolus Zangemeister, quia soli Garruccio debetur, inter falsas vel suspectas reiecit. nullum novi Lucretium, qui posterior sit eo, cui Caelius Aurelianus medicinalium responsionum libros dedicavit (acut. I praef. 2).

Lucretianus

hoc cognomen iam anno p. C. 1 invenimus; postea pauci eo usi sunt videturque exolevisse saeculo tertio.

Abellini X 1138 Paccia Lucretiana, cognata P. Pacci Ianuari.

Pompeiis X 891 (cf. 884) L. Obellius Lucretianus IIvir, a. p. C. 1.

Tibure XIV 3663 M. Lurius M. f. Palat. Lucretianus patronus municipi, a. 184.

in *agro Vicetino* V 3118 Vaternius Calpurnius Lucretianus procurator Aug.

in *ora Genuati* V 7743 Cn. Lucretius Lucretianus.

Sagunti II 6056 Q. Lucretius Lucretianus.

in *Africa* VIII 10847 Lucretianus.

Lupatius

Emeritae II 525 Aelius Iustus Lupatius.
vide cognomen *Lupati.*

Lutatius

nomen antiquom et in rerum gestarum memoria nobilissimum. satis puto adferre hos duos C. Lutatium Catulum consulem a. u. c. 512, qui primo bello Punico Poenos ad Aegates insulas devicit, et Q. Lutatium Catulum consulem a. u. c. 652, qui ad Vercellas cum Mario Cimbrorum exercitum delevit. ut ex titulis discimus, Lutatii haud pauci nominati sunt saeculis p. C. primo secundoque et tertii priore parte; postea hoc nomen videtur magis magisque extinctum esse. exempla repperi plurima *Romae*, pauciora in *Latio*, in *Campania*, in *Apulia*, in *Gallia Cisalpina*, in *Gaulo insula*, in *Sardinia*, in *Gallia Narbonensi*, ad *Rhenum*, in *Hispania*, in *Africa*. ex quibus, ut chartae parcam, haec sola hic pono:

Romae VI 5639 L. Lutatius Paccius thurarius de familia rege Mitredatis (sic) (cogitandum existimat Mommsenus de eo Mithradate, quem devicit Pompeius).

Volturni X 3722 L. Cestius Gallus Cerrinius Iustus Lu[t]atius Natalis IIIIvir viar. curand., trib. laticlavius leg. VIIII Aug., quaestor urbanus, ab actis senatus, aedil. curul., praetor, leg. Augg. leg. XX V. v., procos. provinciae Narbonensis, praef. aerar. Saturn., cos II, patronus coloniae. (cf. n. 7506.)

in *Gaulo insula* X 7501$^{add.}$ Lutatia C. f. sacerdos Augustae imp(eratoris uxoris) perp(etua). (imperator est Tiberius.)

nomen Lutatii a luto videtur dictum esse; quocum vocabulo cognatum est id, a quo Galli declinaverunt nomen Lutetiae (vide Zeussii gramm. celt.[2] pag. 70 sq.) hominumque nomina quae sunt Luta Luto Lutonius Lutullus Lutarius Lutevus Lutevius Lutaeus Luteus Lutavius Lutumarus Loutius L[o]utamo (cf. Zeussii gramm. celt.). quae autem nominum Luttii (VI, X, XIV, XII) Luttonii (CIRh.) similiumque origo sit nescio. — *Luctatius*, si extat, latinum non est.

Lutatianus

Thuggae VIII 1501. 1502. 1504 Q. Gabinius Rufus Felix L[ut]atianus.
Valeriae II 3215 Luta[tian]us.

Luxius

a luxis membris aliquot nomina dicta sunt, quorum simplicissimum est Luxius. quod cum in sola *Africa* inveniatur, cetera nomina eodem genere prognata in Lucania Campania Venetia occurrunt (sed CIL. indicibus tantum uti potui). ex celtica autem stirpe orta sunt

nomina Luxinius (Liv. 33, 21) Luxovius Luxovium (vide Zeussii gramm. celtic.[2] p. 126 et 784).

Luxia Catla est in titulo *Africano* VIII 5039.

Luxilius

nomen gentile bonae aetatis, cuius exempla inveni in *Lucania* quinque, in *Campania* et in *Umbria* singula; sed ea CIL. volumina quae indicibus carent, adhibere non potui.

Potentiae X 161 Luxilia M. Ↄ. l. Dec....

Tegiani X 293 C. Luxsilius A....

X 304[add.] C. Luxilius Rufus Luxiliae C. l. Lupulae maritus.

X 8096..L]uxilius Pedo.

Atinae (in Lucania) X 357 Luxsilia Statiae [l. Ch]rusis, Luxsiliae Olympiadis mater.

Neapoli X 1511 G. Luxilius.....mus.

Pisauri Orelli n. 3143 C. Luxilius C. f. Pompt. Sabinus Egnatius Proculus c. v., cur. rer. publicar. Pisaur. et Fanest., leg. leg. X gem. Gordian. e. q. s.

Luxonia

Ateste V 2589 G. Cartilius Q. f., Luxonia T. f. Tertia.

Macatianus

fundus Macatianus Ennianus est in tabula alimentaria Veleiati 5, 25.

vide cognomen *Macati*.

Maglatius

Maglatius videtur cognatum esse cum Magio et Magulnio.

Corfinii IX 3267 C. Suetedius C. f. Ser. Maglatius, Diochares l. posieit.

Mammatia

Mammatiae ancillae Dasumia Thais titulum posuit *urbanum* VI 21909. vide quae dixi in cognomine *Mammati*.

Mansuetius

Mansuetios nonnullos, saeculorum ut videtur primi secundi tertii homines, inveni in *Gallia*, in *Hispania*, in *Britannia*.

Comi V 5294 M. Mansuetius M. f. Ouf. Crescens harisp., VIvir, IIIvir a. p., IIIIvir i. d. Como.

Luguduni, Allmer et Dissard III p. 120 C. Mansuetius Brasus civis Tever.

Cordubae II 2294 Masuetius P. Minici Facundi ser. (hic titulus Huebnero videtur Caesaris Augustive aetatis esse. servi nomen gentilicii formam prae se ferre memorabile est.)

in *Britannia* VII 693 Mansuetius Senicionis.

Mansuetianus

Romae VI 2432 Mansuetianus (centurio) coh. pr. I pr. p. v. Sev.
2501 C. Marius Mansuetianus mil. cho. III pret.
in *Pannonia sup.* III 11081 Au. Masuetianus M. Aur. Valeriani vexillarii alae primae contariorum Antoninianae et Elv. Bone filius.

Mansuetinus

Romae VI 22013 Mansuetina filia Mansueti et Marciae Parthenidis.
VI 3211 T. Aurelius Mansuetinus eq. sing. Aug. nat. Noricus.

Mansuetinius

Genavae XII 2628 [Ma]nsuetinia Iu[sti]na liberta et coniux C. Ma[ns]uetini Pa[te]rni.
vide cognomen *Mansueti.*

Mantutius

in titulo *Madaurensi* VIII 4710 legitur L. Fabius Alexander Qirina (sic) Mantutius. cuius viri quartum nomen vocatum esse puto ab eo nomine, quod Dis pater apud Etruscos habuit, unde etiam *Mantua* dicta est (vide Serv. in Aen. X 198 et schol. Veron. ed. Keil p. 103 sq.); confer Ianatum al. ab eodem deo declinata sunt nomina *Mantii* (VI) *Mantonii* (XIV) *Mantennii* (V).

Marcutius

in *provinc. Numidia* 4478 M. Oc. Marcutius.
hoc nomen videtur a Marco originem habere.

Maratius

Romae VI 1056, 2, 87 Maratius Faustus vigil, a. 205.
vide cognomen *Marati.*

Maritius

Romae VI 1058, 4, 74 P. Maritius Clemens vigil, a. 210.
VI 9366 Ser. Maritius Martialis.
VI 26513 Ser. Maritius Magnus.
vide cognomen *Mariti.*

Marratius

Marratium episcopum Africanum, qui subscripsit damnationi Primiani, habes apud August. in Enarrat. in Psalm. 36, serm. 2, 20.

Marrutius

Marsus cognomen est satis frequens, unde dicuntur *Marsius* et deminutive *Marsillus.* a Marso declinata sunt *Marruvium* et *Marrucini* (*Marrus* est ap. Sil. Ital.), RS mutatis in RR; quibuscum

cognata sunt nomina *Marrius* (X, XIV), *Marrutius, Marracius* (XIV), *Marrinius* (II). nomini Marrutius simillimum est *Marratius.*

Marrutiam Maximam habemus in titulo *Cirtensi* VIII 7589 Marrutius episcopus Africanus est apud Cypr. ep. 57 et 70.

Masius

a Maso declinatum, quod vide.

Venusiae IX 475 M. Aninius Sp. f. et T. Masius T. l. Pamfi.
Veronae V 3666 M. Masius M....
ad *Rhenum* CIRh. 394 Masius.
CIRh. 632 Masius Ianuari et Titianus Ianuari, a. 238.

rhenanas has gallicum potius quam latinum nomen ostendere veri simile est, quia a latina cognominum fingendorum ratione abhorret. exempla duabus S scripta, quae certe sint latina, non invenio.

Masso Maso

de origine huius nominis et de nominibus cognatis pauca dixi in cognomine Massi. qui in titulis inveniuntur Massones gallico videntur usi esse nomine (vide Holderi thesaurum). apud Romanos autem iam antiquo tempore Massonis nomen civitate donatum est; de Papiriorum Massonum enim gente patricia Cicero ad fam. 9, 21 verba facit, atque postea plebeiam quoque gentem ita adpellatam esse Mommsenus docet in quaest. rom. I p. 116. scriptione autem variant libri: nam cum *Massones* legamus apud Cic. ad fam. 9, 21, apud Liv. 25, 2, apud Val. Max. III 6, 5, *Masonem* ostendit Liv. 21, 25 al.; Maso etiam est in fastis Capitolinis.

C. Papirius C. f. L. n. Maso a. u. c. 523 consul fuit (vide fastos Capitol., Val. Max. III 6, 5 al.). C. Papirius C. f. Masso pontifex et C. Papirius L. f. Masso decemvir sacrorum mortui sunt a. u. c. 541 teste Livio 25, 2. C. Papirium Masonem triumvirum agro adsignando fuisse a. u. c. 536 idem tradit 21, 25. L. Papirius Maso praetor a. u. c. 578 apud eundem est 41, 14. adde eum, quem Cicero ad Att. 5, 4 nominat.

Masinius

Zarai in provincia Numidia VIII 4514 C. Masinius Donatus.

Masonius

Romae VI 6804 C. Masonius Niger, Masonia C. l. Chrotalio.
VI 22277 C. Masonius Cilix.
VI 22278 C. Masonius Nicep(orus).
VI 22279 C. Masonius C. l. Philetus.
VI 22321 L. Petronius Ampliatus et Masonia Briseis uxor eius.
Venusiae IX 465 C. Masonius gladiator.
Minturnis X 6041 L. Manlius L. l. Hilarus, Masonia C. l. Dionysia.

Masonius fortasse etiam celticum nomen fuit (vide quae in fine Holderus adfert exempla); quae duabus S scripta sunt ad celticam linguam pertinent (confer Holderi exempla).

vide cognomen *Masi.*

Mellitinus

Theveste VIII 16596 Fortunatius Mellitin[us].

Mellito

in *Dalmatia* III 2999 Aelia Mellito P. Aeli Prisci uxor.
vide Graecum nomen Μελιτώ.

Mellutius

Romae VI 22350 Mellutia Romana Numiciae Benedictae soror.
saepius occurrit Mellito-, confer nasicam et nasutum.

Melsonius

Melsonii a melle dicti sunt; vide quaee xposui in cognomine *Melliti.*

Pompeiis X 885. 886 M. Melsonius A. f. IIvir i. d., a. u. c. 740.
Tarenti IX 6152 C. Melsonius Cn. l. Hercolei donum.
in signaculo X 8059, 239 Lupi Melsoni.
vide cognomen *Melliti.*

Mercatius

nomen gentile rarissimum declinatum a cognomine Mercati.
Aquis Sextiis XII 523[add.] Mercatia ... tilla hominis libertini uxor.
in *Britannia* VII 912 Mercatius Firmi, a. 207.

Mercatilla

nomen servile. ortum esse videtur prima imperatorum aetate et durasse per tria saecula. pauca exempla inveni *Italica* et *Gallica.*

Romae VI 1963 Iulia C. l. Meratilla; ineunte saeculo p. C. primo.

Ostiae XIV 397 Numisia L. lib. Mercatilla, uxor L. Numisi L. lib. Agathemeri seviri Augustalis, negotiatoris ex Hispania citeriore.

Luguduni, Allmer et Dissard III p. 345 Primitivia Mercatilla sive Mastichum M. Primitivi Mercatoris soror.

Mercatilia

Telesiae IX 2303 Sossia Ↄ. l. Mercatilia. an Mercatilla?
vide cognomen *Mercati.*

Minatius

praenomen et nomen gentile.
Romae I 911 A. Minati(us) A. l. (priore saeculi u. c. VII parte.)
Aufidenae IX 2809 L. Vettius Min. f. Vol. Ursulus.
IX 2813 Minatia C. f. Laurilla Meni Iusti coniux.
Capuae X 3773 Cn. Minatius ... magister conlegi mercatorum, a. u. c. 642? 643?

Atinae X 5072 Q. Minatius Q. [f.] [T]er. Saturninus aed. IIvir q. quinq. praef. fabr., Seia L. f. mater eius.

Aquileiae V 1301 C. Minatius C. f. Africanus, M. Minatius C. f. veivi fecere.

accedunt pauca exempla inventa in *Lusitania* et in *Gallia Narbonensi*.

Minatius Magius Aeculanensis nepos Decii Magii Campani eius, qui bello Hannibalico interfuit, atavus Velleii, bello Italico maximam Romanis fidem praestitit (cf. Vell. II 16, et titulum Aeclanensem IX 1140). M. Minatius Sabinus proquaestor Cn. Pompei Magni filii bello Hispaniensi a. u. c. 709.

etr. *minatie(s)*. — non segregandum ab hoc *Minnatius* (cf. oscum Minnieis):

Mastar VIII 6529 Minnatia Na[mg]idde.

Minatidius

Romae VI 15705 T. Minatidius Rufus et Pedania Iullina.

Menatius

non diversum a Minatio, confer oscum *menvum*. cognata videntur esse *Menius, Meneius, Menullus*.

Menatia Prisca C. f. est in titulo *urbano* VI 22399; Menatiam Valentinam C. Virgini C. f. Aibari matrem ostendit titulus *Venusinus* IX 602; in titulo *Galliae Cisalpinae* V 4007 legitur G. Menatius G. filius Fab. Severus.

vide *Minatum*.

Minutius

Calibus X 4683 Minutia C. l. Veneria. Ephem. epigr. VIII p. 138 n. 544: Minutia L. l. .... ibd. p. 140 n. 554: Sura Minutia.

in *Thracia* III 6120 C. Minutius Laetus vetran. (sic) leg. VII C. p. f., a. 76.

L. Minutius L. f. Latinus in strigili legitur, cf. Bull. epigr. de la Gaule 1883 p. 268 n. 15.

incerta praetermitto. Minutium deum et Minutiam portam ex Festo novimus (p. 88 et 129 Thewr). vide cognomen *Minuti*.

Moderatius

ad *Rhenum* CIRh. 1390 Moderat(ius) Aprianus.

Moderatianus

Salonis III 8803 C. Saufeius Moderatianus, C. Saufei Moderati August. heres.

in *municipio Giufitano* VIII 12383 Q. Furfanius Moderatianus.

Moderatilla

in *Pannonia super*. III 3911 scriptum est 'Moderatilia'.

in *Lusitania* II 33 M. Octavius Octaviae M. f. Marcellae Moderatillae lib. Theophilus.
vide cognomen *Moderati*.

Mollitius

M. Mollitius Alexander est in lapide *urbano* VI 22592. huc etiam M. Moll*e*tius M. f. Cor. Valens aed. referendus est, quem praebet titulus *Urbisalviensis* IX 5539. eodem genere prognata sunt nomina *Mollius* (X), *Mollicius* (XIV), *Molliculus* (Ti. Minucius Molliculus praetor a. u. c. 574, cf. Liv. 40, 35).

Monetius

nomen a Moneta declinatum. P. Monetium soc. l. Philogenem vascularium qui nominatur in titulo *urbano* VI 9953 optima aetate scripto manumissum esse a societate quae nummos cudendos videretur redemisse bene suspicatus est Henzenus. alterum huius nominis exemplum praebet titulus VI 22593: M. Monetius Eutycus.

Mulso (?)

in *agro Albano* XIV 2371 Garruccius intellegit Q. Sulpicium Mulsonem.

Mulsulus

Romae VI 19576 Hostilia Mulsula A. Iuli Magni uxor.
VI 22624 Mulsulus (an gentilicium est Mulsulius?).
in tegula *Salonitana* III 3214,1 Attia Mulsula.
vide cognomen *Melliti*.

Multius

Matriti II 3072 'Multio Porcio'. rectene tradita sit dubitatur.

Multasius

Romae VI 22625 C. Multasius C. l. Dionysius, C. Multasius C. l. Philod[amus]; titulus Augusti aetate posterior non est.
Urbisalviae IX 5552 P. Mult. Felix et Multasia Felicitas nutrix.
Grumenti X 257 Gemellus Minici Croci et mater eius Multasia Aequitas.

Multelius

Cemeneli V 7932 M. Multelius Secundinus.
Antipoli XII 5726 Q. [M]ultelius ...
fortasse huc etiam *Antipolitanus* titulus XII 175 referendus est M. Moltelio C. f. Vol. Secundino flamini IIviro Antipoli positus.

Multilius

Antipoli XII 201 M. Multilius Pate[rnus].

Multillius

Puteolis X 2750 P. Múltillíus Ↄ. l. Tertius.
vide quae adnotavi ad cognomen *Melliti*.

Munatius

hoc nomine eum puto significari qui munis est; 'munem significare certum est officiosum unde e contrario inmunis dicitur qui nullo fungitur officio' Paul. p. 121 Th. confer oscum *múíníkú*, latina *municas* (Paul. p. 143 Th.), *comoinem* (cf. Buech. lex. ital. XVII). extitisse videtur olim vocabulum *muno-*, quocum cognatum munis. ex eodem genere sunt *Munius*, *Municius*, *Munilius*, *Muninus*, nec segreganda ab his puto nomina quae sunt *Munnius*, *Munninus*, *Munninius*. a *munatulo participio ex *munato deminuto fictum est *Munatuleius*, a Munatio derivatum *Munatidius*. cum Munnio cognatum est *Munniatius*.

C. Munatius decemvir agris dividundis a. u. 581. L. Munatius Plancus cos. a. u. 712. Q. Munatius Celsus procurator Mauretaniae Caesariensis sub Caracalla (cf. prosopogr. imp. rom. II p. 389).

Ostiae XIV 246 III 6 L. Munatius Trophim., a. 140.

Variae XIV 3479 Munatia St. f., C. Munatius Ↄ. l. Pamphil. (litterae sunt liberae rei publicae.)

Tibure XIV 3678 M. Scaudius C. f., C. Munatius T. f. aediles.

Nomenti XIV 3955 Gn. Munatius M. f. Pal. Aurelius Bassus proc. Aug, praef. fabr., praef. coh. III sagittariorum, praef. coh. iterum II Asturum, censitor civium Romanorum coloniae Victricensis quae est in Brittannia Camaloduni, curator viae Nomentanae, patronus eiusdem municipi, flamen perpetus duumvirali potestate, aedilis, dictator IIII.

Neapoli X 1492 L. Munatius Concessianus v. p. patronus coloniae.

Aquileiae V 925 M. Munatius M. f. Scap. Etruscus Florentinus, Q. Munatius miles chor. VII pr. frater eius.

Dertonae V † 7405 Munatia Spica.

in *Norico* III 5538 Q. Munatius Q. f. Ouff. (sic) Lupus Saena mil. coh. VIIII pr.

Arsacal VIII 6050 P. Sinicius P. f. Munatius vet.

Munatianus

in *castris Lambaesitanis* VIII 2569a 34 L. Pomponius Munatian. cas(tris).

Munatuleius

in *Latio* XIV 3438 M. Munatuleius M. f. Ani. Marcellus [trib. mil.] a populo, M. Munatuleius C. f. Ani. Montanus pater.

Munatidius

Romae VI 22643 Q. Munatidius Sp. f. Gallus.
VI 22644 Munatidia Cyrilla.
VI 22645 Munatidia Q. Ɔ. l. Secunda.
Catinae X 7014 Facundus Porfyrius Mynatidius v. c. cons(ularis) Catinae urbis (vel potius provinciae Siciliae).

Munniatius

in *Africa* VIII 545 Sex. Munniatius Primigeni f. Felicio.
VIII 546 Munniatia Sex. f. Satur[nina].

Mussulus

Romae VI 18541 Fortúnátó Mussulo v. a. V m. X Clódia Príma fécit vernae suó.

Mussosa

Arsacal VIII 6129 Iulia Mussosa.
declinatum est a nomine Mussi, ut Datosus a Dato.

Mussiosa

Arsacal VIII 6041 Iulia Mussiosa Kasariana.
vide Mussosam et vocabulum cessiosus (corp. gloss. II p. 572).

Mussiolus

in *Africa* Bull. epigr. a. 1884 p. 113 n. 101: C. Iulius Mussiolus.
vide cognomen *Mussi*.

Natulus

nomen *Africanum*.
Carthagine VIII 12549 Ṅatul[us], exeunte saec. II.
Siccae VIII 16024 Fulcinia Natula.
Lambaesi VIII 2586,23 Q. Fulvius Natulus Karthagine bf. cos.; 'Elagabali fere imperio Severive Alexandri primis annis'.

Natilla

in *provincia Numidia* VIII 6906 Natilla Marcela (sic).
vide cognomen *Nati*.

Neratius

nomen gentile a Nerato declinatum. ortum videtur esse in *Samnio*, atque maxime viguit *Saepini;* pauca admodum exempla prodierunt in *Campania, Ostiae, Romae*, neque in ceteris terris civitate donatum est. spectat autem praecipue ad saeculum p. C. secundum, sed ne sequentium quidem saeculorum desunt vestigia.

clarus est L. Neratius L. f. Vol. Priscus cos. fortasse suff. a. 87, homo iuris peritus, cuius consilio usus est Traianus; fuit fortasse *Saepinas*, nam ad eum spectat titulus IX 2454 in hoc oppido inventus, qui etiam filium eius videtur nominare (vide Momms. ad hunc titulum); huius fratrem L. Neratium Marcellum, qui iterum consul fuit a. 129, osten-

dit diploma militare VII 1193 a. 103 inventum in Britannia. alterius familiae *Saepinatis* vestigia habent tituli eius oppidi IX 2450—2453, in quibus sunt Neratius Priscus cos. et filia eius Neratia Marullina nupta cum C. Fufidio Attico v. c. cos., cuius filii sunt C. Neratius Fufidius Priscus, C. Neratius Fufidius Annianus, C. Neratius Fufidius Atticus. praeterea Saepini habemus L. Neratium C. f. Vol. Proculum X virum stlitibus iudicandis .... missum ab imp. Antonino Aug. Pio ad deducendas vexillationes in Syriam ob bellum Parthicum, praef. aerari militaris, cos. (IX 2457), fratrem fortasse [N]eratiae Proci[llae] uxoris [C.] Betiti C. f[il.] [C]or. Pietat[is] [p]raef. coh. pr[im.] [Fl]aviae Comm[agen]orum e. q. s. (IX 1132), avonculum C. Nerati C. f. C. n. C. pron. C. abn. Cor. Proculi Betiti Pii Maximilliani quaestoris, II viri quinq., p. c., flaminis divi Hadriani e. q. s. (IX 1160). praeter hos Saepinates Neratios vides in IX 2440, 2447, 2458, 2484, 2510—2517, 2531. M. Neratium Benivolum habet titulus *urbanus* VI 22908; Naeratium Scopium v. c. consularem *Campaniae* tituli VI 1746, IX 1566, X 1253; Neratium Palmatum v. c. titulus *Syracusanus* X 7124; L. Nera[ti]um L. [f.] Rogatianum titulus *Africanus* VIII 16829 (= 4639). adde titulum *Pannonicum* III 10204 et *Rhenanum*, Correspondenzbl. d. Westd. Zeitschr. I p. 2. Neratius Cerealis consul fuit a. 358.

Neriatius

Aquileiae V 1315 L. Neriatius P. f. Lem.
vide cognomen *Nerati*.

Nerutius

Antiochiae in Pisidia III 6855 L. Nerutius Q. [f.] Ser.
vide cognomen *Nerati*.

Novatianus

in *Hispania Tarrac.* II 6095 L. Fonteius M. fil. Gal. Maternus Novatianus aedilicis honorib. abordine datus, II vir, iudex dec(uriarum) III, flam. divi Vespasiani, equo publico donatus ab imp. Nerva Aug., flam. p. H. c.
in *Gallia Narbonensi* XII 1538 'C. Lucceius Apolaustus v. s. l. m. salvo Novatiano'.

Novatianus Romanae urbis presbyter adversus Cornelium (a. 250) cathedram sacerdotalem conatus invadere Novatianorum quod graece dicitur καθαρῶν dogma constituit nolens apostatas recipere paenitentes (Hieron. de vir. ill. 70).

Novatilla

Novatilla filia fuit M. Annaei Novati filii Senecae patris (vide Senec. ad Helv. 18, 7).

Novatillianus

Beneventi IX 1572 M. Caecilius Novatillianus c. v. orator et poeta inlustris, allectus inter consulares, praeses

prov. Moes. sup., iurid. Hispan. cit., iurid. Apul. et Calabr., praet., trib. pleb., q. prov. Afric. (vide IX 1571 et II 4113).

Novatilianus

Romae VI 1621 C. L(aecc]anius Nova[ti]lianus subpraefectus vigilibus, iuris peritus; filii eius sunt Laeccani Volusianus et Novatilianuss (sic).

vide cognomen *Novati.*

Novetius

hoc nomen, ortum a cognomine Noveti mihi ignoto, si latinum est, quod pro certo non adfirmaverim, natum est a participio perfecti eius verbi, a quo declinatum esse noventium nountium nuntium Corssenus docuit (Ausspr. Vok. u. Betonung[2] p. 51). sed verbum quod est *noveo non, ut Corssenus dixit, novom facere significavit, sed novom esse, qua significatione tot verba in -eo desinentia differunt a verbis primae quam dicunt coniugationis. itaque nuntius nuntium τὸν νέορτον et τὸ νέορτον significant. ex eodem genere nomen Noventiae est (VIII 2154), quod idem valere puto atque Novetii nomen active scilicet interpretandum.

C. Novetium Restitutum vet. leg. I adi. ex b. cos. habet titulus municipii *Latobicorum* III 3902.

Oculatius Oclatius

nomen haud ita frequens, cuius exempla inventa sunt *Romae,* in *Latio,* in *Campania,* in *Samnio,* in *Apulia,* in *Gallia Cisalpina,* in *Sardinia,* in *Galliis Narbonensi*(?) et *Lugudunensi,* in *Illyrico,* ad *Rhenum,* in *Africa.* declinatum esse ab Oculato Oclato adparet. — hoc gentilicium ortum est libera etiamtum re publica (cf. X 845 et 955); duravisse crediderim in saeculum Christi tertium; raro cognominis locum obtinet. vocalis V posteriore aetate saepius extrita est.

Romae VI 14367 Oculatia Privigna.
VI 23221 C. Oclatius Aprilis.
Ostiae XIV 1557 L. Oclatius Daphnus.
Pompeiis X 845 M. Oculatius M. f. Verus IIvir; cf. ibd. n. 955. (hos titulos Mommsenus iure remotioris aetatis esse dicit.)
Puteolis X 3036 T. Oculatius Eutychus.
Beneventi IX 1619 C. Oclatius C. f. Pal. Modestus augur, IIvir i. d., quaest. II e. q. s., imperante Hadriano.
Ticini V 6411 Cn. Papirius Oculatius Salviae Pudentinae maritus.
in *Sardinia* X 7891 C. Oclatius Macer Caralitanus, a. 68.
in *Hispania* II 3663 L. Oculatius L. f. Quir. Rectus aedilis, IIvir, flamen, et L. Oculatius L. f. Quir. Rectus filius eius.
II 2685 C. Oculatius Oculatianus.

in *Africa* VIII 5830 M. Oculatius Faustinus.
VIII 4749 L. Oclatius Sabinus.
in *Pannonia superiore* III 3845 L. Oclatius Tarquiniensis vet. leg. XV, T. Calventius T. f. vet. leg. VIII, Ociatia (sic) L. l. Expectata.
in *Dalmatia* III 2738 Coelia Oclatia.

Oculatianus

in *Hispania* II 2685 C. Oculatius Oculatianus.

Oclatinus

in *Dalmatia* III 3138 Valerius Oclatinus aed., IIvir q. q., Valeriae Procillae pater.

Oclatinius

Oclatinius Adventus consul fuit a. 218.
vide cognomen *Oculati*.

Ocratius

nemo opinor divellendum esse censebit hoc nomen ab ocri antiquo Italorum vocabulo, unde *Ocresiam* Servi Tulli matrem, *Ocriculum*, *Interocrium* oppida adpellata esse omnes consentiunt. ad participiorum perfecti analogiam ab ocri tractum est nomen *Cominii Ocriti* i. ocri subiecti vel in ocri siti (Liv. 25, 14), eodemque genere prognata sunt humana nomina *Ocrinia* (IX), *Subocrinus* (IX). verum non in I solum, sed etiam in A principale huius verbi etymon olim terminatum esse demonstrant *Ocra* oppidi Carnici nomen, quod interiisse tradit Plinius n. h. III 131, *Ocra* cognomen virile (XIV 2119), praeter haec quod in titulo XIV 2171 legitur 'curator pec(uniae) *Ocran(ianae)*'. huius generis nisi fallor etiam Ocratii nomen est. quod erunt fortasse qui ab *ocrati tractum putent collatis penatibus aliisque vocabulis similiter fictis. attamen haud scio an referendum sit ad *ocratum comparatis citrato, ultrato, sinistrato, dextrato; veniunt enim in mentem dea Collatina Valloniae gemina et Collatia oppidum antiquissimum dictae a collibus (licet Paulus p. 26 Thewr. Conlatiam adfirmet a conferendo adpellatam). similem nominis Trebatius originationem infra proponam.

nostri nominis exempla prodierunt *Romae* et in *Latio*, in *Campania*, in *Samnio*, in *Vestinis*, in *Apulia*; singula inveni in *Galliis Cisalpina* et *Narbonensi* et in *Britannia*. in usu fuit iam ineunte septimo urbis Romae saeculo et per priora p. Chr. n. saecula a nonnullis gestum est.

Romae VI 23225 T. Ocratius Heracl[a].
VI 23226 T. Ocratius T. l. Sabbio, M. Aurelius Felix.
VI 23227 'C. Ocratei M. [f.] Pal. Sacrei'.
XV 665 'ex figl(inis) Viccianis Rutiliae L. f. Ocrati'; dubium est, utrum *Ocrati (uxor)* intellegendum sit, an *Ocrati(lla)* mulieris fuerit cognomen.

Luceriae IX 814 L. Ocratius Co[ri]nthus Apol(linaris).
Aveiae IX 3612 T. Ocratius Sa. [f.].
Ortonae IX 6315 N. Naevius N. f. Ocratius.
Capuae X 3779,2,4 M. Ocratius M. l. Pist(us) magister Cererus, a. u. c. 648.
X 3783 A. Ocratius M. l. Alex(ander) magister Iunonis Gaurae, a. u. c. 683.
X 3976 P. Ocratius P. D. D. l. Philodamus Bassus.
Fundis X 6241 C. Sextilius C. f. Aem. Longus Albius Procusius aedilis, Ocratiae Feliculae maritus.
Veronae V 3273 [O]cratia C. [f.].
Narbone XII 5253 Ocratia P. f. Maxsum(a) uxor D. Voltili D. l. Frontonis.
in *Britannia* VII 172 Ocratius Maximus centurio.

Ofatius

Romae VI 23371 L. Ofatius Menestratus.

ex eodem genere est nomen *Ofatulenae* (Ofatulena T. f. in titulo Forulano IX 4417), itemque nomen *Ofatorii* (L. Ofatorius L. l. Eros in titulo Gallico V 8879).

quae nomina ut ab offa (ofella) tracta putemus suadet nomen Ofellae viri aetatis Sullanae (Cic. Brut. 178). quamquam quae proxime absunt nomina Ofius Ofillius sim. (cf. Deeckii Fal. p. 283) coniungenda cum osco Upfals (cf. Plantae gramm. dial. osc. umbr. II p. 697)| si huc pertinent, longe aliam desideramus originationem.

Oleatius

gens ab Oleato aliquo incohata, quales multas in gallicis regionibus extitisse scimus; quamquam illud cognomen nusquam invenitur. comparanda sunt nomina Buturati, Cerati al.

Nemausi XII 3774 Sex. Oleatius Honoratus.
in *Volcarum agro septemtrion.* XII 2896 Sex. Oleatius V[e]getus.

Optatius

nomen gentile haud frequens.

Romae VI 1058,7,101 L. Optatius Felixs vigil, a. 210.
VI 2718 L. Optatius L. f. Iulia Secundinus Emona mil. coh. IX pr.
in patera argentea rep. in *Gall. Cis.* V 8112,8: L. Optatius.
Viennae XII 1986 Optatia Siora M. Modesti Modestini uxor, M. Modesti Optati mater.
Luguduni Allmer et Dissard, inscr. du mus. de L. I p. 38: Optatia Siora (taurobolium fecit pro salute imp. L. Septimi Severi Pii Pertinacis Aug. et M. Aureli Antonini Caes. imp. destinati et Iuliae Aug. matris castror.).
ibd. III p. 103 C. Optatatius (sic) Silanus.

Mogontiaci, Westd. Zeitschr. II p. 429 sq.: Optatius So[phron] et [Op]tatius Patern[us] filius.

Optatianus

Romae VI 2079,3 [M. Fabius Iulianus] Heracleo Optatianus frater Arvalis, a. 119.
VI 1684 L. Aelius Optatianus Cammarianus flamen perpetuus, a. 321.
Capuae X 4288 Pinarius Optatianus Pinariae Felicis maritus.
Thamugadi VIII 2393 L. Valerius Optatianus eq. R. advocatus.
VIII 17829 L. Licinius Optatianus fl. pp., imperante Septimio Severo.

praetermisi pauca exempla inventa *Ostiae*, in *Ligurum Baebianorum* oppido, in *Pannonia inf.*, in *Africa*.

his adde Suetonium Optatianum, qui imperatoris Taciti vitam adfatim scripsit (Vopisc. Tac. 11, 7), et Publilium Optatianum Porfyrium poetam aetatis Constantini.

Optatinus

Romae VI 27831 Cornelia Optatina.
Ferentini X 5831 Q. Caecilius Q. f. An. Optatínus praef. coh. I Aquitánor. equit.
Arelate XII † 956 'Optatine Reticiae sive Pascasie coniugi amantissimae Ennius Filterius sive Pompeius maritus' (titulus scriptus est litteris saec. III exeuntis).
Lambaesi VIII 2900 Vibia Optatina Iuli Felicis libratoris uxor.
Calamae VIII 5416 Antonia Optatina.
in *Hisp. Baetica* II 1778 A. Baebius Optatinus.
II 6282 Lucretia Optatina.
in *Lusitania* II 5219 Caecilius Optatinus (litterae sunt saeculi secundi).

Optatilla

Romae VI 13364 'Aurelie Optatillae Ragonius Benerus coniugi . . . cun quen vixit . . .'.
in *agro Mediolaniensi* V 5658 Calpurnia L. f. Optatilla uxor L. Coeli Valeri VIviri Mediol.

Optatulus

in *prov. Byzacena* VIII 11369 Aelius Optatulus.
in *prov. Numidia* VIII 19283 Annia Optatula.
VIII 3989 Pomponia Optatula.
VIII 5797 [I]ulia Optatula Ma[xi]mi filia.

Optatio

Pompeiis IV 849 'Postumium Iuvenem aed(ilem) o(ro) v(os) f(aciatis), Optatio rog(at)'.
vide cognomen *Optati*.

Ortia

Cemeneli V 7916 Ortia Parthenope Sallovi Archillaei IIIIII viri uxor.

Ortelius

Ucetiae XII 2942 T. Ortelius Marcianus. (lectio non plane certa est.)

Ortulus

Romae VI 13891 C. Caelius Eyfiletus se vivo memoria(m) comparavit cum Ortulo suo sibi et suis libertis libertabusque posterisque eorum.

an rectius primae horum nominum litterae inspiratur? vide cognomen *Orti.*

Pacatius

Romae VI 975 L. Pacatius L. l. Successus, a. 136.

Capenae XI 3936 L. Pacatius Tyrannus honoratus collegi fabrum tignariorum Romanensium, a. 162.

Brixiae V 4264 C. Pacatius Ursinus.

Luguduni Allmer et Dissard II p. 402 Pacatia Servanda uxor Constantini Aequalis IIIIII viri Aug. c(oloniae) C(opiae) C(laudiae) Aug(ustae) Luguduni, civis Germaniciani.

Pacatianus

cognomen inventum *Puteolis, Viennae, Luguduni,* in *Britannia,* in *Hispania,* in *Illyrico.* fuit in usu saeculis secundo tertioque.

Viennae XII 1856 C. Iulius Pacatianus [v. e.] proc. Augustorum nostrorum, militiis equestribus perfunctus, proc. provinc. O[sr]hoenae, praefectus legionis Parthicae, pr[o]c. Alpium Cott[i]arum, adlectus inter comit[es A]uggg. nnn., procurator pro legato provinc. Mauretaniae Tingitanae. (imperantibus Septimio Severo et filiis eius.)

in *Dacia* III 865 Iul. Pa[c]atianus, a. 185—192.

Pacatinus

Romae VI 3218 T. Aur. Pacatinus eq. sing. Aug. nat. Raetus.

Pacatinius

in *Germania infer.* CIRh. 543 P. Pacatinius Qartus (sic).

Pacatilla

Tusculi in fistula plumbea XIV 2660 Cabarasia P. f. Pacatilla.

Terventi IX 2615 Plinia Q. fil. Pacatila (sic) mater C. Ortori C. f. Volt. Voltiani.

vide cognomen *Pacati.*

Pansius

Tarnaiis Nantuatium XII 151 M. Pansius Cornuti filius Severus II vir, flamen.

XII 156 D. Pansius M. fi. Severus (filius est praecedentis).

Pansinus

inter *Viennam* et *Augustum* XII 2358 Sex. Bl. Pansinus Sex. Bl. Faustini filius.

vide *Pansas.*

Paratiana

in *Pannonia superiore* III 4327 Ulpia Paratiane uxor M. Valeri Valeriani Ↄ. leg. IIII Fl.

III 4389add. *Ulpia Paratiana.

vide cognomen *Parati.*

Peditianus

in *Dacia* III 8013 (1578, cf. p. 1017) [Au]r. Peditianus filius [Aur. P]editi et Aureliae .. inatae.

confer cognomen *Pediti.*

Picatius

Romae VI 24176 Picatia M. f. Sabina.

Brixiae V 4453 C. Picatius Trophim. VIvir Aug.

V 4454 ... L. f. Picatia.

V 4581 Picatia Thaeotema C. Corneli Habendi mater.

hinc tractum est Picatianus.

'picati appellantur quidam, quorum pedes formati sunt in speciem sphingum: quod eas Dori ficas vocant' Festus p. 250 Thewr. (cf. 'picis' acc. plur., Plaut. Aul. 701.) haec potest nominis quoque origo esse; sed rectius fortasse coniungetur cum nomine *Picae* (cf. Varron. r. r. III 2, 2, CIL. VI 3835, V 3936), ut picae vel pici significetur similitudo. cognata novi *Picarius* (VI) et *Picidius* (X).

Picatianus

Brixiae V 4338 C. Maesius C. f. Picatianus Xvir stlitib. iud. trib. mil. leg. I Italic., q. prov. Afric., allect. inter tribun. ab imperatore Hadriano Antonino Aug. P. praetor. (conf. VIII 4591. 10658.)

Porcatius

a porco nomina tracta sunt *Porcii* (Varr. r. r. II 1, 10) *Porciani Porculi Porcellae Porcionis.* ex eodem genere est Porcatius, quod inveni in duobus titulis *Atinatibus,* quorum alter (X 401) L. Porcatium L. f. Faustinum IIIIvirum ostendit Isteiae Marcianae maritum, Porcatiorum Lucinae, Marciani, Proculi patrem.

Potitius

in *Gallia Narbonensi* XII 3835 L. Potitius Bulic. Potitiae Secundinae maritus, Potitiae Paternae pater.

in *Gallia Lugudunensi* Allmer et Dissard III p. 57 Potitia Alpina mater T. Tinc(i) Alpini dec(urionis) Lingon(i), II viri.
ibd. III p. 57 Potitius Romulus.
in *Africa* VIII 1881 M. Pot[i]tius Aurelianus.

Potitianus

Romae VI 4012 Tyrannus verna dec(urio), trib(unus) Aug(ustae) dat ollam Philadelpo coser(vo) Potitiano pistori. (post Augusti mortem, vivente Iulia Augusta.)
Vivisci XII 163 L. Fl. Potitianus.
in *Britannia* VII 1336,841. 842 (patellae).
in *Hispania* II 4970,397 (vas rubrum).
in *Africa* VIII 236 (= 11335) L. Servaeus Amicus Potitianus v. c.
VIII 237 (= 11336) Servea Novella Rufina Potitiana c. f.
VIII 15595 L. Aninius M. fil. Corn. Felix Potitianus.
confer cognomen *Potiti.*

Praestetius Praeseticius

in tabula execrationis nuper edita a Richardo Wuensch 'Sethian. Verfluchungstafeln aus Rom' p. 6 legimus Praeseticium filium Aselles pristinarium qui manet in regione nona ubi videtur arte(m) sua(m) facere. idem vir modo Praeseticius modo Praesetecius modo Praestetius nominatur, unde videmus duobus eiusdem nominis formis usum eum esse, pleniore et breviore; atque cum haec sine dubio fuerit Praestetius, illam fuisse Praesteticius in aperto est; sed pronuntiabatur lingua rustica Praeseticius, quem ad modum saepe reperitur obsetrix. quibus expositis ne originem quidem nimis latere puto; detracto enim suffixo -ius superest aut praestetus (i. praestitus, cf. 'Prestito Iovi', umbr. 'Prestate') aut praestes simillima certe significatione, non plane dissimilia origine.
confer nomen *Praestantiae.*

Privatius

Ucetiae XII 2948 T. Privatius Titullus.
Luguduni Allmer et Dissard III p. 65 L. Privatius [Eu]tyches ne[g]otiator Lug(udunensis) et [Pr]ivatia Quartia [co]niux.
ad *Rhenum* CIRh. 834 Privatia . . incorilla.
in *Norico* III 5684 Privatius Silvester et Privatia Silvina filia.
Lambaesi VIII 2964 L. Privat[i]us Victorinus Trai[a]n(opoli) (?) Ↄ. leg. III Aug.

Privatianus

Aquileiae V 1197 L. Ovius Privatian.
in *Africa* VIII 15604 C. Cornelius Privatianus.

VIII 1582 Privatianus v. c. legatus (proconsulis Africae). (praenomen adest et tribus.)
VIII 1835 ....ilius Privatianus.
VIII 15424 Ca[r]v[ili]us Privati[a]nus.
VIII † 749 Privatianus.

Privatianus episcopus *Sufetulensis* nominatur in actis concilii Carthaginiensis a. 258 (Migne patr. ser. I, tom. 3 p. 1062).

Privatio

Ostiae XIV 943 A. Egrilius Privatio pater A. Egrili A. l Masculini.
in *Sardinia* X † 7988 Pribatio et Balentinus Valeriaeni Spenini uxori et matri titulum ponunt.
vide cognomen *Privati.*

Probatius

Spoleti XI 4978 (ex Buecheleri anth. epigr.): Probatia avia, Concordia nepus.
Comi V † 5422 Probatia.
Carthagine VIII 12593 P. Licinius Themistocles qui et Probatius lib. Procili Crispini proc. Auggg. (extremo fere saec. I vel ineunte II.)

Probatiolus

Luguduni Allmer et Dissard III p. 384 Attius Probatiolus.

Probatula

Cuicul VIII 20165 Rutilia Probatula coniux Arrunti Marciani.

Probatior

in *Africa* VIII 16486 Probatior.
an *Probatior(um)* intellegendum? sed confer *Citior*, *Delicatissima* al.
vide cognomen *Probati.*

Processius

Romae, Rossi inscr. christ. Rom. I 445, 1003 Petilius Processius v(ir) s(pectabilis) togatus inl(ustrium) p(raefectorum); depositus a. 525.

Processianus

Romae VI 12410 Arria L. f. Processiana (filia L. Arri Epagathi).
VI 11707 C. Annius C. lib. Processianus.
in *Africa* VIII 2451 [P]inarius Processianus aedilicius [II]vira[lis] et augur, [d]ec. mun. Bad(iensis).
VIII 3219 Pinaria Processian., Petti Victoris mil. leg. uxor.
VIII 9434 P. Ael. Augustor. n. lib. Processianus.
VIII 14748 M. Sulpicius Processianus.

VIII 16571 Aemilius Processianus.
VIII 20094 A. Auleus C. f. Quir. Processianus.

Processanus

Mutinae XI 837 M. Aurelius Processanus v. e. ex cent. praet. cohort. VI, prot(ector) ducenarius.
in *Africa* VIII 859 (= 12376) M. Domitius Processani aedilici filius Pap. Victor aedilis.
vide cognomen *Processi.*

Proiecticius

Bergomi V † 5192 traditur *Proiectitius,* sed certe in lapide fuit *Proiecticius.*
proiecticius est apud Plautum in Cistell. 191.
vide cognomen *Proiecti.*

Prosius

Prosios nomen accepisse putaverim a dea Prorsa (Prosa), cuius ope fit, ut capite gignantur homines, sicut Agrippas a praepostero natali adpellatos esse volebant (Plin. n. h. VII 45). rarum autem fuisse hoc nomen tituli docent; inventum est aetate liberae reipublicae et usurpatum per pauca saecula in *Italia,* in *Hispania,* in *Africa.*

Carthagine nova II 5927 (= 3434) M. Prosius M. l. (liberae est reipublicae.)
Tibure XIV 4242 N. Prosius Platanu[s] (saec. II).
Telesiae IX 2282 Prosia Polia.
Capuae X 4306 C. Prosius M. f. Fal. Rufus.
Aquini X 5513 Prosia M. f. Eleusis.
Antii X 6695 Prosia Crispina.
Macomadibus VIII 18694 (= 10772) Prosia Ianuaria.
inter *Macomades* et *Sigus* VIII 18703 (= 4769) Pros[i]a Primosa.

Pulpatius

Romae VI 25219 M. Pulpatius M. [l.] Philemo, Pulpatia M. Ɔ. l. Agalmatis.
confer pulposum.

Quaderteus

Arsacal VIII 6256 M. Sittius Quaderteus.
quadro si adicis -to, quadertus fit quadrato simillimum, sicut ex libero nascitur libertus et ex agro deminutive agellus. confer *Quadratum.*

Quadratius

Antipoli XII 225 Quadratia Sextina.
ad *Rhenum* CIRh. 435 Quadratia Primitiva T. Aureli Rufini veterani leg. I M. uxor.
exemplum non satis certum est in V 7266.

Cirtae VIII 10867 Q. Quadratius [Q. f.] Quir. Quintulus aedilic[iae] potest[a]tis. 'Qradratarius' falso in indice exhibetur.

Quadratianus

huius nominis exempla pertinent ad saecula Christi secundum tertium quartum quintum.

T. Flavium Iulianium Quadratianum v. c. pr. urb., XV vir. s. f. habes in titulo urbano VI 314a. L. Naevium Quadratianum leg. Aug. pr. pr. Numidiae (sub Pertinace) ostendunt tituli Africani VIII 10238. 10242 (conf. prosopogr. imp. Rom. II p. 396). de Ulpio Quirinio Quadratiano viro clarissimo adlecto inter tribunicios, praetore renuntiato(?), praetorio creato legato pro pr. Cretae et Africae consule prosopograph. imp. Rom. III p. 462. Petronius Perpenna Magnus Quadratianus v. c. et inl. praef. urb. Constantinianas thermas restituit (VI 1750). adde titulum Mactaritanum VIII 11825. Quadratianus episcopus Africanus occurrit in Gestis collationis Carthaginiensis a. 411 (Migne patr. ser. I tom. 11 p. 1334).

Quadratinus

in *Gallia Cisalpina* V 5068 Lumenno Quadratinus.

Quadratilla

hoc nomen in promiscuo servarum et nobilissimarum feminarum usu fuit saeculis p. C. primo secundo tertio.

de Ummidia Quadratilla, quae filia videtur esse C. Ummidi Quadrati praetoris a. 18, Plinius epistulam scripsit VII 24 (cf. prosopograph. imp. Rom. III p. 471). Calpurnia Quadratilla coniux C. Arri Antonini c. v. (cos. suff. circa a. 170) est in titulo VIII 2390 (cf. prosopogr. I p. 139). cetera exempla inveniuntur in *Italia,* in *Sardinia,* in *Gallia Cisalpina,* ad *Rhenum,* in *Africa.*

Romae XV 860. 861. 863 'ex fig(linis) (pr(aedis)) Asiniae Quadratillae', a. 141. 142. 150.
VI 17823 Felicia Qadratillae (sic).
VI 29759 Larcia Quadrati[lla natione] Romana me tue[ns].

Ostiae XIV 919 [D]omitia Quadratilla C. Dom. Successi soror.

Puteolis X 2701 Quadratilla Drusi Valentis uxor.

Patavii V 2982 Luscia Quadratilla filia, ut videtur, C. Lusci Quadrati.

Carthagine VIII 12708 Appia Quadratilla. (exeunte saec. I vel ineunte II.)

vide cognomen *Quadrati.*

Quietius

Aptae XII 1112 Quietia Avita coiux Aureli [E]uxeni militis.

inter *Nemausum* et *Sextantionem* XII 4159 M. Quietius Severinus.

huc fortasse etiam titulus *Campanus* X 8227 (Quitia M. l. Philusa) a sinistra parte fractus referendus est, quamquam E ante Q perisse potest, ut fuerit Equitia, non Quitia; confer autem Quitum.

Quietianus

Paesti X 493 M. Nanneius Quetianus.
Lambaesi VIII 2913 Iulius Quaetianus Ful. Quieti a(rmorum) c(ustodis) et Iuliae Urbanae filius.
Sitifi VIII 8573 Caius Iulius Qu[i]etianus.
nescio an idem nomen intellegendum sit in titulo *Cirtensi* VIII 19578 C. Iulio Quentiano posito.

Quietulus

Romae VI 16440 Cornelia Quetula (II ut vid. saec.).
in *Gallia Narbon.* XII 5693,7 Quietulus (in gemma).
Siccae VIII 16086 Iulia Quetu... (cf. VIII 17103).

Quietinus

Capuae X 4078 Ti. Cl. Quietinus T. Cl. Ti. lib. Epaphroditi filius.
Cirtae VIII 7516 Iulia Quetina.

Quietilla

Salonis III 2281 F[lavia] Quetilla Ti. Claudi Cerdonis uxor.
Tarracone II 4340 Maridia Quietilla Baebiae M. f. Quietae filia.

Quetilianus

Ostiae XIV 251, 8, 36 C. Mezaeus Quetilianus plebeius corporis lenunculario r. tabularior. auxiliar. Ostiensium, a. 192.

Queto

Romae VI 14462 Carvilia Quetonis P. Carvili Zotici patrona et coniunx.

Quietulla

Ammaedarae VIII 11606 (= 388) MEANIA QVIEIVLLA.

Quetosus

Tiddi VIII 6812 Quetosa.
Cirtae VIII 7819 Iulia Queta Quetosi filia.
in *civitate Celtianensium* VIII 19837 Sittia Quetosa.
vide cognomen *Quieti*.

Rectina

Larini IX 725 C. Salvius Eutychus lar(ibus) cas(anicis) ob redit(um) Rectinae n(ostrae) v(otum) s(olvit).
Salonis III 2431 Maria Rectina C. Laepici Secundi uxor.
Ilipae II 1099 Maria Rectina.
Eporae II 2168 Iul[ia] M. f. Rectina.

Valeriae II 3216 Rectina.
Sagunti II 3866 Popillia L. f. Rectina C. Licini C. f. Gal. Marini Voconi Romani uxor. (aequalis est Plini minoris.)
Rectina Tasci amica fuit Plini maioris (cf. Plin. ep. VI 16, 8. 9).
vide cognomen *Recti*.

Redductulus

in *Africa* VIII 16407 L. Ostilius Redductulus, Onomasta Redducta.
vide cognomen *Redductae*.

Renatula

in *prov. Numidia* VIII 19103 Renatul[a]. — vide *Renatos*.

Renovatus

posterioris aetatis nomen.
Capuae X † 4499 Renobatus christianus, a. 545.
Caralibus X † 7770 Renobata christiana.
Altavae VIII 9841 traditur: MEM·ATILVS RENGVATVS.

Renuntiatus

in *prov. Numidia* VIII 4294 Munatius Re[nu]ntiatus optio pr(aetorii), Sex. Rutili Melioris mil. leg. III Aug. amicus.

Reperitanus

Simitthus VIII 14626 Sex. Cornelius Reperitanus.

Reperitanum putaverim cum Reperto coniungendum, cf. expertus — peritus al. potest sane ut ab oppido nobis ignoto declinatum sit nomen.

Respectius

Luguduni De Boissieu p. 64: Respectius Hilarianus speculator commentariensis, a. 221.

in *Norico* III 4972 Sarturonius Securus et Respectia Festa.

Respectianus

Romae VI 3283 Re*x*pectinus Respectianus n. Noricus (eques singularis).
in *Pannonia inf.* III 3627 (= 10569) Aurelius Respectianus filius Aur. [R]especti vet. leg. II ad. p. f.

Respectinus

Romae VI 3283 Re*x*pectinus (sic) Respectianus n. Noricus (eques singularis).
Luguduni Allmer et Dissard III p. 73 M. Attonius Respectinus.
Celeiae III 5191 Mamilius Respectinu[s].

Respectilla

Perusiae XI 1941 Betua Respectilla filia C. Betui C. f. Tro. Cilonis Minuciani Valentis Antoni Celeris P. Li-

guvi Rufini Liguviani aedilis, IIviri quinq., sacerdotis III lucorum, pr(aetoris) Etruriae XV populorum.

inter *Savariam* et *Scarbantiam* III 5056 (= 10937) Respectilla f. C. Samuconi Sectati et Amucae Burrani f.

Respectulus

in *prov. Byzacena* VIII 11566 Cicilius Respectulus.
vide cognomen *Respecti.*

Restitutius

ad *Rhenum* CIRh. 763 M. Restionius Restitutus et M. Restitutius Auroria.

in *Norico* III 5612 L. Restitut(ius) Perpetus et Attiania Matrona parentes Restitutiorum Restituti et Florini.

III 5582 C. Restitutius Restitutianus.

III 11482 Restitutiu[s T]utor bf. cos. leg. II Ita. Antoninian. a. 215.

Restutius

ad *Rhenum* CIRh. 1331 b Restutius Cupitus.

Restitutianus

Romae VI 266 Faltonius Restitutianus (idem etiam *Restutianus* nominatur) praef. vigil. p. v. (inter annos 226 et 244.)

Venusiae IX 430 Ael. Restitutianus v. p. corr. Apuliae et Calabriae.

in *Norico* III 5582 C. Restitutius Restitutianus.

Restitutianus episcopus Africanus nominatur in Gestis collationis Carthaginiensis a. 411 (Migne patr. ser. I tom 11).

Restutianus

Ostiae XIV 251, 8, 23 . . . . s Pub. Restutianus plebeius corporis lenuncularior. tabularior. auxiliar. Ostiensium, a. 192.

in *Norico* III 5357 Cas. Restutianus filius Cladi Restuti et Casiae Qurtae.

in *Pannonia sup.* III 10837 L. Spurius Restutianus.

in *Pannonia inf.* III 3309 M(arcius?) Restutianus.

in *Dalmatia* III 8411 Restutianus Valentin.

in *prov. Numidia* VIII 7455 Q. Iulius Restutianus.

in *Mauretania Sitif.* VIII 8559 L. Ennius Restutianus.

Restianus

Romae VI Restianus Iustus et C. Nigidius C. f. Fab. Marcellinus Brix. mil. coh. I pr.

Restitutinus

Romae VI 25406 Restitutina coniux Vetti Genialis.
in *provincia Numidia* VIII 4616 Iulia *Restutina*.

Restutulus

Ammaedarae VIII 11567 Aemilia Restutula.
Carthagine VIII 12993 C. Cominius Restutulus. (saec. II fere medio.)

Restiola

Luguduni Allmer et Dissard III p. 210 Cassia Restiola.

Resto

in *Illyrico* III 12014, 469 Resto f. (inscriptio vasculi).
vide cognomen *Restituti*.

Rogatius

in *Africa* VIII 11965 Rogatia Baricis Addudae fili filia.
VIII 955 Rogat[i]us Thermus, a. 161/9. (traditur *Rogatus*.)

Rogatianus

nomen saeculorum secundi et tertii, mulieribus raro impositum; invenitur *Romae, Ostiae Praeneste*, in *Illyrico*, maxime autem in *Africa*.

Romae VI 2384 C. (*vel* Q.) Iulius C. f. Pal. Rogatianus Ostia miles praetorianus, a. 198.
VI 1056, 1057, 1058 multi vigiles annorum 205 et 210.
VI 3057 Flavius Rogatianus vigil, a. 219.
VI 3069 Gargilius Rogatianus vigil, a. 221.
Praeneste XIV 2939 M. Venidius Rogatianus eq. R., filius M. Venidi Rogatiani e. v. a ducenaris.
Ammaedarae VIII 11546 Cornelius Rogatianus eq. R.
Lambaesi VIII 2618 L. Ianuar. Rogatianus cand. Tusd(ro) missionem accepit a. 200; Q. Geminius Rogatianus ex cand. P(ollia) cas(tris) militare coepit a. 186.
Auziae VIII 9115 Iulii Rogatiani pater et filius.

accedunt his C. Iulius Volusenna Rogatianus proconsul Asiae a. 254 (cf. prosopogr. imp. Rom. II p. 221), Ῥογατιανὸς ἐκ τῆς συγκλήτου, qui Plotinum audivit (Porph. vita Plot. 7), Rogatiani episcopi Africani, qui nominantur in Gestis collationis Carthaginiensis a. 411 (Migne patr. ser. I tom. 11). in titulis autem christianis rarissime hoc nomen invenitur.

Rogatinus

nomen *Africanum* saeculorum secundi et tertii mulieribus inditum fere solis.

Lambaesi VIII 3424 C. Aquilius Rogatinus.
VIII 3919 Aelia Rogatina veterani filia.

eundem sensum significat *Rogantina* tituli *Africani* VIII 2037 (conf. amantissimus al.).

Rogatilla

Romae prosopogr. imp. Rom. I p. 39: Aemilia Rogatilla c. f. filia sororis Flaviae Publiciae, mater Minucii Honorati Aemiliani, a. 247.
in *Africa* VIII 5288 Iulia (?) Rocatilla (sic).
VIII 6904 Nasidia Rogatilla.

Rogatulus

nomen *Africanum* viris rarissime datum.
in *prov. Numidia* VIII 5744 Cassia Rogatina, Luria Rogatula, L. Aemilius L. f. Rogatulus.
in *prov. proconsulari* VIII † 15640 Rogatula.
vide cognomen *Rogati.*

Rosatianus

in *Africa* VIII 1600 C. Liburnius Felix Cornelia Rosatianus.
VIII † 10815 Rosatianus. (Rossio est *Ro[g]atianus.*)
vide cognomen *Rosati.*

Rufertius

L. C. Rufertiorum legitur in tegulis italicis, quarum pars ad *Aequos* pertinet IX 6078, 143. atque declinatum hoc nomen esse a rufro Italorum verbo, cuius vicem in latino sermone ruber obtinuit, in aperto est. ut enim a libero libertus, sic a rufro est rufertus; est igitur quasi rubratus rufatus. quocum nomine permulta alia cognata sunt: Robilius (IX, III, confer robum, robiginem al.), Rubius Rubbius (VI, X, quem ad modum nunc Itali dicunt *robbio rubbio*, conf. Diezii lex. etym.[4] p. 274 et 395), Rubenius, Ruber, Rubrius, Rubrianus, Rubrenus, Rubrinius, Rubellius (Rubelius), Rubellinus, Rubellinius. — Rufus (Ruufus X, Ruffus *in Gallia*), Rufius, Rufianus, Rufenus, Rufanius, Rufonianus, Rufidius, Rufilius, Rufilianus, Ruficanus, Rufinus, Rufinius, Rufinianus, Rufilla, Rufinilla, Rufio (Ruffio II), Rufulus, Rufrius (*osce* Rufriis, *pael.* Rufries, *umbr. gen.* Rufrer), Ruferius, Rufranius, Rufreius, Rufrenus, Rufellius, Rufelleius. quaedam ex his fortasse celtica sunt; chama enim Galli *rufium* vocabant (Plin. n. h. VIII 70; Zeuss, gramm. celt.[2] p. 76). nota praeterea sunt oppidorum nomina Rufrae, Rufrium al.

Rumitonia

*rumitum unde est Rumitonia, a ruma declinatum puto (confer Ruminam); cognata sunt *Ruma* (X) et *Rumeius* (IX).
Comi V 5369 Rumitonia Rufina.

Rustius

etymon huius nominis circumspicienti ultro se offerunt rus rusticus, inter quae medium est *rustus, unde Rustios dictos puta-

verim; significantur opinor homines rure praediti, vel qui 'ruri rurant'. a rure nomina acceperunt Rusina (dea) Ruso Rusonius Rusonianus Rusius (Roesius, cf. Plantae gramm. dial. osc. umbr. I p. 205) Rusinius Rusiculenus, a rustico vocabulisque inde declinatis Rusticus (*pael.* Rustix) Rusticius Rusticio Rusticianus Rusticinus Rusticilla Rusticanus Rusticanius Rusticulus Rusticelius. huc fortasse etiam Rustunum Umbriae flumen referendum est. cum Rustio cognatum est Rustenus (vide nomen etruscum simillimum ap. Fabr. gloss. ital. p. 1564). ex eodem vocabulo apud Gallos nomen acceperunt Raurici (cf. Glueck, celt. ap. Caes. nom. p. 143).

nomen Rustii septimo urbis saeculo exeunte videtur in usum receptum esse et quattuor duravisse saecula. invenitur *Romae*, in *agro Albano, Tusculi, Tibure, Sutrii, Trebula Mutuesca, Antii, Beneventi, Pompeiis, Puteolis*, in *Sardinia, Cremonae, Brixiae, Bergomi*, in *Hispania Tarrac.*, in *Britannia*, in *Dacia*, in *Pannonia sup.*, in *Norico.*

Romae VI 25632 'Rustia Ͻ. l. Corinthis an. VI., os. heic s. s.'
VI 25631 Rustia C. C. Ͻ. C. Arbuscula.

Beneventi IX 1582 Cn. Marcius C. filius Rustius [Rufinus praef. co]hortium vigilum, praepositus an[nonae imp. L. Septimi] Severi Pii Pertinac. et M. Aurelii Anton[ini Augg.] e. q. s. (confer prosopogr. imp. Rom. II p. 339.).

Antii X 6680[add.] 'Q. Rustius M. f. duomvir de sua peq. fecit.' (eiusdem nomen fortasse est in nummo circa a. u. c. 735 cuso, conf. Mommseni adnot.).

in *Norico* III 5690 M. Rustius P. [f. I]unianus bf. c[os. l]eg. II Ital. p. f. [Se]v[erianae], a. 230.

multo antiquius hoc nomen esset, si vera crederemus prodere Parallela quae dicuntur Plutarchi minora cap. 24; ibi enim ex Aristidis Italicis narratur Hannibale Campaniam populante 'Ρούστιον Λουκίου Θύμβριδος υἱὸν a sororis marito necatum esse. sed 'et haec narratiuncula et aliae, quae ex eodem fonte haustae esse dicuntur, ita comparatae sunt, ut fidem eis habere non possimus. post caedem Crassi in Rusti impedimentis Aristidis Milesiacorum libri inventi sunt (Plut. Crass. 32). T. Rustius Nummius Gallus fuit cos. suff. a. p. C. 18 (sed confer prosopogr. imp. Rom. III p. 147 et I p. 336). T. Rustius Caepio fortasse cos. suff. a. 173 p. C. fuit (VI 2222, conf. Henzeni adnot.).

Rustenus

Caesarobrigae II 941 C. Rustenus Decianus.

Sacratius

ad *Rhenum* CIRh. 832 L. Sacratius Sacerianus et Sacratius et Sacrius filii L. Senili Sacrati.

vide cognomen *Sacrati.*

Sacretius

Sacretii nomen dictum fortasse est a *sacrendo, sicut Sacratius a sacrando (cf. albare — albere al.); an a sacri (cf. porcos sacres al.) declinatum est scriptumque pro *Sacritius*?

Sacretius Ingenuus Sacretiae Claudianes coniux est in titulo *Aquinati* edito in ephem. epigr. VIII p. 151 n. 607. *Noricus* titulus III 5516 habet C. Sacretium Spectatinum IIvir. i. d. F(lavia) S(olva), Secundiniae Severinae con(iugem). eiusdem originis est inscriptio III 5512, in qua legitur Sacretius Finitus.

Saltius

nomen Salsae supra exhibui; hoc autem nomen ab antiquiore participii forma quae fuit saltus (insultus) ductum videtur, sicut Multius Multilius al. antiquitatem resipiunt, cum Mulsuli secundum posteriorum consuetudinem dicti sint (cf. Plaut. Trin. 820, Buech. mus. rhen. 45, 160). hinc derivatum Saltienus. artissima cognatione coniunctum est Salitus (Salitorius VIII 9806). C. Saltorius C. f. invenitur *Alba Fucente* IX 3907.

antiquius quod sit aetate Ciceroniana exemplum non novi. atque Sex. Saltius cum L. Considio praetor *Campanus* fuit a. u. c. 671 (cf. Cic. de lege agr. II 92). P. Saltium Mysticum et Saltiam Eutychiam habes in titulo *Patavino* V 2844.

Saltienus.

in *Britannia* VII 101 P. Saltienus P. f. Maeicia Thalamus Hadria praef. leg. II Aug. (sub Severo et Antonino.)

Salsulus

Romae VI 21209 Sex. Caulius Fortunatus et Valeria Salsula uxor. eorundem hominum est VI 28282 b.

Caralibus X 7643 Cornelius Estutus et Cornelia Salsula vita et coniugio amantes et unanimitate pares usq. ad mortem.

in *Africa* VIII 16574 M. Aneius Salsulus.
VIII 18997 Aurelia Aureli f. Quir. Salsula.
VIII 20100 L. Iulius Salsulus.

Salsula de plebe mulier (Amm. Marc. 28, 4, 28 a. 370).

Salsonius

Romae VI 25803 Salsonia Fortunata C. Salsoni Eutychi et Sulpiciae Vitalis filia.

vide cognomen *Salsae*.

Sanctius

nomen gentilicium posterioris aetatis, quo *Galli* potissimum utebantur.

Romae VI 2626 Sactia (sic) Iustina coiux Agussi Veratiani evokati Aug. n. cho. VII pre. p. v.

ad *Rhenum* CIRh. 1764 Honoratius Sanctus et Sanctius Honoratus.
Genavae XII 2597 L. Sanct. Marcus civis Hel(vetius).
in *Britannia* VII 927 Sanctia Gemina.

Sanctianus

Fundis inscr. graec. Sic. et It. 907 Τι. Κλ(αύδιος) Σανκτιανὸς Καλλικλῆς Προυσεὺς ἀπὸ τοῦ Ὑπίου.

Sanctinus

nomen saeculorum secundi tertiique.
Romae VI 3221 T. (trad. ET) Aur. Sanctinus dupl. s[ing(ularium)] imp. n.
VI 3352 Iul. Licinius Sanctinus mil. fr. leg. VIII Aug.
Luguduni Allmer et Dissard III p. 193 Sabinius Sanctinus Sabini Sancti filius.
ad *Rhenum* CIRh. 1325 Pat. Sanctinus [i]mm. cos., a. 183.
CIRh. 1444 T. Fl. Sanctinus mil. leg. XXII p. p. f. imm. cos., a. 230.
Lambaesi VIII 3970 Placidia Sanctina.

Sanctinius

Romae VI 2548 Sanctinius Probinus mil. coh. IIII pr. p. v. nat. Bataus, Sanctinius Genialis heres et frater.
VI 25860 Sanctinia Lupula Solutori Marcelli uxor.
Mediolanii V 5929 C. Sanctinius Sanc...
ad *Rhenum* CIRh. 1585 C. Sanctinius Gai fil. Quir. Aeternius.
in *Galatia* III 6764 Sanctinius Severus signif[er] [le]g. XXX U. v. S(everianae?) A[l](exandrianae?).

Sanctulus

Capenae XI 3981 Iunia A. f. Sanctula.
Genuae V † 7772 Sanctulus subdiac., a. 444? 493?
Valentiae XII † 5861 sante bone memoriae Santolus (sic) subdiiaconus, a. 563.
vide cognomen *Sancti*.

Satius

a serendo adpellatos esse homines nemo mirabitur (cf. *matre satus terra*, *saecula hominum*, sim.); sed quae ab hac stirpe orta esse pro certo adfirmaverim nomina paucissima sunt, quia nonnulla a Sat- incipientia aut ad Sattii nomen referri possunt, aut omnino latina non sunt. atque ex hoc genere esse Satus, quod praebet titulus *Noricus* III 5465, ceteris eiusdem tituli nominibus demonstratur, et Satus Thaemi Iuliani natione Syri pater, qui nominatur in titulo *Lugudunensi* inscr. gr. Sic. et It. 2532, ex latino sermone nomen accepisse non potest, quia graece Θεῖμος dicitur Σαάδου filius.

sed Satia tituli *Venafrani* X 4989a procul dubio latino utitur nomine, nam qui in eodem titulo nominantur, Seii dicuntur. *urbanus* titulus editus in not. d. scavi (Atti d. R. acc. d. L. ser. III mem. stor. vol. V p. 121) ostendit P. Satium Chrysanthum. in titulo *Cirtensi* VIII 7710 legitur Satia Ruf.... — Barbia Satula autem, quam exhibet titulus *Noricus* III 5680, duabus L scribenda fuit, et nomina Satonii (V) Satiliique (X, V) quominus a Sattio tracta credamus nil impedit. iam restat Satinus a Sato sine dubio declinatum. Seios (Seh-, *osc.* nom. sing. Sehs) a Seia similive numine dictos esse puto.

Satinus

Romae VI 2556 L. Antonius Satinus eq. coh. V pr.
VI 21724 Satinus filius L. Lutati L. lib. Antiochi.

Sativa mulier nominatur in titulo urbano VI 28078. confer nomen Satii.

Saturtinus

in *Ligurum Baebianorum oppido* IX 1455, 2, 15 Iulius Saturtinus, a. 101.

etymon hoc nomen habere a saturo veri est simillimum; saturtus autem a saturo est, ut libertus a libero; unde adiecto suffixo -inus fit saturtinus. conferas nomina Saturi, Satulli al.

Scitianus

Emeritae II 502 Iul. Scitianus Araus (i. oriundus a civitate Aravorum Lusitaniae).

vide cognomen *Sciti*.

Secretius

agnomen est in titulo *Cirtensi* VIII 7570; praenomen est Marcus, cognomen Felix, de gentilicio nomine qui tradiderunt alter ab altero dissident.

vide cognomen *Secreti*.

Sedatius

nomen saeculorum secundi et tertii.

Romae VI 22254 Sedatius Marti[us] Olympiadis maritus.

ad *Rhenum* Corresp. d. Westd. Z. IV p. 4 C. Sedatius Stephanus decurio civitatis Taunensium, a. 240.

Luguduni Allmer et Dissard III p. 218 Sedatius Agathonicus.

M. Sedatius C. fil. Quir. Severianus Iulius Rufinus cos. suff. anno incerto, leg. Aug. pro pr. provinciae Daciae nominatur inter patronos complurium collegiorum Ostiensium temporibus Antonini Pii; filius eius est M. Sedatius Severus Iulius Reginus (conf. prosopogr. imp. Rom. III p. 189 s.). C. Sedatius Velleius Priscus Macrinus Palmyrae statua honoratus est ab homine privato (cf. prosopogr. III p. 190).

Sedatianus

in *Numidia procos.* VIII 5078 M. Postumius Priscus Sedatianus.
vasculis inscriptum est *Gallicis* XII 5686,804 et *Britannico* VII 1336,1018.

Sedatina

Romae VI 15088 Claudia Sedatina Ti. Claudio Glycero patri titulum ponit.
in *Norico* III 5065 Annia Sedatina C. Anni Luci filia.
vide cognomen *Sedati.*

Servatius

ad *Rhenum* CIRh. 842 Tutor Servatius.
CIRh 1390 Servat[i]us Servando.

Servatianus

in fistula *Galliae Narb.* XII 5701,21 Sex. Ammius Servatianus V(iennae) f(ecit).

Servatio

Servatio Tungrorum episcopus catholicus saec. IV memoratur in Sulpici Severi chron. II 44.

Servatilla

hoc nomen non inveni nisi in *Gallia Narbonensi* (vide cognomen Servati).
Dea Augusta XII 1664 Pompeia Servatilla Servati Secundini mater.
Nemausi XII 3673 Iulia Serva[t]illa. (litterae sunt saec. secundi.)
vide cognomen *Servati.*

Sessius

Romae VI 12481 Sessia Fortunata L. Artori Solonis coniux.
XV 420 L. Sessius Successus. (est aetatis ut videtur Hadrianae.
Thamugadi VIII 2403 Sessius Pulverius v. c., Sessius Cresconius aug(ur), duovir, Sessius Iulianus fl. p., duovir, Sessius Ianuarianus fl. p., duovir nominantur in albo ordinis coloniae scripto 'ante a. 367, extremis fortasse Contantii annis vel imperante Iuliano'.

*sessus est qui sedet, sicut insessus qui certam sedem non habet; sessores Nepos Cim. 2, 5 incolas adpellat; confer subsessam.

Sparsianus

Romae VI 23368 C. Octavius Sparsianus.

Sparsillina

in *Hispania* II 3045 P(ompeius) Do[mi]nus, [Pom(peia)?] Sparsillina.
quid fuerit in titulo II 3406 incertum est.
vide cognomen *Sparsi*.

Spectatinus

in *Norico* III 5516 C. Sacretius Spectatinus IIvir i. d. F(lavia) S(olva).

Spectatilla

in *Pannonia superiore* III 4099 [S]pectatilla.
vide cognomen *Spectati*.

Speratius

Romae VI 1058 L. Speratius Iustus trib. vigilum, a. 210.
Vivisci XII 164 L. Sper(atius?) Ursulus benefic. leg. XX [V(aleriae) v(ictricis)].
Luguduni Allmer et Dissard III p. 165 Speratius Paternus L. Anni Sperati libertus.
ad *Rhenum* CIRh. 1065 L. Speratius Desideratus adulescens spei et pietatis incomparabilis, Speratiorum Hermodori et Iulianae fil.
in *Norico* III 5240 Speratia Iuliana Antoni Felicis uxor.

Speratianus

Romae VI 1057,4,6 Ti. Cl. Speratianus vigil, a. 205.
ad *Rhenum* CIRh. 1597 Longinius Speratianus fil. C. Longini Sperati vet(erani) leg. XXII pr. p. f., a. 201.
in *Hispania* II 4141 C. Iulius C. fil. Arniens. Speratianus praef. coh. I Celtiberor.
in *Africa* VIII 805 Q. Agrinius Q. fil. Arn. Speratus Speratianus sacerdos Cereris c(olonia) I(ulia) K(arthagine).

Speratinus

in *Norico* III 11710 Baeb. Speratinus Sperati pater.

Speratilla

Romae VI 26677 Speratilla Speratae filia, Simplici coiux.
in *Pannonia sup.* III 3920 Speratilla.

Speratio

Romae VI 26678 Speratio Caesaris vern.
VI 26685 Speratio filius L. Pacci L. l. Chii et Speratae.
Peltuini IX 3448 Speratio P. Salvieni Pauli dispesator.
Aquileiae V 798 a 7 Speratio Tottici, a. 165.
vide cognomen *Sperati*.

Sponsianus

Romae VI 3959 Nicodemus Sponsianus dec. cubiculario., M. Iulius Aug(ustae) l. Thambus. (ille Sponso alicui antea serviverat.)

VI 26703 Sposianus.
vide cognomen *Sponsae*.

Sponsanus

Romae VI 29474 C. Voltilius Sponsanus C. Voltili Successi patronus.
oppidum unde hoc nomen potuerit declinari novi nullam.

Statius

Statii a stando nomen invenerunt ('Statius stabilitate, Faustus a favore praenomina ceperunt' auct. de praen. 4); infantium statui praeerant Statanus Statina Statilinus. sed latius patuisse nominis vim consentaneum est atque etiam ad vitae statum felicem pertinuisse, nec procul hinc afuisse crediderim Iovis Statoris, a quo dicti sunt Statorii Statrii, et Statae matris, quam nocturnis ignibus honorabant, potestates. A habet productam, unde scriptum est *Staatiis* in titulo osco, *Staatius* in latino; geminata est T in genetivo Στaττιηιc lapidis osci, quacum forma *Stattini* dativom tituli Aeclanensis IX 1303 coniunxerim (*Stattius* Romae VI 2753, cf. Seelmanni Ausspr. p. 130). ut a stato participio Statius fictum est, ita etiam ab ipsa verbi stirpe nomina orta sunt nonnulla: *Staius Stahius* (cf. umbr. *stahu*), *Staeius Staiedio(s)* (Oscorum declinatio fit a *staio*) *Staidius Staedius*.

Statius praenomen fuisse ex Varrone traditur (de praen. 4), atque satis multa huius usus exempla praebent tituli *osci paelignique* (Planta gramm. inscr. coll. 1. 13. 120. 129. 241. 245. 266), quibus accedunt librorum testimonia (vide e. g. imperatorem Samnitium Statium Gellium captum a Romanis a. u. 448, Liv. IX 44) et inscriptiones latinae *Italiae Galliaeque Cisalpinae*. notatur sic *Sta. St.*, posteriore aetate etiam *Stat.* exolevit non multo post Vespasianum; huius enim aetatis videntur esse tegulae Marciorum urbanae (CIL. XV), in quibus Stati praenomen legitur, et Domitius qui coniuratione in Neronem detecta a. 65 tribunatu exutus est (Tac. ann. 15,71) eodem praenomine videtur usus esse.

sed fuit etiam servile nomen antiqua iam aetate, id quod non solum Gellius clare dicit et adlato Caecili Stati celeberrimi poetae cognomine probat (IV 20), sed etiam multi libertinorum tituli luculentissime demonstrant (vide e. g. I 1322. 1406).

nomen gentilicium iam tertio urbis saeculo fuit; T. Statium enim trib. pl. fuisse a. u. 279 Livius II 52 tradit. post hunc in usu fuit fere usque ad saeculum Christi quintum, quamquam in *Italia* iam saeculo quarto rarius fuisse tituli docent. saeculi quarti altera parte de vocabulis rerum scripsit Statius Tullianus. atque *Romae* hoc nomen fuit frequentissimum itemque in *Italiae* regionibus prima secunda quarta quinta, rarum autem in tertia. saepe etiam in *Gallia Cisalpina* invenitur; sed in ceteris provinciis, excepta *Dalmatia*, a paucis usurpatum est. ex titulis eligo hos: L. Statium Sal. f. duo-

virum, quem ostendit titulus *Praenestinus* XIV 3013 Sulla non multo posterior; P. Statium P. M. l. magistrum Cererus tituli *Campani* X 3779,2,5 a. u. 648; T. Statium T. f. St. n. aed. q. tituli *Aequiculani* IX 4132; Istatiam Materonam tituli *Africani* VIII 6260. *Staatiis* est in titulo osco apud Plantam n. 193, *Statiis* n. 170.

confer *Status*. declinata sunt Statianus Statianius Statianilla Statienus Statinius Statidius Statioleius Statiolenus; a simpliciore forma descendunt Statuleius Statulenius Statulla.

Statioleius

Praeneste XIV 3381 C. Statioleius L. f. Men. Statioleiae C. l. Urbanae maritus.

Statiolenus

Praeneste XIV 2966 Statioleni gentilicium occurrit in tabula magistratuum; cognomina fere nulla adsunt.

Statianus

cognomen Statiani — nomen gentilicium est in titulo urbano VI 2379a — et ab humillimis et a nobilibus usurpatum est fere inde ab aetate Sullana usque ad saeculum Christi quartum. invenitur in *Italia*, in *Gallia Cisalpina*, ad *Rhenum*, in *Illyrico*, in *Africa*. hinc declinatum est Statianilla.

Oppius Statianus legatus fuit Antoni (Dio XLIX 25). T. Caesernius Statius Quintius Statianus Memmius Macrinus cos. suff. fuit a. 141 vel 142 (cf. prosopogr. imp. rom. I p. 267). Statianus vir egregius amicus fuit Frontonis (ad am. 1, 5 N.). C. Calvisius Statianus praefectus Aegypti fuit a. 174 (cf. prosopogr. I p. 294). Caesernius Statianus ὁ κράτιστος, curator (λογιστεύων) Nicomediae Bithynicae memoratur in titulo sub Severo post a. 197 posito (cf. prosopogr. I p. 266). Manlius Statianus senator primae sententiae a. 276 memoratur in vita imp. Probi 12, 1. praeter hos adfero L. Statianum Primum Cremona militem praetorianum (VI 2379a, 2, 46), Aur. Statianum c. a. (III 5951), C. Pomponium Statianum, qui testis est in diplomate militari III D XXXIX a. 154 reperto in *Pannonia superiore* (idem memoratur in diplomatis n. 40, 45, 46), Q. Iulium Istatianum tituli *Cirtensis* VIII 7463.

Statianus et a Statio potest tractum esse et a loci adhuc ignoti nomine, cf. Huebn. quaest. onomat. I p. 83 (ephem. epigr. a. 1874).

Statianius

Sulmone IX 6319 P. Statianius P. f.

Statianilla

Sufetulae VIII 236 (= 11335) Fl. Statianilla c. m. f. avia L. Servaei Amici Potitiani v. c.

VIII 238 (= 11337) Servea F[l.] Statianilla Valeriana c(larissima) p(uella). (videtur neptis esse Fl. Statianillae, quae memoratur n. 236.)

Statilius

Statilius ductum est a Statio; productae sunt A et I prior, nam in titulo VI 26798 A apice ornata est et Myrini epigramma anthol. Pal. VI 254 incipit ab hoc versu: τὴν μαλακὴν Παφίης, Στατύλλιον ἀνδρόγυνον, δρῦν; praeterea *Stateilio* scriptum fuit in lapide XIV 2221 et Στατείλιος legitur in titulis graecis (e. g. inscr. gr. Sic. et It. n. 1087). hoc nomen iam antiqua aetate in usu fuit; Marius Statilius enim praefectus turmae Lucanae fuit bello Hannibalico (Liv. 22, 42). in ordinem senatorium primus venit T. Statilius T. f. Taurus cos. suff. a. 717; hominem novom enim Velleius 2, 127 eum dicit. ceteros enumerare supersedeo et iam ad tenuiores me converto. atque permultos Statilios inveni *Romae* et in *Latio*, satis paucos in ceteris imperii Romani partibus; sunt autem saeculorum Christi primi secundi tertii quarti.

Romae VI 26788 Istatilia Marcella.
VI 1684 Statilius Secundianus flam. perpet. municipii Ael. Hadriani Aug. Chlulitani, a. 321.
prope *Ariciam* XIV 2221 State[ilius] praec[o ex tribus] decuri[s]. ('litteris facile liberae rei publicae.')

Στατύλλιος Φλάκκος poeta est anthologiae Palatinae, atque hunc in modum saepius Graeci hoc nomen scripserunt.

Statilianus

Romae VI 1589 P. Aelius Statilianus eq. publ. d[onatus].
Ostiae XIV 251, 4, 15 D. Statilius Statilianus plebeius corporis lenuncularior. tabularior. auxiliar. Ostiensium, a. 192.
Apuli III 1190 Sep. Statilian. (miles).

Statidius

Furfone IX 3550 T. Statidius T. l. Montanus.
Marruvii IX 3758 Statedia N. f. Sepulta.
Brixiae V 4757 Statidia Proba et L. Lubicius Secundus.

Statienus

in *Dalmatia* III 2708 L. Statienus L. f. Fab. Catulus.

Statinius

Statini nomen invenitur in *Gallia Cisalpina* et in *Dalmatia*. est saeculorum Christi primi secundi tertii.

Aquileiae V 796 M. Statinius Dorus (cf. n. 794).
V 965 Statinia Thymele uxor L. Acesti L. l. Saturnini IIIIIIviri. (filia potest esse eius, qui nominatur in n. 796.)
V 1007 Statinia Strategis mater C. Pleni Stratonis IIIIIIviri.
in *Dalmatia* III 2790 Sextus Statinius Aplinis.

de nomine etrusco quod est *Statsne* (i. Statinia) consulas Fabrettii glossarium it. p. 1702.

Statulenus

T. Statulenus Iuncus flamen Augustalis, pontif(ex) minor publicorum p(opuli) R(omani) sacrorum nominatur in titulo *Pisano* XI 1421 scripto aetate Augustea.

Statulenius

in *Mauretania Sitif.* VIII 8389 C. Statulenius Martialis fl. pp. et C. Statulenius Vitalis heres eius.

Statuleius

Romae VI 26831 M. Statuleius Paulus.

Staticus

nomen gentilicium. sitne revera latinum dubito.
in *Dalmatia* III 2773 Apludus Staticus dec.
III 2795 Turo Statica Aplinis f.

Statulla

in *agro Mediolaniensi* V 5663 Statia Statulla M. Aselli M. l. Clementis uxor.
cognatum videtur esse nomen *Statoniae* oppidi in Etruria siti.
vide cognomen *Stati.*

Statutius

ductum hoc est a Statuto aevo fere Augusteo.
in *agro Novariensi* V 6598 Statutia L. fil. Valentina. (priore saeculi p. C. primi parte.)
ad *Rhenum* CIRh. 1336 Statutius Secundinus hastifer civitatis Mattiacorum, a. 236.

Statutianus

Romae VI 2382 a 27 C. Iulius C. f. Iul. Statutianus Emon. miles praetorianus, a. 174.
Augustae Vindelicum III 5848 Iul. Statutianus.
vide cognomen *Statuti.*

Successianus

cognomen saeculorum alterius et tertii, usurpatum in *Italia,* in *Gallia Narb.,* in *Norico,* in *Africa.*
Romae VI 1057,3,61 T. Aurel. Sucessian. (sic) vigil, a. 205.
VI 11914 Q. Q. Apidii Sucessus (sic) et Sucessianus (sic) fratres.
Praeneste (in tegulis) XIV 4091,51 L. Licinius L. f. Successianus.
Hadriae IX 5037 Successianeni (dat.).
in *Norico* III 5667 Successianus filius Successi et Ursinae.
III 5638 Succesianus (sic).

Cirtae VIII 6940 sq. L. Calpurnius L. fil. Quir. Successianus curator dendrophorum. (in n. 6941 altera C omissa est.)
VIII 19643 a corporu Successeani (sic) et Crementiai.
inter *Chullu* et *Milev* VIII 19960 Successianus Concessi pater.
Sucessianus (Σουκεϲϲιανὸϲ) sub Valeriano praefectus praetorio fuit (cf. prosopogr. imp. rom. III p. 277).

Successinus

Romae VI 9421 ...us] L. f. Quir. Successinus.
Carsiolis IX 4064 Cn. Cossutius L. f. An. Successinus IIIIvir [iur.] dic., quaest. r. p.
Parentii V 339 M. Sempronius Successinus eq. R.
in *Hispania Baetica* II 2100 Sex. Quintius Sex. Q. Successini lib. Fortunatus.
Carthagine VIII 12830 Sucessina (sic) (exeunte saec. I vel ineunte II).

Successanus

Romae VI 12016 Antonius Successanus.
vide cognomen *Successi*.

Tacitius

Tacitius a Tacito iam priore saeculi p. C. primi parte declinatum est. exempla inveni in *Italia* et in *Gallia Narbonensi*.
Romae VI 5028 L. Tacitius Abascanitus (sic) (in columbario quod Tiberio Claudioque imperantibus in usu fuit).
VI 2477 L. Tacitius L. f. Lem. Secundus Parentio (centurio) coh. II pr. et Tacitia Hygia parentes L. Taciti L. f. Lem. Dubitati [eq.] R. e. p.
VI 1133 Tacitius Felix v. p. rat(ionalis) s(ummae) p(rivatae) [Co]nstantio nob(ili) Caes(ari) titulum ponit.
Beneventi IX 2037 Tacitia L. l. Phi....

Tacitianus

Panhormi X 7289 Iulius Tacitianus Tac. Iuliani evok(ati) quondam filius.
in *Dalmatia* III 1780 G. Statius Tacitianus, a. 209.
III 8359/60 Iul. Tacitianus v. e. proc. Aug. n. metallorum Dalmaticorum (imp. Severo Alexandro). eundem hunc esse atque Tacitianum tituli Panhormitani coniecit Hirschfeld.

Tacitinus

Veronae V 3312 C. Amurius Taci[t]inus lib. VIvir Aug.

Tacitinius

ad *Rhenum* CIRh. 339 Tacitinius Tatucus.
vide cognomen *Taciti*.

Torquatius

Romae VI 10771 T. Aelius T. l. Prim... et Torquatia Epi-c[haris?].
Ostiae XIV 250 IV 29 C. Torquatius Euhemer. plebeius corporis lenuncularior. tabularior. auxiliar. Ostiens., a. 152.
Calamae VIII 5296 Torqatius (sic).

Torquatianus

Romae VI 12173 Q. Appaedius Torquatianus Torquati filius.
VI 27556 pupus Torquatianus filius Gaiani et Eucharitis.
VI 7290 Spurinnia Nice Torquatiana nutrix Primigeni L. Volusi Saturnini (praefecti urbi ab a. fere 42) ser(vi).
vide cognomen *Torquati.*

Trebatius

nominibus ab oppidis declinatis Deeckius in quaest. etrusc. VI p. 22 hoc adnumerat ortum existimans a Treba Aequorum oppido. sed hanc certe non fuisse originem eius tituli demonstrant; Trebatii enim, quos novimus satis multos, in ea ipsa regione, ubi Treba sita fuit, inventi sunt nulli; paene omnes in *Samnio* reperiuntur, maxime Aeclani. eodem iure Trebios, qui sunt permulti, ad oppidulum illud vel ad Trebiam Umbrorum referre possis, cui opinioni nemo adsentietur. re autem vera *Trebius, Trebonius, Trebellius, Trebatius* al. ab eodem vocabulo orta sunt atque *Treba, Trebia, Trebula* al., quod videtur cum nostro *dorf* cognatum esse (umbr. *trebeit*, osc. *tríb-arakavúm*). sed nihilo minus Trebatius declinatum esse potest a *trebati, cf. infernas, infumas, penates; an originem duxit a *trebato (cf. citratus, ultratus, sinistratus, dextratus)? vide nomen Ocratii.

C. Trebatius Testa eques Romanus Velia fortasse oriundus, iuris peritus, cuius consilio usi sunt Caesar et Augustus. M. Trebatius Priscus consul suff. a. 108. Trebatius Clarus clarissimus vir defunctus aliquanto ante annum 183 (cf. prosopogr. imp. rom. III p. 333).

Trebatii inveniuntur in *Italia*, maxime in *Samnio.* duravisse hoc nomen videtur in saecula posteriora.

Vegetius

Romae VI 28400 A. Veg. Diotrofes Vegetie Victorine coniugi titulum ponit.
Septempedae IX 5573 Vegetius Ingenus.
in *Gallia Narbon.* XII 3826 L. Vegetius Ingenuus.
in *Hispania* II 2381 [A.] Vegetius... (imperante Pio).
in *Raetia* III 5944 Veg(etius) Marcellin. (imperante Severo Alexandro.)
Flavius Vegetius Renatus vir inlustris rei militaris scriptor.

Vegetianus

in *Hispania* II 922 C. Tapilius Vegetus pater L. Tapili Vegetiani.
II 5071 (= 5628) M. Vegetianus Fuscus.

Vegetinus

Tarracinae X 6383 Octavia Vegetina P. Aemili Primiani et Aemiliae Olympiadis mater.
in *Gallia Narbon.* XII 155 Antonius Vecetinus Antoni Severi filius.
L. Marius Vegetinus Marcianus Minicianus Myrtilianus cos. suff. a. inc. (cf. prosopogr. imp. rom. II p. 348).
vide cognomen *Vegeti.*

Venatidius

Venanti nomini omnibus noto Venatidius se adiungit eodem prognatum genere, quippe quod ortum sit a participio venatus. C. Venatidium Sabinum ostendit lapis *urbanus* VI 28439. Venatidia Syntyche Volussiorum Nices et Alypi filia memoratur in titulo *monumenti Marcellae* VI 4868.

Venulatia

Romae VI 27181 Venulatia L. l. Nobilis.

Verutius

Romae VI 20317 M. Iulius Verutius cura acens Iuli Caediciani.
vide cognomen *Veruti.*

Villatia

Tomis III 7569 Villatia Matrona.
Thignicae VIII 15237 Vilatia (sic) C. f. Antilia.
cognatum *Villaticus* (VIII, *Villantica* n. 5104).

Virtius

Romae VI 29028 Virtia C. l. Rhodin.
Nuceriae Alafaternae X 1081 M. Virtius M. f. Men. Ceraunus aedilis, II vir iure dicundo, praefectus fabrum, V vir.
Piquenti V 462 C. Virtius Severus.
Iulii Carnici V 1865 L. Virtius L. f. Albinus.
in *tegula Gall. Cisalp.* V 8110, 165 C. Virti.
Rusicade VIII 10884 Virtia.
Virtius presbyter, ap. Cyprianum.
a viro videtur derivatum esse, confer *Viratum.*

Vivatia

Romae VI 975 a 1, 24 C. Vivatius C. l. Severus, a. 136.
Hippone Regio VIII 17431 Vivatia Asclepia iunior.
nfer *Viventium.*

Vocatia

i V 5892 L. Romatius Valerian. et Vocatia Valeria.
men *Vocati.*

JAHRBÜCHER

FÜR

CLASSISCHE PHILOLOGIE.

Herausgegeben

von

Dr. Alfred Fleckeisen,

Professor in Dresden.


Vierundzwanzigster Supplementband.

Erstes Heft.

Leipzig,

Druck und Verlag von B. G. Teubner.

1898.





BIBLIOTHECA SCRIPTORUM GRAECOR. ET ROMANOR. TEUBNERI[ANA]

Neue Erscheinungen.

Anthologia latina edd. Buecheler et Riese. P. II: Fasc.
conl. F. Buecheler. V. II. n. ℳ 2.—
— **lyrica** ed. Th. Bergk. Ed. IV cur. E. Hiller. ...
ℳ 3.—
Apulei Metamorphoseon ll. XI ed. v. d. Vliet ...
Aristotelis parva naturalia ed. W. Biehl. ℳ 1.80 ...
Babrii fabulae rec. O. Crusius. Acc. fab. dact. ...
Ignatii ad. tetrast. rec. C. F. Mueller. n. ℳ 8.40 ...
Caesaris commentarii rec. B. Kübler. Vol. III. 1. ...
Ed. mai. ℳ 1.— Ed. min. ℳ —.80. Vol. III. ...
Fragmenta. Indices. ℳ 1.50.
Ciceronis opera ed. C. F. W. Mueller. Pars III ...
Vol. I. ℳ 2.60. (= Nr. 19–22 à ℳ —.90, Nr. 23 ...
Euclidis opera edd. Heiberg et Menge. Voll. VI. VII. ...
Eudocia, Proclus, Claudianus, Blemyomachia ed. A. L...
n. ℳ 4.—
Firmicus Maternus edd. W. Kroll et F. Skutsch. Fasc. ...
Gemini elementa astronomiae rec. Manitius. [U. d. ...
Heronis Alexandrini opera. Vol. I. Pneumatica. Aut...
W. Schmidt. [U. d. Pr.]
Hippocratis opera quae fer. omnia. Vol. I rec. H. Kue...
Prolegg. conscr. Ilberg et Kuehlewein. n. ℳ ...
Horati Flacci carmina rec. L. Mueller. Ed. III. Ed. ...
Ed. mai. ℳ 1.—
Iosephi opera rec. S. A. Naber. 6 voll. Vol. VI. (Schluss) ...
Iurisprudentiae antehadrianae quae supersunt ed. Bre...
n. ℳ 5.—
Lydi, Laurentii, l. de ostentis et Calendaria Graeca ...
Wachsmuth. Ed. II. n. ℳ 6.—
Musici scriptores Graeci rec. C. Ianus. n. ℳ 9.—
Mythographi Graeci. Vol. III. Fasc. I. Pseudo-Er...
Catasterismi rec. A. Olivieri. n. ℳ 1.20.
Palladii, **Rutilii Tauri Aemiliani**, opus agriculturae ...
Schmitt. n. ℳ 5.20.
Patrum Nicaenorum nomina graece, latine, syriace, ...
arabice, armeniace edd. H. Gelzer, H. Hil...
O. Cuntz. [U. d. Pr.]
Philoponi de opificio mundi ll. VII rec. W. Reichardt ...
Pindari carmina rec. W. Christ. Ed. II. ℳ 1.80 ...
Plauti, T. Macci, comoediae recc. G. Goetz et F. ...
7 fasc. (vollständig) ℳ 9.70. Einz. Stücke à ℳ —. ...
Plini nat. hist. ed. C. Mayhoff. Voll. IV. V. je n. ℳ ...
Plutarchi Moralia rec. G. N. Bernardakis. Vol. VII ...
Ptolemaei, Cl., opera. Vol. I. Syntaxis ed. Heiberg ...

Lexica und Indices.

Lexicon Aeschyleum edidit Guilelmus D...
Lex.-8. n. ℳ 16.—
— Caesarianum composuerunt Rudolfus ...
Siegmundus Preuss. Lex.-8. n. ℳ 16.—
— Homericum composuerunt F. Albracht, ...
A. Eberhard, E. Eberhard, B. Gieske, ...
C. H. Mutzbauer, Fr. Schnorr de Carol...
H. Ebeling. 2 voll. Lex.-8. n. ℳ 60.—
— Livianum partim ex Hildebrandi sch...
F. Fügner. Vol. I. (Fasc. I—VIII. a—hu...
(Jeder Fasc. n. ℳ 2.40.) ℳ 19.20.
— Pindaricum composuit Ioannes Ru...
n. ℳ 12.—
— Taciteum composuerunt Gerber et Greef ...
(a—el.) Lex.-8. Jeder Fasc. n. ℳ 3.60.
— Theocriteum compos. Ioannes Rumpel ...
Gehring, A., Index Homericus. Lex.-8. n. ℳ 16.—
— — appendix Hymnorum verba continens. L...
Lommatzsch, E. (et † S. Segebade), lexicon Petro...
n. ℳ 14.—
Preuss, S., index Demosthenicus. gr.-8. n. ℳ ...

JAHRBÜCHER

FÜR

CLASSISCHE PHILOLOGIE.

Herausgegeben

von

Dr. Alfred Fleckeisen,

Professor in Dresden.

Vierundzwanzigster Supplementband.

Drittes (Schluss-) Heft.

Inhalt:

Seite

Leipzig,

Druck und Verlag von B. G. Teubner,

1899.



